




1
6
524









I

HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII



COMMENTARII IN VII. LIBROS APHORISMORVM HIPPOCRATIS.







LVGDVNI,
Apud hæredes Iacobi Iuntæ,
M. D. L I.
Cum priuilegio Regis, ad decennium.

EXTRAICT DV PRVILEGE.



EFENSES & inhibitions sont faictes à tous Imprimeurs, Libraires, & à tous aultres, de n'imprimer, ne faire imprimer ces presents commentaires de Hieremie Thriueri sur les sept liures d'Aphorismes d'Hippocrates, ne exposer, ou faire exposer en uente, aultres que ceulx icy, sans cōgé & permission des heritiers du feu Iaques Iunte, iusques au temps & terme de dix ans, à compter du iour qu'ilz seront paracheuez d'imprimer, sur peine de cent marcs d'argent, & cōfiscation des ditz liures, qui seront uendus & imprimez au contraire. Donné à Fontainebleau, le dernier iour de Iuing, l'an de grace mil cinq cens cinquante & un, de nostre regne le cinquiesme.

Par le Roy à uostre relation.

Bohier.

ILLVSTRISS.
VIRO, D. CAROLO A' LIGNE, COMITI A' LALAING,
Baroni à Scornaco, Toparcho Brachellorum, &c. Hieremias Thriuerus Brachelius S.

*



OLENT plerique, Comes illustrissime, ea quæ prælecturi sunt diligenter conscribere, & ex scripto loqui. contrariam consuetudinem ego obseruo: ante prælectionem meditor tantùm, in lectione, si qua præter pensum occurrunt, nihil dissimulo: à lectione uerò, quicquid effatu dignum fuerat, annoto, atque in ordinem digero. Ubique tamen rerum quàm uerborum studiosior. Sed ut nusquam lubentius uersor, quàm in difficilium rerum contemplatione, ita cum magno tædio, atque adeo perfunctoriè ea rescribo, ut inter amanuenses, qui mihi pauci contingunt, paucissimi ipsum autographum consequi atque imitari possint. Est & alia negligentia, quum transcripta recenseo, id iterum obiter ago: uix oculus in initium orationis incidit, cum mens ipsum finem præcurrit: ferè enim ex primo uerbo totam sententiam colligo. Hæc est causa clarissime Comes, cur pleraque ex operibus meis exierũt deprauata peruersa. Fuerunt tamen in uarijs regionibus uiri difficilium rerum indagatores magis, quàm amatores uerborum, qui multo labore, quicquid in ijs erat pulcherrimum, desumpserunt, & capti rerum nouitate, uarijs literis ad uarios & nouos commentarios inui

tauerunt, & propemodum fatigarunt, idq́ ferè frustra: Nam ob externa negotia & amicorum meorum importunitatem, quibus obstringor, adde amanuensium raritatem, uix aliquot succisiuas horas, nostris negotijs suffurati, breues quasdam disputationes edidimus: Commẽtarios in libros de Temperamentis reformauimus: nouos in Technam Galeni dedimus: & nũc integros in septem grauissimos Aphorismorum libros emittimus, à quibus ferè nemo ex Græcis, Latinis, Barbaris abstinuit, qui aliquid in re medica posset. Etenim in alijs locis ferè Hippocrates & Galenus seipsos dicẽdo absumũt: sed hic ferè singula uerba, singula sunt mysteria. Quocirca ut in alijs locis obscuris & perplexis, sic & in his ipsis Aphorismis unusquisque omnia sibi licere putauit. Græci admodum supinè quædam enarrauerunt, Oribasius etiam ridiculè. Magis in his laborauerunt Barbari, sed inutiliter. ferè enim omnia sophismatibus conspurcarũt, & licet quædam diligenter inquisiuerunt, plerunque aut à scopo exciderunt, aut non nisi multis ambagibus, ipsam ueritatem asseruerunt. Videntur quibusdam speciosiores commentarij recentiorum, sed ego Barbarorum magis laudo. Nam illi in rebus magnis parui, in paruis uerò multi Græca confundunt Latinis, Latina Græcis, & ut paginas impleant, unam sententiam eamq́ certam, obuijs aliorum locorum testimonijs comprobant: similes uulgo concionatorum, qui uulgarem ac conspicuam sententiam (quasi de eius fide laboraretur) alijs locis astruunt: quid dicam? nodos omittunt, duntaxat sincerioribus uerbis, elegantioribus characteribus, commentarios depingunt. Nam

ueram

ueram scribendi methodum nihilo melius quàm Barbari seruant: in rebus obscuris obmutescunt, sophismati minimo succumbunt, maximo inscitiæ argumento. Nam qui ueram artem nouit, paucis uerbis multa sophismata simul explicabit. Id quod ferè in singulis Aphorismis fecimus, non sine Barbarorum, præsertim Hugonis Senensis, repræhẽsione: fuit enim is unus omnium instar, qui ut postremus fuit, ita nihil eorum quæ ab alijs dicta sunt, intactum reliquit. Interim neque Galeno in quibusdam locis pepercimus, sed quæ ab eo omissa sunt adiecimus: sæpe multa aliter, quàm ipse, enarrauimus. Scio quòd ijs modis plurimos mihi consciã aduersarios. nõ laboro, dies omnia reuelabit, ac magis ipsa mors. Nã pleriq; doctos ac bonos magis mortuos quàm uiuos agnoscunt. Qualescunq; autem ij nunc nostri commentarij fuerint, munificentissime Mecœnas, nemini potius quàm tibi eos nũcupare placuit, idq; uarijs de causis. Primò, meis nugis nemo lubẽtius ueniã, quàm tu, dare solet: sed & tibi potius, quàm quibusuis alijs debẽtur, utpote ex uico tuo Brachelio quodammodo profecti. Solent etiã omnes magis amare sua quàm aliena. Sic holera, fructus, poma magis nos cõsuerũt delectare ex proprio horto, quàm alieno decerpta, etiã uel paulo deteriora. Deniq; si singuli apud Brachelios agri, annuum aliquem censum pro tuo tibi agnoscunt atq; debẽt dominio, æquum est, ut & ego aliquam meorum laborum partem tibi offeram: idq; eo magis, quòd ataui mei, proaui, parentes, à parentibus tuis semper fuerint familiariter dilecti, & eorum patrocinijs adiuti. Iam si aliquid sit placuisse magnis uiris, maximum profectò mihi erit placuisse

tibi. Non enim uulgaria sunt, quæ omnes in te admirantur, ueræ nobilitatis exempla, sed tuis ac Lalaingorum stemmatibus digna, in quibus hactenus nullus fuit, in quo principes (quibus semper fuerunt fidelissimi) aut respublica (pro qua pleriq; sunt periclitati, aliquot etiam mortui) aliquid repræhendere, desiderare potuit: quo factum est, ut uel refragantibus uobis populus per multa secula eximium hoc & præclarum occinat symbolum, ABSQVE REPRAEHENSIONE LALAING. Nec mirum: nam in alijs prosapijs, nunc his, nunc illis aliquis emicuit. Sed in stemmatibus Lalaingorum, nullo unquam tempore desiderium grauissimorum uirorum fuit, sed semper aliquod raræ uirtutis, raræ prudentiæ, in pace, in bello, exemplum resplenduit. Semper domus Lalaing inter prima nomina habita est, nunquam ab instituto Velleris aurei ordine, eo honore caruit. sed quod fuit rarissimum in alijs, in uobis annotatum frequentissimè est, ut duo, tres, ex uestra familia eodem decorarentur munere. Sic is honos in optimũ uirum D. CAROLVM Comitem à Lalaing, patrem tuum, & illius germanum fratrem D. ANTONIVM Comitem ab Hoochstraten est collocatus: & quasi id perpetuũ esset uestræ familiæ priuilegium, idem rursum & tibi, & fratri tuo Philippo Comiti ab Hoochstraten contigit. Sed hæc fortassis ad dignitatem & antiquitatẽ uestrorum stemmatum. Prudentiæ uerò uestræ attestantur quæ gessistis & obijstis munera. Ferè enim semper aliquis ex familia uestra fuit, qui inter tres primos totius consilij proceres locum habuit. Sic ne longius digrediamur, quem locum prudentissimè seruauit patruus

truus

truus tuus D. ab Hoochstraten gubernante D. MARGARITA, eundem tu tenuisti iam longo tempore regente Serenissima Hungariæ Regina D. Maria ab Austria. Neque ijs terminis honores uestri circunscripti sunt: merebatur & fortitudo uestra sua munera, ut Inuictissimus Imperator, fratrem tuum Comitem ab Hoochstraten, strenuũ uirum strenuæ Geldrorum genti iamdudum præposuerit: te uerò nuper, defuncto maximo uiro D. PHILIPPO de Croy Duce Arschotensi, nobilissimæ Hannoniæ præfecerit. Neque scio, in quem hanc prouinciam melius transferre potuisset. omitto enim literas tuas, multam legum peritiam, ingenium: tanta est humanitas tua, prudentia, modestia, clementia, & liberalitas procul ab omni auaritia, ut inferiores omnes te colant, æquales citra ullam inuidiam admirentur, adament. Neq; uereor, ne nunc quis me assentationis arguat: Nam quæ in hac inferiori Germania omnibus nota sunt, ego possum absq; ulla assentationis specie, per totam Europam declamare, & tu modestè audire. Quippe de secretioribus animi tui dotibus, uirtutibus, temerarium est aliquid loqui aut dicere: satis mihi est & commentationis & nuncupationis nostræ qualescunque causas reddidisse: quibus postrema accedit, ut agro tuo Brachelio (non ignobili apud Gandauum pago) ex te potius quàm ex me aliquid luminis adferam, & mihi quoq; accommodem. Precor ergo clementissime Comes, ut hoc qualecunq; serui tui Brachelij munusculum, læta frõte accipias, ac inter reliquos tuos libros colloces, perpetuum mei erga te studij testimonium, & nunquam periturum mnemosynum. Louanij. M. D. L I.

INDEX RERVM AC VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

A

Borsus unde, & à quibus timendus 410
Aborsꝰ causę externę nullũ mensem sibi determinant: internæ certũ ferè tẽpus seruãt 410
Aborsus signum 415
Aborsum citant non quæuis diuretica, sed sub forma potionis exhibita 281
Aborsum qua ratione motus animi prouocet 280
Aborsum quomodo medicamentum ꝓuocet 280
Abscessꝰ ex cruda materia diu durãt 331
Abscessus potius fiunt circa articulos, quàm in ipsis articulis 314
Abscessuum duo modi 496
Abscessuum nutrientium causa 323
Accessio 43
Accessiones in pleuritide uariæ 53
Accidentia aliquando incerta 48
Accidentia cur aliquãdo ante finẽ morbi incrudescant 480
Accidentia in statu maxima 32
Accidentia labefactant concoctionẽ 36
Accidentia particularia paulatim imminuuntur 32
Accidentia potius signa sunt morbi præcipitati, quàm causæ 47
Accidentia quædam sunt quæ morbum abbreuiant etiam in melius 47
Accidentia simul inuadẽtia speciẽ morbi declarant 50
Accidẽtia specialius horam accessionis prænuntiant, quàm ipsi morbi 54
Accidentia uniuersalia crescunt 32
Accidẽtia Hippocrates continuit incrementorum nomine 48
Accidẽtia minuit imperfecta crisis 177
Accidentium distinctio in tres differentias 50
Accidentiũ diuersorũ, quę importunas purgationes sequuntur, rationes 133
Accidentium fortitudo sæpe ægrum interimit in statu 177
Accidẽtiũ magnitudo an salutẽ citet 161
Accidentium magnitudo potest morbum breuiorem ostendere, sed non potest salutem accelerare 480
Accidẽtiũ magnitudo in tribꝰ cõsistit 32
Accidentium magnitudo mortem citare potest, salutem uerò nequaquã 27
Acrochordones uerrucis similes 268
Adeps uentriculi calorem auget 184
Adiposi nullam purgationem admodũ tolerant 288
Adolescẽtia an tẽperatior iuuẽtute 251
Adolescentia calidis & humidis molesta 222
Adolescentia & iuuentus tabi per se ambæ obnoxiæ 379
Adolescentia extrema sola temperata est 251
Adolescentia utpote temperata per se nullos morbos parit 274
Adolescentibus uinum modicè conceditur 222
Aeger aliquando in statu moritur 176
Aeger raro moritur in statu, plerunq; in principio aut augmento 83
Aegris cibus subtrahi debet quantum ferre possunt 514
de Aequinoctiali disputatio Neotericorum 242
Aër magis quàm uictus corpora immutat 229
Aër mollis etiam infirmat 385
Aër temperatus, & uictus mentem excitant 385
Aër ubiq; ferè plurimam sibi uim uendicat

dicat 287
Aëris magna intemperies epidemias facit 217
Aëris status nullus immodicus multam euacuationem tolerat 465
Aestas aliquando mortales morbos producere potest 168
Aestas humida magis sudorem mouet, q̃ sicca: idq; duabus rationibus 228
Aestas ijs, qui ex siccitate contabescunt, peior autumno 232
Aestas senibus plus confert, q̃ uer 251
Aestatis morborum sex genera 256
in Aestate plures funduntur sudores, q̃ in uere 228
in Aestate uictus debilis, sed materia soluta 231
Aestus mult' phlebotomiã ꝓhibet 286
Aetas consistẽs & iuuenilis, à uigesimo quinto, usque ad quadragesimum 58
Aetas iuuenilis obnoxia morbis ex quolibet humore 275
Aetas unaquæque suum patitur genium 222
Aetas uincit epilepsiam ex pituita 202
Aetas uirilis consistens 275. 474
Aetates aliquando, intemperaturæ, & morbi, oẽs gaudent contrarijs 221
Aetates cum morbis & intẽperaturis cõparare oportet 222
Aetates duas uno uerbo compræhendit Hippocrates 273
Aetates quatuor 58
Aetatum sectio magis exquisita 275
Affectus animi 340
Affect' diuersi se inuicem auferunt 203
Affectus frigidus materiam suam ferè traducit per uentrem 359
Affectus in gutture soli subito strangulant 315
Affectus particularis citra totius multitudinem 429
Affectus similes plerunq; securiores 181
Agesilai prudentia 209
Alacritas naturalis appetitus requirit hepatis & extremorum integritatẽ, nedum uentriculi 180
Alexander distentionem passus est post quã lauisset se in fluuio Cydno 386
Alexander nexus loramentorũ excidit, expedire non potuit 158
Alexipharmaca uenena potius frangunt quàm attrahunt 92
Alexipharmaca an conueniat bibere, an foris apponere 92
Alimentum discribitur, pro morbi diuersitate 36
Alimentum longè ante accesionẽ dandum 45
Alimentũ magis sequitur proportionẽ caloris, quàm difflationis 54
Alimentum omne suum habet excremẽtum 148
Alimentum partibus feriantibus excidit 476
Alimentum potestate humidum non quidem illud quod potest humectare, sed in humidam corporis nostri substantiam abire 135
Alimentum prauum ulcera parit 409
Alimentum semper relinquit aliquid excrementi 36
Alimentum simillimum promptissimè conuertitur 136
Alimentum simul cum uiribus morbum auget 17
Alimentum solidius conuenit in hyeme 80
Alimentum solidius pertinaciorem facit carnem 136
Alimentum solidum cõuenit quibusdã patientibus atrophiam 427
Alimentum tam in puris quàm impuris corporibus uires frangit 515
Alimentum uberius in morbis ex corruptione conuenit 134
Alimenti concoctionem ubiq; obseruare oportet 292
Alimenti copia morborum puerilium causa 266
Alimenti & excrementi eadem ratio in uentriculo 369
Alimenti proportio pro ratione caloris naturalis 66
Alimenti ubique & excrementi quædã proportio 369

Alimen-

Alimenti uicissitudines 73
Alimenti uicissitudines iuxta consuetu dines 73
Aloë diu opus suum differt 298
Alopecia areæ species 457
Alteratio unaquæque suũ prodit excrementum 68
Aluus non solùm materiã in surditate reuocat, uerum etiam euacuat 343
Alui fluxus periculosus in omnibus extenuatis, plerunque lethalis 383
Alui profluuium duobus modis obest 400
Alui profluuium sæpe natura dolore exoluta 266
Amazones cur sibi dextram mammã amputarint 500
in Ambiguis semper inclinare oportet in partem securiorem
Ambulatio ante cibum stringit, post cibum uentrem ducit 296
Ambulatio superiores nedum inferiores purgationes citat 296
Angina ex quouis humore 261
Angina in pulmoniam 379
Angina pessima 315
Anginæ uariant admodum 459
Anima in sanguine 219
Animi affectus ex eadem causa sese inuicem augent 203
Animi defectus in boulimo 155
in Animi defectu omnia intro ad cor rapiuntur 511
in Animi deliquio multa inæqualiter geruntur 510
Animi dolor obscurat dolorem corporis 126
Anticipatio & cũctatio per se incerta 48
Antiochus medicus 386
Anxietas nascitur ex totius corporis imbecillitate, & uẽtriculi afflictione 509
Aphorismi mysteria habent, techna generalia 1.
Aphorismi breues quidem & succincti, sed qui totius rei medicæ in se summas cõtineant, ac plura semper, quàm speraueris, demonstrent 516
Aphorismi præsagiorum habent cõpendium 329
Aphorismorum breuis dictio, sed multa sententia 1
in Aphorismis neq; ordo admodum seruatur, neq; memoria 401
Apophlegmatismi magis conueniunt in pituitosis 440
Apoplecticorũ & exolutorũ differẽtia 311
de Apoplecticorum spuma, uide in Spuma.
Apoplexia & epilepsia morbi similimi, phantasia tamen diuersissimi 192
Apoplexia & epilepsia morbi similimi, diuersissima habent symptomata 198
Apoplexia & iugularium interceptio eadẽ ferè cõmittit symptomata 375
Apoplexia fortis non solet per se relinquere 375
Apoplexia fortis quarto die interficit 468
Apoplexia in senibus 199
Apoplexia rara ex inflammatione 193
Apoplexia secunda, in qua spiritus altus 193
Apoplexia sola ex morbis acutis seniores deijcit 279
Apoplexiæ duplex occasio 192
Apoplexiæ & epilepsiæ differentia iuxta Galenum 198
Apoplexiæ futuræ signa 473
Apoplexiæ generatio 198
Apoplexiæ magnæ aut fortis definitio 193
Apoplexiæ materia magis grauat, epilepsiæ uerò magis prouocat 199
Apoplexiæ quarta differẽtia, in qua anhelitus æqualis relinquere potest. & hæc ferè decedit in paralytim alterius lateris 194
in Apoplexia, tertia anhelitus paruus & inæqualis 193
in Apoplexia patiuntur uentres & cerebri corp⁹. In sopore & epilepsia uẽtres 117
Apoplexim facit alterius uentriculi affectus 195
Appetitus augetur frigiditate, tollitur caliditate 480

Appetitus manet diu in pleno corpe 12
Appetitus nusquã magis constat, quàm in quartana 290
Aqua calida ad suppurationem tantùm affundi debet 391
Aqua calida confert inflammationibus & ulceribus 391
Aqua calida partes incalfactas clam refrigerat 392
Aqua calida quarundam partium intemperiem corrigit 391
Aqua calida rigorem soluit 387
Aqua diuersa facit diuersa diuerso modo adhibita 392
Aqua & flatus quare permiscentur 294
Aqua & uinum mutuam sibi inuicem operam præbent 509
Aqua fontana optima 396
Aqua frigida affusa subito calorẽ prouocat 390
Aqua frigida magis resistit suppurationi, quàm concoctioni 389
Aqua frigida multis modis inflammationes iuuat 394
Aqua frigida per accidens conseruat frigida 388
Aqua frigida per accidens indurat 389
Aqua frigida rigorem facit 387
Aqua leuissima, quæ p corpus abit 395
Aqua pluuia an sit optima 395
Aqua pluuia per se uiuax 396
Aqua pluuia respectu marinæ optima, & simpliciter leuissima 396
Aqua optima leuis, dulcis, & ad concoctionem omnium rerum pulcherrima 395
Aqua uino quodam modo uires addit 509
Aqua urinam auget, non autem citat 135
Aquæ bonæ conditiones multæ 396
Aquæ frigidæ tria commoda ante ulcera 393
Aquæ motæ cõspect⁹ uomitũ ciet 296
Aquæ nomine omnis humor alius à sanguine auditur 440
Aquæ ex distillatione ferendæ 132
Aquilo corpora impura afficere potest, pura uerò admodum rarò 227
Aquilo melancholiam auget & bilem 241
Aquilo potius noua symptomata, quàm nouos morbos parit 226
Aquilo non statim offendit, sed temporis spatio 227
Aquilo non tantùm humidis, sed & modicè siccis confert 241
Aquilonis & Boreæ discrimen 225
Aquilonis frigiditas magis præcellit q̃ hyemis 240
Aquilonis leuiora incommoda 249
Areæ ex omni humore, frequenter ex melancholia 457
Areæ duæ species, ophiasis & alopecia 457
Ars medica omnibus alijs sciẽtijs difficilior & prolixior 4
Ars naturam imitatur, nunquam assequitur 278
Articuli etiam suum habent superfluum 405
Arteria difficilè coit 488
Articuli frigidi 466
Articuli imbecilles aut ex natura aut ex uictu 452
Articuli uino & Venere offenduntur 453
Articulis dupliciter superfluitas modica utilis 475
in Articulis multa superfluitas 475
Ascarides parui, lumbrici rotundi 269
Ascitis sanguinis superfluum fluxũ, tympanites uerò uentris fluxũ seqtur 293
Ascitis & tympanitis differentia 294
Asiani 210
Assidentium genus secundũ morbi morem significat 51
Assidentia morbi arguunt magnitudinem 51
in Assuetorum naturam paulatim trãsimus 208
ex Assumptis qui non proficit, uel plus æquo sumpsit, uel uitio ueteri laborat 128
Asthmata ac difficiles tusses hic frequentius quàm alibi contingunt 268
Asthmata in autumno 260

Asthmata magis congruunt autumno q̃ hyemi 261
Astra, aër, & id genus alia 171
Astra sua potentia masculum aut fœminam faciunt 500
Atheniensis anus 147
Athletæ an naturaliter appetant 11
Athletarum habitus sæpe adeo molest⁹, ut sensibiliter nihil posit adijci 11
Athletarum nomine plenitudinem Hip. intelligit 14
Athletarum plenitudo præsens remediũ desiderat 13
Atrophiæ & famis caninæ diuersa curatio 156
Atrophiam per tabẽ Hippocrates intellexit 247
Attenuatus nunquam probè nutritur 236
Auditus & uisus, ut alijs sensibus illustriores, ita & facilius offendũtur 226
Auditus post uisum hebetatur 278
Auster caput onerat, Aquilo exonerat 227
Auster & Septentrio inter uentos maximè contrarij 225
Auster humectat atque implet 225
Austri incommoda 249
Autumnus ad interiora humores mouet 482
Autumnus calidis & humidis naturis prodest 232
Autumnus duobus modis opportunus ad morbos acutos 231
Autumnus hecticis ex ulcere pulmonis grauissimus 232
Autumnus idoneus ad parandum succum melancholicum 258
Autumnus parientibus minus periculosus 236
Autumnus uires colligit 232
Autũni morborum quinq; genera 260
in Autumno omnia cõcurrunt ad morborum perniciem 231

B

Balbutiei uariæ causæ 456
Balneum 500
Balneum citra fluxum sanguinis sæpe exoluit 386
Balneum egregiè medicatur quosdam capitis dolores 392
Balneũ frequens corpus effœminat 385
Balneũ frequens, præcox senectus 386
Balneum pulchrè reuellit fumos à capite 455
Balneum sanguinem fundit 386
Balneum tantùm proximiora ac tenuiora elicit 244
Biliosi an ægrius ferant ieiuniũ quàm calidi, & humidi 60
Biliosi serius famẽt, quàm sanguinei 60
Bilis appingit urinæ colorem 351
Bilis atra melancholię species 305
Bilis cruda promptius abit per uterum, quàm per uentrem 403
Bilis cur maiorem quàm alij humores rigorem facit 345
Bilis duplici de causa miscetur seroso succo 351
Bilis & alius humor mordax facile uellicant intestina 489
Bilis frequentissime turget, deinde sanguis 93
Bilis nõ quæuis morbum regium facit, tantùm crassior 345
Bilis non semper exacerbatur per tertianam 53
Bilis podagræ commeatum prębet 466
Bilis sola qualitate peccans 10
Bilis solet euadere ad superiora 449
Boli medio tẽpore noctis exhibẽdi 298
Boulimos ab exteriore frigiditate 156
Boulimi definitio 155
in Boulimo fames statim tollitur 156
in Boulimo symptomatum singulorum successio 156
Bubo externus solam diariam facit 337
Bubonem pestilentem non tantùm putrida, sed sępe acuta febris sequit 335

C

Cacochymici ægrè purgationem patiuntur 10
Cacochymia concoctionis uitium sequitur 146
Cęcitatis signa 473
Calculus & lapis morbi difficilimi 437

Calculus in renibus senioribus 269
Caliditas appetitum tollit, frigiditas auget 480
Caliditas & siccitas alienant 489
Caliditas coquit & mutat, & siccitas asseruat 270
Caliditas & siccitas immodica fœtum alimento spoliant ac fraudant 422
Caliditas flatus non generat, sed dissipat 432
Caliditas flatum dissipat, frrgiditas excitat 506
Caliditas magna etiam odorem perdit, præsertim in leuiori materia incidentem 420
Caliditas prima causa delirij, siccitas secunda 482
Caliditas procax 423
Caliditas quare famem tollit 154
Caliditatis & siccitatis differentia 116
Calidum duobus modis emollit 392
Calidum permistum frigido facile flatum suscitat 259
Calidum rarefacit 248
Calidum urit integra, frigidum uerò dũtaxat exulcerata aut tenera 389
Calida & humida corpora plus requirũt alimenti, q̃ aër calidus & humid⁹ 71
Calida substantia ubi est copiosior, ibi & calor copiosior 62
Calidus uiuacior frigido est 197
Calidi & humidi & promptè & multum difflantur 59
Calidi in iuuentute periclitantur 262
Calidis & humidis autumn⁹ ꝓdest ibid.
Calidis & humidis molesta adolescentia 222
Calor & humiditas similares hyeme decrescunt 66
Calor & mouet, & substantiam aquosã in spiritum mutat 195
Calor eximiè magnus bilem gignere nequit 358
Calor externus an per se soluat ea, quæ naturaliter continẽtur in corpore 69
Calor externus omnia difilat sine discrimine, naturalis uerò magis excremẽta & substantiam 69
Calor fœtorem prodit 380
Calor minus coactus in regionibus tẽperatis 70
Calor modicus sicut non tolerat multũ alimentum, ita neq; multus paucũ 80
Calor naturalis cũ putrido pmist⁹ 204
Calor naturalis naturæ uocem subit 219
Calor naturalis sæpe maior, ubi imperfecta, q̃ superflua fit concoctio 67
Calor non est innatus, qui à natiuitate est nobis infusus, sed & omnis alius naturalis 62
Calor omnis extenuat 169
tam Calor quàm frigus aliquando subito mordet, tussim, singultum, & sternutamentum mouent 442
Calor substantiam solidam difflat, & sanguinem in substantiam commutat 6
Caloris proprium dissoluere 250
Calorem suffocans multiplex causa 13
ex Calore naturali oĩa dependent 500
Caluitium in fine morborum 457
Cancer ex solo succo melãcholico 454
Cancer morbus in formam cancri 459
Cancer simplex, elephantiasis contagiosus 459
Cancri ulcerati pertinacia & perplexitas 460
Capitis dilutio 500
Capitis doloris remedia 440
Capitis dolores 239
Capitis & pręcordiorum dolor in acuta febre periculosus 349
Capitis in externis uulnerib⁹ casus 504
Capitis uulnera 485
Καρδιωγμὸς 348
Carnosi solidi 197
Caro grauem dolorẽ patitur 436
Caro renum in fibras quasi pilos resolui tur 363
Carnositas bona est 215
Carnosi uegetes 197
Carunculæ 309
Carunculę ex solis renibus 362
Catalepsis à tetano differentia 118
Catalepsis, congelatio, distẽtio, morbi proximi 339
Catalepsis definitio 339

Catalep

Catalepsis fortè eadem cum Neotericorum congelatione 117
Catarrhi causa sola frigiditas 189
Catarrhi nomen generale & confusum admodum apud Neotericos 189
Catoche & Subet idem 117
de Catoche & Catalepsi aliquot difficultates 116
in Catoche & Catalepsi posterior uentriculus patitur 117
in Catoche impotentia & flacciditas, in Catalepsi uerò rigor 117
in Catoche permista uigiliæ & soporis symptomata 117
Cato milites suos lauari uetuit 385
Causa tenuis partem mutare potest, totũ uerò non potest 319
Causa uariat ꝑ diuersitate subiecti 412
Causam prius, quàm effectum oportet excindere 388
à Causa iterna quæ fiũt, sæpe redeũt 190
Causæ externæ 170
Causæ semper fortiores internæ quàm externæ 186
Causis uarijs concurrentibus, difficile est unam perstringere 3
Cerebrum, cor, hepar, à suis exercentur operibus 446
Cerebrum luculentius & calidius habẽtes, ferè multa somniant, præsertim à crapula 264
Cerebrum sæpe ab alia parte uiolatur, q̃ feritur 485
Cerebri cõstãtiã arguit uigor mẽtis 180
Cerebri infarctionem totius corporis torpor sequitur, sed non potest concuti corpus uniuersum uellicato cerebro 200
Cerebri simplicem intemperaturam delirium simplex sequitur 470
in Cerebro inflammatio rara 192
Cerebro icto cur sequatur uomitus 468
Cerebro onerato perit uigor omnium operationum animalium 228
Cerebro perculso ferè & commouetur stomachus 468
Cereuisia an cõueniat in principio mẽse 154
Cholera 276
Cholera acutior quàm intestinorum leuitas 434
Cholera an sit attenuanda 10.132
Cholera attenuationis eget 89
Cholera cruda subinde fluxibilior melancholia concocta 304
Cholera deiectionis causa 152
Cholera simplex calidior apparet pituita putrefacta 435
Cholera sola amara est 300
Choleræ familiare stomachum mordere 299
in Cholera exhauritur uniuersum corpus 434
Cibus securior in statu, quàm principio 44
Cibus longissimè ab accessione 43
Cibus sanis tantus conuenit, quantum concoquere possunt: ægris eundem quantũ licet subtrahere debemus 514
Cibi pars quædam in lotium abit 369
Cibi quantitas magis molesta 145
Cibo crudo infarcto medicamentum prompte à uenis trahere nequit 298
Cicatrix durior reliqua carne 441
Circulus in urina præcipuè attendendus 284
Clysteres materiam fluentem ad cerebrum reuocare possunt, illapsam elicere nequeunt 103
Coctionem contemnit omnis externa resolutio 169
Colica non est morbus acutus 162
Colicus & lumborum dolor frequẽtior in hyeme 260
Collicatio fit affatim 492
Collicatio uniuersi corporis paulatim, renum uerò affatim 495
Collicationis ordo 127
Color fallere potest 408
Color glaucus 278
Color humorem prodit 284
Color liuidus, extinctionem significat 305
Color uiridis, adustionem denotat 305
Colores duo diuersi in eadem parte esse possunt 292

Colores praui 305
Colorum uarietas diuersorum diligentem purgationem significat 305
Commẽtatio optima, quæ est generalissima 14
Cõmistiones uariæ, præsertim frigidorum, uim exoluunt solutiuorum 104
Commutatio & rerum uicissitudo corpus obdurat 210
Conceptionis signa 407
Concipientis uenter mediocris esse debet 407
Concocta nunquam malè exeunt 326
Concoctio & putrefactio simul ferè promouent 31
Concoctio & suppuratio simul procedunt 205
Concoctio in augmento manifesta, in statu perfecta 95
Concoctio manifesta augmentum declarat, perfecta statum 49
Concoctio manifesta suos habet gradus 356
Concoctio multa in uentre auget lotium 369
Concoctio potius refertur accepta carni hepatis quàm ipsius uenis 351
Concoctio quædam fit inspissando 369
Concoctio quare magis affatim in statu quàm alibi
Concoctio extenuatio 89.132
Concoctionis cibi & uaporum proportio quædam 118
Concoctionis & cruditatis signa 52
Concoctionis infelicis signa in uentriculo 147
Concoctionis leuissimum signum 356
Concoctionis uitium cacochymia sequitur 146
Concoctionem humorum tantùm benignarum existimantes, meritò ridentur 89
Concoctionem præcedit accidentium principium 173
à Concoctione manifesta usq; ad perfectam in acutis fere interuallum triũ dierum 166
Conditiones frigidę morbos producũt, calidæ abbreuiant 47
Conditiones legitimæ biliosæ phlebotomiam non ferunt 291
Conditionum circunstantium qualitatem non minus decet æstimare quàm quantitatem 47
Confectio exquisita in hepate parum relinquit urinæ 369
Coniecturæ subinde incertæ 360
Conseruãtia nos, & specie & modo qualitatis, debent esse similia 220
Conseruatio requirit similia actu 388
Consilium in omnibus rebus controuersis 39
Constitutio breuis Aquilonia corpora emendat, longior uitiat 248
Constitutio diaria & breuis 248
Constitutio humida duabus de causis febres longas parit 246
Constitutionum differentia 239
Consueta agilia & mollia, dissueta rigent 208
Consuetudo aliquid habet momenti uel in inanimatis 211
Consuetudo facit, ut immodicum appetatur 12
Consuetudinem tantum mutare oportet, quantum est mutata natura 211
Contemplatio magna sæpe somnũ adducit 114
Continui solutio manifestè sentitur 124
Controuersijs omnia obnoxia 2
Conualescentia melior cum appetitu cõiuncta, quàm quæ eo destituitur 178
Conualescentium differentię 128
Conulsio 427
Conuulsio aliquando sequitur multam euacuationem, distentio nunquã 372
Conuulsio epilepticorum à natura 200
Conuulsio ex cerebro, ex ore uentriculi, ex membro aliquo extremo 201
Conuulsio ex frigiditate uidetur alia à conuulsione ex inanitione, plenitudine, aut morsu 386
Conuulsio ex siccitate mortalis 487
Conuulsio extemporanea 373
Conuulsio in uulneribus rarò ex plenitudine sequitur 373

Conuulſio morbus inſtrumentalis 338
Conuulſio potius euacuationem quàm morſum ſequitur 373
Conuulſio potius ex melãcholia, quàm pituita 431
Conuulſio ſæpius ex melancholia, quàm pituita 499
Conuulſio ſequitur non niſi potentiora medicamenta 372
Conuulſionis cauſa in epilepſia 199
Conuulſionis cum ſingultu comparatio 200
Conuulſionis materia Galeno plerunq; frigida & uiſcoſa 169
Conuulſionis ratio in epilepſia, iuxta Galenum 198
Conuulſionis tres differentiæ, & earundem qualitates 371
Conuulſionis tres ſpecies 386
Conuulſionis uulgares differentiæ quatuor 201
Conuulſionem ex ſiccitate ſuſpectam habet Hip. 371
Conuulſiones diuerſæ, continuæ, & interpolatæ 200
Conuulſiones epilepticorum interpolatæ 200
Conuulſiones in partem poſteriorẽ frequentiores 427
Conuulſionum modus pro humoris differentia 201
Conuulſiones quare potius patiuntur ſubitò euacuati, quàm hectici 372
Copia in hyeme comparat uiciſcitudines in æſtate 80
Corpus affatim exiccatur uſq; ad pubertatem, poſtea paulatim 202
Corpus eo magis contabeſcit, quo ſplen magis intumeſcit 258
Corpus laxum infirmum, coactum firmum 248
Corpus nullum in omnibus partibus tumorem concepit 339
Corpus obduratur cõmutatione, & rerũ uiciſsitudine 210
Corpus patiens redditur inſuetis contrariæ fortunæ 210
Corpus tam temperatum, quàm intemperatum, uarietatem quandam poſtulat 210
Corpus ubique prouocandum ante partem 398
Corporis fluxibilitas in duobus conſiſtit 131
Corporis natura ubique expendẽda 14
Corporis noſtri triplices partes 136
in Corpore temperato plus ſediminis, quàm bilioſo 68
Corpora impura 75
Corpora in Europa maiora 215
Corpora noſtra etiam tempore æſtatis melius ferunt inferiorem, quàm ſuperiorem purgationem 289
Corpora noſtra paulatim degenerãt 215
Corpora quædam intemperata morboſis cauſis per accidens magis reſiſtũt, quàm temperata 210
Corpora quatuor ſunt, quæ mutationem patiuntur 212
Corpora repleta celerrime ſeneſcunt 13
Corpora ſola ægra repentinam ac multam mutationem tolerant 212
Corporum & medicamẽtorum triplex differentia 298
in Corporibus impuris quo uirtus eſt fortior, eo minus conuenit alimenti 74
Cor ad ſe trahit ſpiritum & ſanguinem nõ ſolùm in magnis, ſed & ijs quæ affatim incidunt doloribus 341
Cor, cerebrum, hepar, à ſuis exercentur operibus 446
Cordis imbecillitas hominem ſubito tollere poteſt 190
Cordi cum internis uiſceribus omnibus facilis communicatio 335
Corneæ corrugatio 333
Corruptio duplex 76
Corruptionis duplex occaſio 133
Corruptionis multæ cauſæ 75
Coxa in omnem partem excidit 475
in Coxendice repellentia obſunt 475
Coxendicum dolores in autumno 259
Coxẽdicum dolores recuſant repercuſſiua 394
Crapula & uoracitas differunt 455

Crassi admodum, hoc est pingues 197
Crassi dupliciter dicuntur 197
Crassissimi offenduntur promptius 266
Crassitudo frigiditatem, carnositas humiditatem significat 197
Crassitudo mala est 215
Cremor iuris refrigerati 356
Crisis bona fieri nequit in septimo, nisi præcesserit concoctio in quarto 164
Crisis extra paroxismum morbum pro cacem significat 311
Crisis imperfecta 328
Crisis imperfecta accidentia minuit 177
Crisis in paroxismo 311
Crisis mortalis 329
Crisis nulla subita fit per sputum 327
Crisis omnis bona in statu 83
Crisis præcox 328
Crisis una per uarias simul euacuationes 343
Crisis causæ 52
Crisis imperfectæ uaria fortuna 325
Crisis signa 32
Crisis tempus breue 139
Crisim imperfectam rigor in augmēto significat 325
Crises bonæ malis certiores 164
Crises in diebus paribus 312
Crises, secundum quosdam, plures noctu, quàm interdiu fieri putant 138
Cruda concoctionem, minimè uerò deiectionem requirunt 515
Cruditas alimentum recusat 41
Cubiti & femoris exterior pars magis hirta, quàm interior 430
Cucurbitula duntaxat quasdam mensiū eruptiones reuellit 413
Cucurbitulam magis implet multa flamma, quàm candela 413
Cunctatio & anticipatio per se incerta 48
Cunctationis, & similis accessionis eadem fere causa 312
Curatio debet esse securissima, citissima, & iucūdissima 13
Curationis difficilis tres causæ 446
Currus & nauis peculiariter uomitum cient 296
Cutis arida 432
Cutis humida 432
Cutis perfusionē humorum indicat 10

D

Debilitas magna ubiq; mortem minatur 323
Declinatio fallax 372
Declinationis particularis differētia 28
in Declinatione uniuersali nemo moritur 82
Decrepiti edaces 120
Decrepiti licet parum alimenti postulent, tamen ieiunium non tolerant 58
Defectus animi sæpe fluxum sistit, tantum abest, ut semper mortalis existat 417
in Defectibus animi retractio ad interiora, & quædam oris ac manuum contractio 372
Deglutiendi difficultas in simplicibus febribus mortalis 316
Deiectio atræ bilis in principio mortalis, reliquorum humorum sæpe citra periculum 305
Deiectio cum stridore mala 7
Deiectio multa potius est signum impatientiæ morbi, quàm fortitudinis naturæ, in extenuatis, & ante concoctionem 444
de Deiectione plura in Excrementis.
Deiectiones debent ire affatim 7
Deiectiones expertes serosæ superfluitatis 480
Deiectiones frequēter uenire possunt, sudor uerò affatim 478
Deiectiones frequentes & assiduę ulcus in inferioribus arguunt 309
Deiectiones frequentes & paucæ malæ 97
Deiectiones nigrę in febribus acutis cō coctionem simul cum expulsione redarguunt 307
Deiectiones simplices 141
Deiectiones syncerae 141
Deiectiones syncerae Galeno quæ 490
Deiectiones syncerae periculosæ 140
Deiectiones uariæ difficilem affectum, sed fortem uirtute ostendunt 143

Deiecti

Deiectionibus synceris opponũtur mistæ, simplicibus uariæ 141
Delapsa minus molestant, quàm in gutture suspensa 315
Deliquiũ animi potius quàm animæ 97
Deliquij & syncopæ ratio 97
Delirium & rigor aliquando inuicem succedunt, aliquando simul fiunt 481
Delirium ex bile negotiosum 741
Deliriũ ex cholera adusta temerariũ 471
Deliriũ ex melãcholia cum timore 471
Delirium graue, quod post somnum manet 349
Delirium sæpe timor, in febricitantibus ferè tremor præcedit 451
Delirium simplex simplicẽ cerebri intemperaturam sequitur 470
Delirium unica tantum ratione per se ossis præcisionem sequitur 489
Delirij duæ causæ 482
Delirij prima causa caliditas, secunda siccitas. contrario modo se habet uigilia 116
Dementia ferina aut temeraria 449
Dentes affatim erumpẽtes grauissimos dolores mouent, inflammationes, ac febres, conuulsiones 266
Dentes canini maiorem dolorem mouent, quia acutiores 265
Dentes carent sensu per se 265
Dentes renascuntur 265
Dentium diuersum opus 265
Dentium lentor quid significet 333
Dentium natura 265
Dentium numerus 265
Dentium stupor 265
Denuntiationis periculosæ signa 473
Desipientia cum singultu 482
Dies criticus iudicat 164
Dies impares paroxismos in pares mutant 317
Dies index aut contemplabilis indicat 164
Dies opportunior ad sudorem quàm nox 320
Dies quadragesimus ab initio eruptionis 385
Dies quartus index 164
Dies septimus iudex ibidem
Dies interuallum supputant 348
Difflatio in hyeme melior, in æstate maior 68
Difflatio uincit in senibus 63
Difflationis multitudo aliquando impotentiam sequitur 63
Digestionis & sudoris uariæ causæ 320
Diligentia sæpe obcęcat 217
Disputare quàm dissimulare mallens, uenia dignus 270
Dissimulare, est inscitiæ 33
Dissimulare nihil decet 492
Dissueta rigent, consueta agilia & mollia 208
Distentio 427.162
Distentio fluxum nõ sequitur 417
Distentio morbus acutus 377
Distentio morbus rarus, ac difficilis definitionis 375
Distentio rarißimus morbus 339
Distẽtio rarò sequitur euacuatiões 482
Distentio suppurationem sequitur 204
Distentio tribus modis, conuulsio quatuor euenire potest 485
Distentum semper est extensum 338
Distillationes 139
per Distillationes intelligere apparet fluxiones ad iugulares arterias, aut spinalem medullam 237
Dolor ad phãtasiam nihil pertinet 124
Dolor affectus uirtutis phantasticæ secũdùm aliquos 123
Dolor animi obscurat dolorem corporis 126
Dolor animi sæpe dissimulat dolorem corporis 203
Dolor an sentiatur 123
Dolor distiguit differẽtias humorũ 436
Dolor facit particulam opportunam fluxionibus 315
Dolor in ijs, quæ concoquuntur, relinquit paulatim, in ijs uerò quæ suppurantur, affatim 205
Dolor in uẽtre faciliorem curationem recipit, q̃ dolor sub peritoneo 293
Dolor mediocris humores ad se uocat 340

Dolor minor obscurat maiorem aliquando ex parte 203
Dolor multus purgationem accusat 7
Dolor nihil habet commune cum appetitu 124
Dolor non est proprium sensus obiectum 124
Dolor non est sensus, aut, ut loquuntur, sensatio 124
Dolor præcordiorum & capitis magnus ac continuus in febre acuta periculosus 349
Dolor secundò sentitur 124
Dolor sensibilis per se 124
Doloris capitis remedia particularia 440
Doloris parui & magni causæ diuersæ 506
Dolorem punctilem membranæ, grauē caro patitur 436
Dolores aliquando occulti 323
Dolores capitis 239
Dolores coxendicum 259
Dolores coxendicum recusant repercussiua 394
Dolores duo in una parte exquisitè sese inuicem augent, in diuersis locis se inuicem extenuant 202
Dolores & conuulsiones in inflammationibus periculo uacant 348
Dolores interiores grauiores & periculosiores 437
Dolores mediocres accendunt, magni exanimant & infrigidant 490
Dolores respectu uirium duplices 100
Dolores soli ex inflammationibus talē phlebotomiam expostulant 100
Dormientes uel tempore sanitatis subinde sese in principio somni retrahunt 349
Dormiunt quidam minus, quidam profundius à poculis 349
Dyarrhœam ferè facit pituita 248
Dysenteria hepatica 462
Dysenteria splenetica 466

E

Ebrietas temporanea insania 481
Ebrij & pueri rarius quàm senes offenduntur, quia pleni 510
Ebrij nimia humiditate balbutiunt 456
Ebrij, sæpe media nocte sitiunt 397
Ebriorum diuersi mores 471
Effectus sæpe longo post tempore causam sequitur 6
Effœminati alij, infœcundi alij 425
Elementa omnia nusquam manifestius quàm in homine 5
Elementorum euidens contrarietas uitam abbreuiat 5
Elephantiasis contagiosus, cācer simplex 459
Elephantiasis & cancer tantùm ex succo melancholico fiunt 308
Eligmata pectori excogitata 398
Elleborus quomodo conuulsionem ex inanitione faciat 371
Eliquatio raritatis causa 238
Elleborus uterq; uomitum mouet 370
Ellebori uis 293
Elleborum album Galenus nigro præfert 370
Elleborum cur potius Hippocrates prohibuerit quàm alij 299
Epidemia ex magna ueris intēperie 217
Epigastrium in tres partes scinditur 183
Epilepsia & apoplexia cur cùm sint morbi simillimi, diuersa habeant symptomata 198
Epilepsia & apoplexia morbi simillimi, & tamen phantasia diuersissimi 392
Epilepsia frequentior uiris quàm mulieribus 199
Epilepsia in pueris 199
Epilepsia nulla citra conuulsionem 201
Epilepsia raro ex bile 259
Epilepsiæ aliquot differentiæ 201
Epilepsiæ & apoplexiæ differentia, iuxtà Galenum 198
Epilepsiæ signa 473
Epilepsiam aliquando iuuentus expugnat 202
Epilepsiam ex pituita uincit ætas 202
in Epilepsia conuulsionis ratio, iuxta Galenum 198
in Epilepsia materia flatulenta 199
in Epilepsia uentriculi minus obstruuntur

tur 199
Epileptici sæpe uociferantur 200
Epilepticorum conuulsio à natura 200
Epilepticorum conuulsiones interpolatæ 200
de Epilepticorũ spuma, uide in Spuma.
Eradicatio in ipsa parte obitur 86
Error errorem adducit 494
Error externus facilius corrigitur, quàm internus 138
Errores naturales quidam dissimulari possunt: sed qui ad singulorum uitam attinent, publicam redargutionẽ merentur 42
Eruptio interior exolutionem facit 481
Eruptio nusquã prõptius exoluit, quàm quæ effunditur in uentriculum 481
Erysipelas cum ulcere 487
Erysipelas exciso osse 487
Erysipelas pro sua uarietate diuerso modo frigidam postulat 393
Erysipelas rarò suppuratur 487
Erysipelatis diueria expositio 450
in Erysipelate dolor & ulcus sanguinem aduocat 487
in Erysipelate suppuratio mala 487
Euacuatio affatim in accutis tantùm 212
Euacuatio aut naturæ motum aut partis situm imitatur 86
Euacuatio bona in statu 445
Euacuatio immodica quadrupliciter dicitur 14
Euacuatio particularis 283
Euacuatio uniuersalis 283
Euacuatio usque ad deliquium animi, affatim facta, plus refrigerat, quàm eadem paulatim 98
Euacuatio usque ad syncopam sæpe bene fertur 99
Euacuatio usque ad syncopam sæpe inflammationes tollit 98
Euacuatio usque ad syncopam tantùm conuenit in regione temperata 101
Euacuationis communis exempla 147
Euacuationis species 283
Euacuationis species æqualis 283
Euacuationẽ opportunam sæpe grauiores paroxismi sequuntur 285
Euacuationes posteriores à natura, priorem usq; ad syncopã arguunt imperfectam 102
Euacuationum non est eadem opportunitas in simplicibus febribus & inflãmationibus 292
Euentus sensibilis, sed causa difficilis 3
Eunuchi aliquando fiunt podagrici 453
Eunuchi quare sæpius arthretici, quàm podagrici 453
Europei 210
Exacerbatio 43
Excernitur sæpè ægrius res modica quàm magna 442
Excessus omnis temperaturam corrumpit 219
Excoriatio 362
Excrementum biliosum in pectore induit sæpe phantasiam phlegmatis 382
Excremẽtum duplex, alterum in habitu corporis, alterum in uenis 244
Excrementum fœtidum, pingue, indicia caliditatis 326
Excrementum liuidum frigoris, uiride caloris indicium 326
Excrementum nigrum ambiguum 326
Excrementum prauum duplex 325
Excrementum syncerum 325
Excremetum triplex 516
Excrementi & alimenti eadem ratio in uentriculo 369
Excrementi & alimenti ubiq; quædam proportio 369
Excrementi in habitu corporis duo genera 244
Excrementi maligni multiplex differentia 326
Excrementa 284
Excrementa diuerso modo significãt 49
Excrementa fere eò euadunt crassiora, quò ipsa principalis materia sit tenuior 90
Excremẽta in corporis habitu minus requirunt inediam, quàm in uenis 143
Excrementa maligna sæpe bene ueniunt 326
Excrementa obscurè indicant horam accessio

cessionis, diem potius 54
Excrementa pinguia colliquationem significant: fœtida putredinem 141
Excrementorum duo genera 325
de Excrementis uide in Deiectione.
Excretio paroxismum, concoctio amat diem tranquillum 312
Excretiōis tēpus imitat cōcoctionē 148
Exercitari sub cœnam conuenit seruis & impeditis 144
Exercitationi tempus opportunum 144
qui Exercitātur sub cœnam, debēt prandere manè, & leuissimè 144
Exercitium duobus modis somnum cōciliat 114
Exercitium profundius expurgat 244
Exercitij duplex acceptio 206
Exercitij præmaturi incommoda 244
Exercitij serioris noxæ 144
Exercitij utilitates præcipuæ duæ 144
Exercitia diuersa fatigatum recreāt 207
Exiccatio maior in febre ardente, quàm hectica 485
Exolutio ab eruptione interiore fit 481
Exolutiones frequentes, quæ singulis subinde annis recurrunt 190
Experientia ubiq; suffulta ratione, licet occulta 33
Expurgationis suppuratorum tēpus uariat 383
Extenuatio in hydropicis minus periculosa 443
Extenuati multi lac requirunt 427
Extenuatis omnibus fluxus alui periculosus, plerunq; lethalis 383

F

FAmētes facile, & difficilè famem ferentes, ijdem sunt 59
Fames bouina subito incidit 155
Fames canina 155
Fames canina accipitur dupliciter 156
Fames citius in hyeme redit, quàm in æstate 80
Fames difficile patitur inediam 178
Fames morbosa atq; ex frigiditate duplex 155
Famis causa prima nostra iactura 154
Famis caninæ & atrophiæ diuersa curatio 158
Famem quare caliditas tollit 154. item & siccitas
Fastidium multa inducunt 299
Fatigatio Celso lassitudo est: lassitudo uerò, lassitudinis initium 206
Febricula humorem flatulētum potius, quàm multum soluit 468
Febris ad sanitatem multa affert compendia 469
Febris colliquans citra hecticam 493
Febris cum inflammatione primo die purgationē reuulsoriā nō recusat 291
Febris flatus distinguit, & materiam attenuat 359
Febris legitima melior illegitima 322
Febris neque rigorem semper sequitur, neque sudorem semper antecedit uigor 347
Febris non tantùm putrida, sed & acuta sæpe bubonem pestilentem sequi solet 335
Febris per uesicam 359
Febris pestilens non potest fieri ex fece melancholica 304
Febris putrida melior q̄ distentio 340
Febris quartana ex succo melancholico difficilima 258
Febris quartana ex succo melancholico paruum horrorem edit 345
Febris quartana minime periculosa 322
Febris quartana potius siccas quàm humidas naturas tentat 234
Febris quartana, quotidiana, impuriores apparent breuiores 341
Febris quotidiana quare tātùm leuiore frigore percutit 346
Febris quotidiana rarò iudicatur 311
Febris quotidiana rarò sudorem habet 347
Febris secunda conuulsione non corrigitur 169
Febris semitertiana media inter incendentes & succedentes 45
Febris tertiana impura ob materiæ breuitatem finiri potest paroxismo tertio: pura non excedit decimumquartum 342

Febris

XXIII

Febris tertiana leuissima 322
Febris tertiana pura, breuior impura 341
Febris tertiana pura nulla apud nos esse potest 341
Febris ardentis & tertianæ continuæ differentia 340
Febris lõgitudo uarijs modis arguit 312
Febris quartanæ & quotidianæ termini incerti 342
Febris tertianæ exquisitæ breuis diffinitio 341
Febri acutæ capitis & præcordiorũ dolor periculosus 349
Febri nihil exquisite contrarium 159
Febrem ardentem sudor finit, synochũ uerò fluxus sanguinis 341
in Febre ardente magis fit affatim exiccatio, quàm in hectica 485
de Febri hectica, in Hectica.
in Febri promptius cõcoquitur materia morbi, quàm alimentum 35
in Febri quotidiana aliquando uix frigus sentitur 346
in Febri semitertiana leue frigus 346
in Febri tertiana intermittente materia breuior, sed in continua calidior 342
Febres acutæ ferè imparibus diebus iudicantur 344
Febres aliæ à diarijs an bubonem sequi posśint 335
Febres ardentes aut incendẽtes 45.500
Febres cur p certa interualla redeãt 346
Febres etiam lentæ in prægnantibus periculosæ 416
Febres errantes quartanã minantur 313
Febres erraticæ ex succo melancholico 257
Febres ex diuersa materia 48
Febres ex inedia & corruptione 76
Febres ignauæ maiorẽ ostendũt liuorẽ in unguibus q̃ perstringũt dorsũ 431
Febres in statu maiores inflammationes, plerunq; minores 30
Febres lentæ in prægnantibus usque ad partum ferè durant 281
Febres lentæ sæpe in tabem desinũt 53
Febres longæ sæpe ad tabẽ deducũt 322
Febres longiores inter acutas 323
Febres manifestè incipiunt, postea frequentes fiunt 273
Febres multæ ex natura sua in ipsis accesśionibus paulò antè alimẽtum postulant 44
Febres omnes acutæ continuæ, sed non omnes continuæ acutæ 46
Febres pestilentes 500
Febres putridæ grauia desiderant auxilia 500
Febres pituitosæ parum siticulosæ 334
Febres quæ magis exercent siccitate, quàm caliditate 416
Febres succendentes 45.500
Febres tactu medici æquales, respectu diuersarum intemperaturarum inæquales 181
Febres tertianæ, continuæ, & ardentes in æstate 256
Febres tertianæ ex bile, si cholera crasśior uratur: at ex illius adustione quartanæ ueniunt 156
Febrium continuarum tres sunt differẽtię, quæ hãc inæqualitatẽ adferũt 327
Febrium ex bile differentia 256
Febrium diuersarũ diuersa nomina 500
in Febriũ principio motus duplex 107
Febrium typi 345
in Febribus continuis concocta est materia quæ rigorem facit 324
in Febribus intermittentibus typi præcipue 346
in Febribus longis suspectius est medicamentum quàm malum: econtrario in acutis 416
in Febribus magis æstimãda causa, q̃ febrilis intemperatura 182
de Febribus pestilentibus diarijs mala quorundam opinio 337
de Febribus pestilentibus quidam describunt tenuisśimum uictum 76
in Febribus quartanis utilis uomit⁹ 290
in Febribus simplicibus deglutiendi difficultas mortalis 316
in Febribus si sanguinis fluxus contingat, difficilimè curatur 497
in Febribus uenter cogitur 359
Febres acutas urere, cõmune est 328

Febri

Febricitantes sæpe tremunt, priusquam delirant 451
Femoris & cubiti exterior pars magis hirta quàm interior 430
Fibræ 362
Flamma magna citius, q̃ parua strangulatur sub cucurbicula 13
Flatus caliditas non generat, sed dissipat 432
Flatus & aqua quare permiscentur 294
Flatus frigiditate excitatur, caliditate dissipatur 506
Flatus multa turbat 354
Flatus nihilo rarius dextrum quàm sinistrum ilium suspendit 506
Flatus frigiditatem sequitur 494
Flores in cryptis tempore hyemis 412
Fluxiones rheumata appellari solẽt 449
Fluxus alui periculosus in omnibus extenuatis, plerunq; lethalis 383
Fluxus ex singulis humoribus, aliquando simplice intemperatura 276
Fluxus immodicus singultum facit 374
Fluxus inter morbos factos 160
Fluxus omnis diuturnus ferè innaturalis & malus est 8
Fluxus omnis uirtute defecta mortalis est 381
Fluxus non est morbus 160
Fluxus sæpe nouum morbum parit 160
Fluxus sæpe perdurat medicamine expulso 297
Fluxus sanguinis conuenit in surditate ex sanguine 343
Fluxus uentris in surditate biliosa 343
Fluxum immodicum ex utero sequuntur morbi potius alibi q̃ in utero 418
ex Fluxu ferè frigidum tantùm 160
in Fluxibus uteri repercutiẽtia plerũq; periculosa 413
Fœtor distinguit pus uesicæ à pure in renibus 368
Fœtor grauis aëris 380
Fœtor ulcus desperatum significat 380
Fœtorẽ sępe ignis mult⁹ dissimulat 420
Fœtus & matris sanitas requiritur ad legitimum partum 409
Fœtus firmissimè hæret in tribus mensibus 280
Fœtus in utero neq; uitio laborat, neq; multitudine 264
Fœtus in utero raro ægrotat, quia purissimo utitur lacte 264
Fœtus mortuus quare excidat 280
Fœtus primo mense facile manet 411
Fœtus quandiu ualet, non nisi synceriore sanguinis mẽstrui parte utitur 403
Fœtus forma astris referẽ accepta 500
Fœtus pericula 236
Fomentum multum disijcit 455
Fortuna ambigua, & difficilis definitio 342
Frigent quidam sub Aquilone, tamen facie rubent 387
Frigidarũ partium frigiditas augeẽ 227
Frigidi sanguinis fluxum passi 426
Frigidi admodum periclitantur in declinante ætate 262
Frigidi an æstate melius uiuant 220
Frigidi minus pleuritici, quàm pulmoniaci 457
Frigidi raro laborant pleuritide 456
Frigidis senectus tota molesta 222
Frigiditas appetitum auget 480. contrarium facit Caliditas.
Frigiditas & humiditas obstupefaciunt 489
Frigiditas & humiditas uentrem molliunt 151
Frigiditas & siccitas corpus faciunt rigidum 339
Frigiditas & siccitas intemperaturã corrigere possunt: multitudinem absorbere nequeunt 235
Frigiditas & siccitas tam uentrem quàm uesicam difficilem reddunt & astringunt 247
Frigiditas & siccitas quandam desipientiam facere possunt à profluuio sanguinis 481
Frigiditas flatum excitat, caliditas dissipat 506
Frigiditas ĩmodica appetitũ abolet 299
Frigiditas minime idonea ad attrahendum 113
Frigiditas nunc omnem fœcunditatem tollit

tollit, aliquando generationem masculi tantū 412
Frigiditas uirorum rarò offendit fœcūditatem. argumento senes sunt 423
Frigidum an per se conferat 389
Frigidum condensat 248
Frigidum destillationes mouet, & pect⁹ lacerat 394
Frigus extremorum à cibo 481
Frigus extremorū in acutis mortale, in longis securum 477
Frigus primò calorem auget, deinde extinguit 387
tā Frigus quàm Calor aliquando subito mordet, tussim, singultū, & sternutamentum mouent 442
Fumus citius quàm uapor in flammam uertitur 271
Fumus sanguinis cæteris splendidior, mitior: ita & somnia, & deliria facit iucundiora 471
Furor ex melācholia mordace 479

G

Galeni cōmentatio sæpe perfunctoria 19
Galeni loca aliquot, quæ conuulsionē in epilepsia à natura fieri indicant 199
Gangræna aut sphacelus 504
Genera sæpe sunt contraria, quanuis species contrarias desiderent 159
Genuum grauitas in cachecticis 303
Genuum grauitas non omnis nos ad purgationes inferiores inuitat 302
Genuū grauitas trib⁹ modis euenit 302
Glabricies etiam proximas partes sordescere significat 436
Graciles admodum, utpote tabidi, parū uiuaces 197
Graciles aut macilentos cur potius dixerit, quàm calidos 287
Graciles egregiè aut adiposi nullā purgationem admodum tolerant 288
Grauedo, raucedo, ferè morbi instrumētales 189
in Gutture delapsa minus molestant quàm suspensa 315

H

Habitus malus debet tolli ante ulcera 438
Habitus tenuis citius difflatur, quàm dēsus 172
Hemorrhoides aliquid uitij sæpe relinquunt 400
Hemorrhoides euacuant 449
Hemorrhoides omnes clausas tenere non licet 441
Hemorrhoides utriq; melancholicæ cōferunt 441
Hemorrhoidū oīm astrictio leuis 441
per Hæmorrhoides & uterū quiuis sanguis abire potest 441
Hectica & putrida sæpe cōiungunt 426
Hectica ex febre ardente 426
Hectica ex ulcere pulmonis 426
Hectica triplex 426
Hecticæ febres paulatim sequuntur minores 32
Hectici nunquam uniuerso corpore distenduntur 339
Hectici rarò conuelluntur 371
Hecticis ex ulcere pulmonis autumnus grauissimus 232
Hepar, cor, cerebrum à suis exercentur operibus 446
Hepatis detrimentum mortale 502
Hepatis ignauia uentrem mollit 152
Hepatis inflammatio magna nunc tussim, nunc singultum mouet 419
Hepatis rapacis remedium 369
Hepatis recipientis signa 345
Hepatici 284
Herpes ferè ubique tolerat 393
Herpetis discrimen ab igne sacro 450
Hiera abducit ex solo uentre 298
Hippocrates cur præfatione usus fuerit uariæ coniecturæ 4
Hippocrates imitatus Cosmographos 1
Hip. libenter exemplis utitur 15
Hippocrates nihil cōtrą experientiā 30
Hippocrates nunc calorem, nunc calidū asserit maius 63
Hippocratis Aphorismor. librorum septem argumenta 433
Homo cur multis alijs animantibus uitæ sit breuioris 5
Homo melancholicus aliquando, & per

accidens diuturnior 5
Homo quiuis erroribus obnoxius 213
Hominem nihil potest subito tollere, pter magnā cordis imbecillitatē 190
Homines effœminati 385
Homines maximè inter se uariant 5
Horror quare in morituris sudorem sequitur 478
Horror rarò sudorem imperfectum sequitur 478
Hugo ingeniosus, sed confusus 17
in Humida constitutione magis exuperat pituita, quàm sanguis 245
Humidi magis obnoxij morbis 435
Humidi parum alacriter ferunt suā pueritiam 262
Humidi uiuaciores, & nutritione feliciores 435
Humidis citius fiunt lippitudines, q̄ siccis 235
Humidis molesta pueritia 222
Humiditas causa titubationis, balbutiei, & stultitię 456
Humiditas & frigiditas obstupefaciunt 489
Humiditas ignaua, nisi cum flatu fuerit coniuncta 505
Humiditas in pueris utilis 223
Humiditas lenta circa uteri acetabula primis mēsibus aborsum mouet 410
Humiditas instrumentalis & caliditas crescit 66
Humiditas instrumentalis, & siccitas similaris unionem impediunt 438
Humiditas prima causa somni, secunda uerò frigiditas 115
Humiditas similaris & instrumentalis 296
Humiditas spiritū intercipit, frigiditas extinguit 115
Humiditatis est onerare 250
Humor calidus & siccus potius animalia interficit quàm gignit 439
Humor colore perditur 284
Humor grauis suapte natura deorsum inclinat 285
Humor in corpore pleno undique irruit 85
Humor melancholicus, & melancholia ferè simul conueniunt 275
Humor melancholicus rarò occupat duas partes, easq; diuersas 431
Humor omnis ad locū fluit affectū 490
Humor pestilens medicamenta non sequitur 93
Humor prius attenuari debet, quàm expurgari 91
Humor quisque prout ad putredinem est idone⁹, ita paroxismos mouet 347
Humoris contracti ex aëre aut uictu incertiora indicia 284
Humoris copia distentionem parit 239
Humoris turgentis definitio 93
Humorem flatulentum potius q̄ multū febricula soluit 468
Humores alibi referūtur ad partem dolentem 340
Humores benigni & maligni rarò ex æquo soluuntur 168
Humores calidi facilè in utrunque commutantur 150
Humores crassi 161
Humores demoliuntur cutem 458
Humores diuersos facilius fert natura, quàm uniformes 494
Humores euadunt crassiores ob duas causas 267
Humores imitantur regionem, & tempus anni 8
Humores in uere & autumno uariè mouentur 482
Humores licet graues sæpe naturaliter ascendant 8
Humores moti aliquando motum naturæ contemnunt 472
Humores omnes in uere fundi incipiunt 253
Humores putrescētes latè audire oportet
Humores singuli cur sua ac propria seruent interualla 346
Humores ueteres non castigantur inedia 320
Humorum differentiæ dolore distinguuntur 436
Humorum diuersorum occasiones 46

Humorum in uenis discretio multam edit turbam 138
Humorum morbosorum tres causę 284
Humorum motus duplex 85
Humorũ peccantium signa obscura 284
Humorũ quãtitas exqsita cõijci neqt 296
Humorum uitium ineditã aut certè parcius alimentum requirit 134
Humorum uitium solùm per uentrem abit 445
Humoribus respondẽt actu humida 136
Humores malos perniciosius est à principio intus retineri, q̃ postea intro redire 428
Hydropici pauci urendi aut secandi 452
Hydropisis 258
Hydropisis duo mala coniungit 442
Hydropisis ex causa calida 294
Hydropisis melancholicis dupliciter superuenit 478
Hydropisim ulcera incurabilem ostendunt 438
in Hydropisi materia duplex 491
in Hydropisi triplici de causa tingitur urina 458
Hyems media difficile fert medicationem 287
Hyemis principium minus communicat cum fine æstatis, q̃ aliorum temporum extrema 260
in Hyeme rarum & multum. In æstate frequens & parum 73
Hypostasis cur assurgit in modum pyramidis 352
Hypostasis quare alba, Galeni opinio 351
Hypostasis tres differentiæ pro diuersitate loci 352
Hystericæ mulieres quare sæpius reteruntur, quàm apoplectici 193

I

ICterici tribus casibus deprænhenduntur flatulenti 432
Ieiunium Christianorũ opportunũ 70
Ieiunij patientia atque impatientia, in duobus consistunt 58
Ignaui semper somnolenti 114
Ignis intercipit aërem 413
Ignis multus sæpe fœtorem dissimulat 420
Ignis paruus citius sub sole elanguescit, quàm magnus 13
Ignis sacer 450
Ignis sacer ab herpete differt & erysipelate 450
Ileo uomitus coniunctus 492
Ilia 183
Imbecillitas cordis hominem subito tollere potest 190
Imbecillitas in senibus febri acuta laborãtibus oritur tam ex calida quàm frigida intemperatura 191
Imbecillitates uitales causa uentriculorum, cordis, magna intẽperatura 190
de Imbecillitate, in Exolutione plura.
Immodica purgatio quomodo conuulsionem facit 372
Imperatores & Medici sæpe plus quiescẽdo, q̃ multa agendo proficiunt 213
Impetigines & lychenes in manibus & pedibus 254
Impregnationis signa 407
Impuritas duplex 133
Inæqualitas frequens plurimos morbos parit 218
Inæqualitas generale obiectum sensus tactus 125
Inanitio uenarũ potius quàm neruorũ conuulsionem facit 362
Incrassatio ubique periculosa 89
Incrementa summa sanitas excipit aut mors 479
Inedia in uere 70
Inedia ne magnam quidem alteratione admittit 145
Inedia non fert ullam euacuationẽ 145
Inedia respectu morbi 145
Inedia ueteres humores castigantur 320
Inedia uict⁹ est extremè tenuissimus 18
Infantes in somnis sæpe timent 349
Infantes tussiunt 263
Inflammatio diuersas uteri partes comprehendit 416
Inflãmatio ex sanguine crassiore suppuratur, ex tenuiore resoluitur 378
Inflammatio in ano stranguriã facit 419
Inflammatio uteri 419

Inflammatio in utero plerũq; acuta 408
Inflammatio rara in ipso cerebro 192
Inflammatio rarò uberum furorem facit, sed magis sanguinis multitudo circunquaq; fusa 406
Inflammatio sæpe ad uenas proximas exorbitat 336
Inflammationis & scirrhi discrimina 462
Inflammationis multæ differentiæ 445
Inflammationem soluit uenę sectio 503
Inflammationes ægre locum mutant 150
Inflammationes acutę in diuersos locos abscedunt 496
Inflammationes conceptæ in paucis locis purgationem postulant 103
Inflammationes duntaxat in principio ferunt frigidam 393
Inflammationes ferè unicum habent paroxismum 292
Inflammationes frequẽtiores ex sanguine pituitoso, quàm bilioso 267
Inflammationes in hyeme frequentes 260
Inflammationes in musculis propinquis gulæ 316
Inflammationes in partibus superioribus 256
Inflammationes in pectore magis festinant, quàm in uentre 497
Inflãmationes interiores febres acutas pariunt 408
Inflammationes prius obtinebant duriores partes, hic uerò etiam molliores 267
Inflammationes raræ ex collectione superflui alimenti 497
Inflammationum signa in cerebro & mẽbranis 457
Inflammationibus internis uniuersum corpus consentit 143
in Inflãmationibus altera pars à natura elaborata, altera corrumpitur 205
in Inflammationibus materia cur paulatim accendatur, & plures pariat paroxismos 335
in Inflammationibus superioribus ferè semper phlebotomia locũ habet, purgatio ferè nunquam 282
in Inflammationibus tota materia circũscribitur 96
Inflatio umbilici 262
in Inflationibus statim in ipso principio sanguis reuellendus est 292
Ingenia felicia sua paulatim corrigunt 217
Inquietudo 509
Insaniæ signa 477
Insomnia plerunq; ipsius phantasiæ 112
Insueta contrariæ fortunæ corpus patiens reddunt, & intemperantiam corporis nonnihil corrigunt 210
ad Insueta cur transeundum aliquando 209
Intellectus parum iuuatur aut offenditur aëris mutationibus 249
Intemperata nunquam ferè eundẽ modum seruant 402
Intemperati 120
Intemperatura autumnalis ubiq; magis facit autumnales morbos, quàm hyemalis hyemales, aut æstiua estiuos 223
Intemperatura per se redit, ablata materia 158
Intemperatura sola non sufficit 191
Intemperies usq; ad statum crescit 17
Intestini recti & uteri consensus 490
Intestina interiora maiorem habent societatem cum principalibus, quàm exteriora 438
Intestina facile à bile aut quouis alio humore mordaci uellicantur 489
Intestina mollienda ante deiectionem, stomachus uerò ante uomitum 293
Intestina per accidens humida 234
Intestinorum difficultas à deiectione syncera bis malum 489
Intestinorum difficultas ex utraque bile, morbus comitialis & apoplexia tantùm ex altera fieri possunt 259
Instinorum leuitas mitior, quàm inedia 434
Intestinorum magna ulceratio lethalis est 309
Intestinorum pingue 309

Iouis

Iouis omnia plena 413
Irati rarò, loquaces spumant frequenter 196
Iudæorum lepra, à Moyse definita, uitiligo est 254
Iudicatorij magis inuicē discedunt, post uigesimum diem 56
Iudicium perfectum 83
Iugularium interceptio cum apoplexia eadem ferè committit symptomata 375
Iugularium interceptio magis acuta, minime tamen pertinax 375
Iuuentus aliquando expugnat epilepsiam 202
Iuuentus siccis & calidis molesta 222
Iuuentus sub consistente ætate 58
Iuuentutis terminus 274

L

Labor materiam aduocat 314
Laborum uicissitudo iucunda 207
Lac egregiè siccis confert 426
Lac in uirginibus 406
Lac multi extenuati requirunt 427
Lac noxium in omnibus morbis, tam calidis quàm frigidis 425
Lac nutrimenti superfluum 405
Lac tenue omni causæ & iniuriæ obnoxium 425
Lac uaporosum & capiti noxium 425
Lactis effluxus semper arguit imbecillitatem fœtus 414
Lactis pars ab uberibus ad uterum trahitur 403
Lactis suctio & reliquos humores sæpe sursum uocat 406
Lacte ubera non nutriuntur 405
Lacrymæ cur calidæ 332
Lacrymæ & tela eiusdē sunt naturæ 478
Lacrymæ in gaudio ex partibus proximis, in tristitia uerò ex profundissimis 332
Lacrymæ inuoluntariæ periculosæ, & maximam debilitatem accusant 332
Lacrymæ morbosæ aliquando frigidæ 332
Lacrymæ spontaneæ duplices 331
Lacrymæ unde suppeditantur 331
Lacrymas subita, non autem successiua mouent 332
Lapis in uesica pueris 269
Lapis sæpius in uesica, quàm renibus urinam retinet 367
Lapis & calculus morbi difficilimi 437
Lapidi uesicæ anus consentit, renibus uerò directum crus 367
in Lapide uesicæ frequentia 367
Lassitudo citra fatigationem 121
Lassitudo phlegmonosa ferè febrim ex sanguine bilioso arguit 122
Lassitudo phlegmonosa, laboriosa, simplex 121
Lassitudo spontanea composita
Lassitudo spontanea materiam illapsam significat 314
Lassitudo uaria significat 121
Lassitudinem uariè sumit Celsus 206
Lassitudines in ipsis morbis obscurantur 313
Lassitudines laboriosæ 122. 313
Lassitudines laboriosæ apotherapiā desiderant 121
Lassitudines laboriosæ raræ in morbis 313
Lassitudines laboriosæ ferè distinguuntur iuxta differentiam musculorū 313
Lassitudines priores morbos, posteriores abscessus pronunciant 314
Lassitudines spontaneæ 121. 313
Lassitudines spontaneæ aliquando præcedunt, alquando sequuntur 313
Lassitudines spontaneæ sequuntur differentiam humorum 313
Lassitudinibus spontaneis raro abscessus superueniunt 313
Lassorum ex itinere mos 497
Lati uermes 261
Lati uiuaces 215
Lentor grauis ex materia biliosa 333
Lentor potius circa dentes quàm linguam 333
Lepra ferina scabies ex bile adusta 253
Lepra Græcorum 498
Lepra Iudeorum uitiligo 254
Lethale periculosum 399
Lethargus rarus, qui in perpetuum memoriam

moriam aufert 276
Leuitas ex ulcere præceps 434
Leuitas ex frigido humore 434
Leuitas intestinorum 433
Leuitas intestinorũ mitior, q̃ inedia 434
Lieno si ferè quarto die exacerbãtur 54
Lienteria longissima ex intemperatura frigida 434
Lienteria potius uentriculi quàm intestinorum leuitas 294
Linaméta oblongiori forma omnia 411
Linguæ color, & quid significet 333
Lippitudo potius abit per nares, quàm per uentrem 445
Lippitudinis siccæ in proposita constitutione causa 235
Lippitudines, stranguriæ, intestinorum difficultates eandem fere causam sequuntur 247
Lippitudines potius fiũt humidis, quàm siccis 236
Lippyriæ 327
Locus multiplex in quem materia febris excutitur 345
Locorum profunditas difficilẽ curationem facit 437
Longitudo in senibus inutilis 215
Longitudinis causæ 215
Loquaces frequẽter spumant, irati rarò 196
Lumbrici lati ignaui 260
Lumbrici rotundi 269
Lumen maius obscurat minus: uerùm maior dolor reuera extenuat minorem 103
Lychenes & uitiligines in manibus & pedibus 254
M
MAmmæ duræ quæ antea fuerunt flaccidæ, minus suspectæ 415
Manus duræ 389
Manus stupidæ, & tamen mouentur 195
Maritima loca à mediterraneis ferè differunt 242
Mascul⁹ mouet quadragesimo die 408
Mascul⁹ morosior, fœmina q̃etior 408
Materia ablata sæpe per se redit intẽperatura 158
Materia aliquando ab exterioribus ad interiora rapitur 427
Materia alia fluens, alia turgens 96
Materia cõmunis aut antecedens 440
Materia coniuncta neq; concoquitur, neq; p se à medicamẽtis euacuat 34
Materia coniuncta sæpe decedit cum antecedente
Materia & cõsuetius & cõpendiosius euacuatur per uẽtrẽ quàm uesicã 443
Materia fertur in locum dolentem tribus de causis 203
Materia frigida ferè eundem tenorem seruat 150
Materia in parte posteriori conuulsiones facit, in parte priori mentem uitiat 428
Materia in uenis crassa, licet in uentre tenuis & aquosa 443
Materia postquam ex uniuerso defluxit, satius est ex proxima uena materiam delapsam eruere, & influentem auertere 86
Materia potest ex uenis in omnem locum excuti, & rursum redire 508
Materia putrida aliquando obscurat colorem concoctæ 326
Materia quare plerunq; in internis uisceribus morbos committit acutos 27
Materia quæ in pectore insedit, purgationem contemnit 282
Materia rarò simul in neruos & cerebrũ excutitur, rarius à neruis in cerebrũ euadit 451
Materia simplex, coniuncta 34
Materia turgens facile sequitur 95
Materia turgens non admittit phlebotomiam 290
Materię cõsens⁹ arguit multitudinẽ 296
Materiæ multitudo aliquando morbum producit, aliquando acutum facit 338
Materiæ quantitas potest cito opprimere, sed nequit morbum acutum perficere 27
Materiæ turgentis inquisitio 92. occasio 485
Materiæ multitudo semper p cõmunes uenas abducenda 466
Materiam

Materiam turgentem debemus euacuare duplici de causa 95
Materiarum intermittentium,& continuarum discrimen 54
Medicamentum importunum 327
Medicamentum licet procul trahat, in uentre manet 280
Medicamentum primo allicit ꝓprium, deinde alienum 184
Medicamentum sæpe contrarium clam præbet effectum 72
Medicamenti importuni pericula 131
Medicamenti quantitas ex quibus captatur 296
Medicamenti uis per cibum & potum obtunditur 297
Medicamenti uis somno,& quiete frangitur, contrarijs promouetur 296
à Medicamento abstinere,maioris est artis,quàm oportunè exhibere 327
Medicamenta concoquentia duntaxat administrãt tẽpore intermissionis 34
Medicamenta debent ferri circa locum affectum 157
Medicamenta eiusdem facultatis commutanda 213
Medicamenta importuna in crisi & ante crisim 83
Medicamenta iniqua 78
Medicamenta iusta quæ contemnunt multa sunt 213
Medicamenta multa extenuantia solutiuis calidiora 104
Medicamenta pectoralia minimè amãt aquam pluuialem 396
Medicamenta solutiua tantũ mane exhibenda 397
Medicamenta tenuia 151
Medicamentorum delectus 184
Medicamentorum periculum 2
Medicamentorum rara forma, quæ utero conuenit 398
Medicamentorum simplicium inuẽtio difficilis 2
Medicamenta uariare decet, in morbo longo 211
Medicans multos,paucos curat 214
Medicatio omnis minuit tantum 94
Medicina duntaxat perspicacem ex natura uirum admittit 4
Medicina infinita 3
Medicus concoctionem expectare debet,sed potest discretionem anteuertere 306
Medici & Imperatores sæpe plus proficiunt quiescendo,quàm multa agendo 213
Medicorum abusus 288
Medicorum discrimen difficile 4
Medicorum tres dignitates 71
Medicorum uulgarium crassa ignorantia 7
Medullę spinalis affectus non obstupefaciunt totum hominem,duntaxat inferiorem partem 511
Melancholia à quadragesimo usq; ad sexagesimum 275
Melancholia concocta an sit tenuior bile cruda 90
Melancholia cum tristitia 449
Melancholia ex succo melancholico pessima 306
Melancholia neruum init, pituita circa principium subsistit 499
Melancholia omni ex parte corrupta ꝑ uentrem bene abire nequit 479
Melancholia parum sequax 290
Melãcholia potius repẽte labitur quàm pituita 499
Melancholia per se nusquam ante concoctionem feliciter abit 305
Melancholia rarius uniuersum corpus afficit,quàm pituita 499
Melancholia potius quàm pituita cõuulsionem inducit 499
Melancholiæ alia ratio in quartana, alia alibi
Melancholiæ dominium 474
Melãcholię in meli⁹ euasurę signa 473
Melancholiæ mala ac difficilis deiectio in ipso etiam augmento 304
Melancholiæ species atra bilis 305
ex Melãcholia rarus,sed pertinax & intolerabilis pruritus 439
Melãcholica ulcera sola incurabilia 308
Melancholicus succus inæqualiter accẽditur

ditur 258
Melancholici ſucci deiectio dolorem parit 462
ex Melancholico ſucco propriè melancholiæ, ex cholera aduſta ferina dementia 241
Melancholicis aqua inter cutem superuenit duobus modis 479
Mellicratum tenuiſsimus uictus 18
Memdrana per quam urina colatur, nõ niſi tenuiorem ſuccum demittit 361
Mẽbranæ dolorẽ punctilem patiũt 436
Mẽbrum molle paucis uiribus obitur, rigidum uix multis 208
Menſes aliqñ urinã quoq; retinẽt 463
Menſes ſemel ad ubera expreſsi facile reuertuntur ac in lac uertuntur 405
Menſibus ſuppreſsis citra impregnationem urina uariat,& ſæpe multa alia ſymptomata ſequuntur 421
in Mẽſibus primis & poſtremis rariſsime licet,in medijs aliquãdo oportet turgentem materiam purgare 398
Menſtruam retentionẽ ſepe ſequũtur morbi in utero 418
Menſtrua morboſa ſæpe in omnem partem exorbitant 402
Menſtrua per collum uteri in uirginib⁹ & prægnantibus purgãtur 407
Menſtrua pituitoſa ferè cunctantur, bilioſa feſtinant 402
Menſtrua retenta multa afferunt incommoda 397
Menſtrua ſuppreſſa frigidi morbi ſequuntur 397
Menſtruorum modica eruptio ſæpe initium imprægnationis arguit 420
Mẽſtruorũ ſuppreſſorũ uariç cauſç 398
Mens propriç accipitur dupliciter 126
Mentis labor 126
Mentis uigor cerebri conſtantiam arguit 180
Meridies ſupiores purgatioẽs amat 290
Mithridates 147
Morbus bene ſeſe habet dupliciter, reſpectu ipſorum quæ ipſum ſoluunt,& rurſus quæ ipſum generant aut augent 222
Morbus comitialis acutus 278
Morbus comitialis iuuenib⁹ ex uapore bilioſo,adoleſcentibus ex multitudine 274
Morbus comitialis ſimpliciter acutus non eſt 399
Morbus crudus nũquam rectè expurgari poteſt 501
Morbus & cauſa contrariũ poſtulãt 157
Morb⁹ & putredo in uigore maxima 32
Morbus ex morbo ferè interficit 479
Morbus ex morbo mortalis 508
Morbus factus ſuo fiens cauſæ ſuæ tollitur contrario 161
Morbus ferè ſuum ac particularem ſibi uendicat humorem 284
Morbus fiens eruitur contrario ſuæ cauſæ 72
Morbus Gallicus expurgationem amat per cutem 88
Morbus Gallicus,morbilli,& uariolæ ferè eandem in genere expoſtulant curationem 88
Morbus Gallicus ſtatim pilorum iacturam facit 381
Morbus grauior apparet,qui mentem, quàm qui intellectum offendit 189
Morbus idem rarò exteriora & interiora occupat 427
Morbus in principio bene terminari poteſt 102
Moribus lõgus magis fatigat q̃ acutus, tribus de cauſis 128
Morbus multò minus accipit, quàm uirtus concoquere ſufficit 36
Morbus non quiuis in ſtomacho uomitum ciet 468
Morbus nullus ex temperie 222
Morbus nullus tam mitis, qui non aliquando interficiat 513
Morbus oĩs incognitus catarrhus 189
Morbus periculoſus aut ratione uirium defectarũ,aut ipſi⁹ magnitudinis 182
Morbus quò inclinet à principio ſæpe apparet 87
Morbus regius citra rigorem 347
Morbus ſæpe nomen accipit à notiore ſymptomate 433

Morbus uidetur mutari in melius trib⁹ modis 171
Morbi causa non sufficit, nisi materia adsit 491
pro Morbi causarũ diuersitate, diuersa curatio 153.455
Morbi festinantis indicia 323
Morbi Gallici curationem incommoda quæ sequuntur, sæpe ipso morbo grauiora 77
Morbi instrumentalis definitio 338
Morbi regij causæ quatuor 462
Morbi regij duplex occasio 432
Morbi species generalem morbi terminum prodit 45
Morbi speciem causæ non mutant 339
Morbo leuiori non conueniunt grauia remedia 78
Morbo suspectiori ubiq; indulgendum 22
Morbum citius natura debilis quàm fortis aggreditur 483
Morbum multi non ferunt, neq; remedium 185
Morbum regium bilis non quæuis, sed tantùm crassior facit 345
Morbum unum conferre oportet cum duabus diuersis temperaturis 181
Morbo quouis altera pars materiæ concoquitur, altera corrumpitur 479
in Morbo Gallico error 143
in Morbo Gallico non conuenit mouere per screatum 78
in Morbo longo omnia stata 150
in Morbo Gallico potius conuenit phlebotomia quàm purgatio 78
in Morbo longo medicamenta uariare decet 211
Morbi acuti duplices 39
Morbi acuti ex casu, aut decidentia 162
Morbi acuti excretione, longi finiũtur concoctione 163
Morbi acuti ex materia calida, longi plerunque ex frigida 27
Morbi acuti ex succo melancholico nõ fiunt 307
Morbi acuti ferè ex copiosiore consistunt materia quàm longi 296
Morbi acuti ferè sedẽt in principalibus uisceribus, aut particulis illis proximis 27
Morbi acuti, longi, medij 15
Morbi acuti magnum semper periculũ coniunctum habent 26
Morbi acuti omnes instabiles 149
Morbi acuti quare fere iudicantur decimoquarto, & tertiana terminetur decimotertio, quæstio difficilis 342
Morbi acuti siccitatem potius sequuntur, quàm humiditatem 233
Morbi autumnales 257
Morbi autumnales ex inæqualitate 258
Morbi biliosi ferè in æstate 255
Morbi biliosi hic ferè plures q̃ ãtea 275
Morbi biliosi in autumno tribus ex causis 157
Morbi biliosi in partibus biliosis 256
Morbi biliosi interni in autumno, in æstate uerò externi 257
Morbi boni iudicij 230
Morbi calidi rarò à principio incipiunt, & pubertate potius exasperantur q̃ attenuantur 273
Morbi circa cutem 253
Morbi comitiales pubertate finiuntur plerique 377
Morbi comitiales qui in fine adolescentiæ extremæ incipiunt, per sequentes ætates corrigi nequeunt 377
Morbi curationem principalis sæpe aliud accidens intercipit 388
pro Morbi diuersitate distributio alimẽti 36
Morbi duobus modis in siccitate salubriores 245
Morbi duplicib⁹ tẽporib⁹ generanť 218
Morbi ex bile breuissimi 91
Morbi ex cacochymia parcum uictum amant 75
Morbi ex corruptione aut inedia liberalem postulant 75
Morbi ex corruptione sanguinis 75.179
Morbi ex corruptione ubique periculosiores 231
Morbi ex fece aut succo melancholico 304

Morbi ex fusione supra cutem rariores in æstate 255
Morbi ex fusione triplices 253
Morbi ex humiditate 262
Morbi eximiè frigidi aut humidi pertinaces manent 273
Morbi ex inedia & corruptione eundē uictum requirunt 75
Morbi ex lactis acrimonia tertium genus 263
Morbi ex lactis copia quartum genus 263
Morbi ex quolibet humore secretiorē habent inuestigationem:at ij differentiam ex temperatura, uictu &c. sumūt 498
Morbi extra cerebrum usque ad mortē sensum patiuntur & intellectū 179
Morbi ex uictu unam seorsum familiā, ex aëre uniuersam ciuitatem præbendunt: ex natura uerò propria priuati sunt 252
Morbi frigidi 277
Morbi frigidi in statu minores 31
Morbi frigidi suppressos mēses sequuntur 397
Morbi genus duplex in posteriore senectute 277
Morbi humidi 239
Morbi in alios abscedentes 57
Morbi in articulis 253
Morbi inferuntur ad aërem, ad temperaturas, ad uictum 221
Morbi in principalibus uisceribus 253
Morbi in uere ferè salubriores 255
Morbi in utero sæpe sequūtur menstruam retentionem 418
Morbi iuuenibus & adolescentibus saltem in genere communes 274
Morbilli ex contagiosa Venere 77
Morbi longi & ex acutis, molliores tñ, exquisitè uictum non ferunt 18
Morbi longi ex materia frigida, acuti uerò ex calida 317
Morbi longi in principio occulti 213
Morbi longi magis attenuant 128
Morbi longi raro fallunt medicum, acuti sæpius 459
Morbi longi sæpe subito finiuntur ob materiæ paucitatem 162
Morbi materiales non omnes quatuor obtinent tempora 57
Morbi melancholici duplices 498
Morbi omnes in senibus difficiles 437
Morbi omnes frigidi, longi 495
Morbi pernicies ferè à materiæ pendet malignitate 18
Morbi pituitosi in fine senectutis 276
Morbi lethargi definitio 276
Morbi pleriq; aëris uitiū sequūtur 217
Morbi potius fluxum immodicum ex utero sequuntur, quàm in utero 418
Morbi pseruatio causam, curatio morbum respicit 157
Morbi quadruplices 163
Morbi recurrunt tempore ueris & autumni 466
Morbi sicci 277
Morbi singuli ferè aliquid expurgant per urinam 88
Morbi species ferè speciem humoris distinguit 9
Morbi triplices, Acuti, Lōgi, Medij 163
Morbi tantùm concocti à natura mouētur 483
Morbi uarij ex succo melancholico 258
Morbi initium accipiūt ex plenitudine 252
Morbi uarij qui hominem subito mutū reddunt 374
Morborum acutorū materia tenuis est & procax, & cito interficit aut relinquit 162
Morborum comparatio in humida & sicca constitutione 246
Morborum diuersa materia
Morborum differentiæ in senectute plurimæ 279
Morborum & remediorum comparatio 22
Morborum ex dolore magnitudo 437
Morborum frigidorum exempla 425
Morborum genus secundum ex frigiditate 261
Morborum genus secundum ex fusione humorum 252

Morborũ genera quinq; in autũno 260
Morborum in æstate sex genera 256
Morborum in articulis materia 254
Morborum initia famẽ & sitim desiderant 38.179
in Morborum principio procul dubio minus dandũ, quàm in augmento 40
Morborum in uere genera 252
Morborum multitudinis in uere magis est causa corporis importunitas, q̃ ueris inæqualitas 255
Morborum per ætates terminus potius mutationem temperaturæ sequitur, q̃ uim solis 167
Morborum principium sub se augmentum continet 40
Morborum principio an plus dandum, quàm augmento aut statu 38
in Morborum principio quare minus dandum. 40. & quare minus in statu ibidem
Morborum puerilium causa alimenti copia 266
Morborum rationes ex siccitate æquales, sed euentus morborum ex humiditate plures 243
Morborum reliquiæ, duobus modis recidiuam faciunt 137
Morborum summa duplex 247
Morborũ tres generales occasiones 217
Morborum triplex differentia 76
Morborum uariorum eadem phantasia 192
Morbos plurimos inæqualitas parit 218
in Morbis acutis excretio fit affatim, in longis paulatim 163
in Morbis acutis facile est præuidere diem, in longis morem 149
in Morbis acutis frigus mortale 477
in Morbis acutis, ijsq; calidis, deiectio usq; ad syncopam duntaxat cõuenit 97
in Morbis acutis potius quàm lõgis mutatio conuenit affatim facta 212
in Morbis ex corruptione uberius alimentum conuenit 134
in Morbis fientibus maior perplexitas quàm factis 157
in Morbis longis & sanis nulla conuenit effusa euacuatio 97
in Morbis longis frigus partium extremarum securum 477
in Morbis longis paulatim fit excretio, in acutis affatim, distributio paulatim 148
in Morbis longis sæpe pertinacior animalis quàm facultas naturalis 175
in Morbis longis suspectæ uires, in acutis morbi magnitudo 22
in Morbis melancholicis quare cietur uomitus 370
in Morbis tam acutis q̃ longis omnia extenuantur 127
an Moriantur plures noctu, quàm interdiu 139
Moris boni uniuersalia 52
Mors aut sanitas incrementa summa excipit 478
Motus calorem foras uocat, ignauia intus retinet 113
Motus hoc tempore duobus nominib' alacrior 249
Motus in syncope duplex 98
Motus maioribus eget uiribus quàm reliqui sensus 226
Motus multa confundit 355
Motus naturalis in fine festinat, at uiolentus contra naturã moratur 474
Motus omnis repellendus ad interna uiscera 302
Motus purgationem promouet 296
Motus repentinus & multus subinde refrigerat, paruus magis accendit 98
Motus natura difficile obseruatur 285
Mouetur quisq; eo citius, quo sensum & intellectum habet acutiorem 349
Moyses 254
Mulier egregie intemperata ubiq; sterilis 424
Mulier ægre exiccatur 454
Mulier calidissima non est mediocris uir 500
Mulier frigidissima, ac ideo ambidextera esse non potest 501
Mulier fœcunda masculo seipsa coloratior 408

Mulier intemperata simpliciter medio modo sese habet 424
Mulier melius concipit post menses, q̃ ante eosdem 422
Mulier quare sæpius laborat podagra q̃ eunuchus 454
Mulier tẽperata ferè ubiq; fœcũda 424
Mulierẽ minus quàm uirum Venus attenuat 454
Mulieres crassæ non concipiunt 410
Mulieres mediocres aliquando periclitantur 410
Mulieres melius uiuunt æstate 67
Mulieres mediocriter affectæ primis mensibus frequentius abortiunt 410
Mulieres tenues abortiunt 410
Mulieres tenues admodum ex natura, aut postremis mensibus abortiunt, aut ualetudinarios, aut ulceribus plenos pariunt 409
Mulieres tenues educando fœtui à principio sufficiũt, tandẽ succũbunt 409
Mulieres uiragines 500
Murmur in uentre & dolor multipliciter soluitur 359
Musculorum diuersum opus 226
Mutatio maxima ante septimũ ãnũ 273
Mutatio omnis difficilis, præsertim à calido in frigidum 208

N

NAres sanguinem & inflammationem expurgant 440
Nares siccis perstringuntur 506
Narium astrictio sternutamenti uim ꝓmouet 412
Natura aliquando affatim euacuat 99
Natura debilis quare citius aggreditur morbum, quàm fortis 483
Natura egregie intemperata ubiq; sterilis 424
Natura intemperata simpliciter medio modo sese habet 424
Natura intellectu caret 427
Natura in uere paucis eget 70
Natura malè affecta nullum facit delectum 491
Natura maximè friuola, frigida, & humida 424
Natura maximè suijpsius conscia 187
Natura melius fert uitium, q̃ inopiã 452
Natura melius fert humorum uitium, quàm multum desiderium 186
Natura minus fert diuersos quàm uniformes humores 494
Natura morbos non mouet, nisi concoctos 483
Natura non fert duas euacuationes eodem die 291
Natura non mutat locum, neq; à uenis recurrit ad uentriculum 35
Natura omnia paulatim molitur 55
Natura partes interiores uẽdicat à morbis 234
Natura pro diuersitate materiæ phantasiam effectus uariat 405
Natura pro quauis temperatura 219
Natura quare per sudorẽ potius multã materiam minuit, quàm paucam 337
Natura rarò medicamentũ desiderat 84
Natura rarò mouet in augmento 176
Natura sæpe & morbum & medicamentum uincit 77
Natura sæpe fallitur 187
Natura sæpe inclinat in partem distantiorem 87
Natura sæpe negligit causam 187
Natura semper cogitat masculum 412
Natura signorũ criticorũ melior quàm phantasia 170
Natura sola morbum expugnat 161
Natura temperata ad omnia prõptè sese habet 119
Natura tẽperata ferè ubiq; fœcũda 424
Natura tenuius cogit, & crassius extenuat 137
Natura uacuum non fert 413
Naturæ aliquid relinquere securius est, quàm bonum conuellere 140
Naturę calidę, & tẽpestatis differẽtia 70
Naturæ definitionis explicatio 220
Naturę motum omnem à principio imitari non licet 87
Naturæ uocem naturalis calor subit 219
Naturam uariè accipere licet in ipsa definitione 219
Naturæ diuersæ diuerso mõ appetũt 12

Naturæ frigidæ an alacrius uiuant æstate 220
Naturæ frigidæ minus læduntur æstate, quàm calidæ 67
Naturæ frigidæ tempore hyemis meliꝰ ualent, sed citius ægrotant 221
Naturis humidis & particulis grauis hęc constitutio 233
Naturalia ordinem seruant 402
Naturalis calor in pueris fortior, sed subiectũ pasſioni magis obnoxiũ 271
Nauis & currus uomitum cient 296
Νεανίσκοι iuuenes dicuntur & adolescentes 378
Negligentia multorum uim medicamẽtorum obscurat 3
Neruus instrumentum sensus 265
Nerui exteriores soli externas causas sentiunt 195
Nubecula alba 356
Nubecula rubea 356
Numerus nihil potest 165
Nutricatio & difflatio ab eodem calore fiunt, & tñ raró inuicẽ respondẽt 63
Nutricatio maior difflatiõe in pueris 63
Nutricationis imperfectionem plenitudo sequitur 146
Nutrimentum triplex 136
O
OBstructio ex crassã bile admodum periculosa 358
Ocularia ubi prosunt 278
Oculorum multa debilitas uniuersum cerebrum infirmum arguit 333
Oculorum rubor extremam imbecillitatem significat 478
Odor ab oĩ intẽperatura perimit 420
Odor nutrit spiritum 136
Omentum humidum & pasſibile admodum 475
Omentũ quomodo dicitur calidũ 475
Omentum statim examinatur, & postea corrumpitur 474
Omnia fiunt naturaliter 405
Operatio omnis calore naturali perficitur, quæ nullum magnum fert excessum 151
Operatio nunquam habet qualitatem aliquam familiarem 151
Operationes animales & naturales utũtur calore naturali 249
Operationes animales sunt solidarum partium 250
Operationum animalium uigor perit, cerebro onerato 226
Ophiasis areæ species 457
Osſis ulcera 464
Oua animantur in furno 412
Oua dũtaxat in morbis lõgis cõpetũt 18
P
PAlbebrarum conuulsio 470
Palpebrarum imbecillitas maximam cerebri & totius corporis imbecillitatem palã ostendit 470
Papulæ 254
Paradoxa in problemata digesta 334
Parientibus autumnus minus periculosus 235
Paroxismi in augmẽto ferè anticipant, in declinatione uerò cunctantur 48
Paroxismi priores sæpe grauiores posterioribus, ubi materia difformis est, idq; ante statum 32
Paroxismorum exacerbatio sæpe opportunum medicamentum sequitur 6
Paroxismorum similium causa 312
Paroxismorum uicisſitudines 336
Paroxismorum uicisſitudines sequunt naturam humorum 53
Pars inanis citius uiolatur q̃ plena 510
Pars imbecillis exercenda non est 287
Parti quæ feriatur alimẽtũ excidit 476
Partes exiccatæ magno suo desiderio ꝓximas exiccant 226
Partes extremæ dum saturantur, mediæ partes exhauriuntur 144
Partes exulceratæ quietẽ postulãt 446
Partes humidæ in æstate affligũtur 256
Partes interiores à morbis natura uendicat 234
Partes prouocatæ sua ui animalem spiritum per angustias trahunt 194
Partes solidæ humectari nequeunt 296
Partium extremarum frigus à cibo 481
Partium extremarum frigus in longis morbis securum 477

Partium notę in quas materia febrilis labitur 345
Particula princeps aut morbum facile abolet, aut ipsa à morbo aboletur 162
Particulæ interiores pleræq; publicæ, exteriores priuatæ 438
Peccatum unum ferri potest, secundum sæpe interficit 22
Pectori sola eligmata cōueniūt 282.398
Pediculi in tabidis 381
Pediculi puerorum 381
Pelles partes infirmas magis īfirmāt 385
Pereuntia & postea manentia quodam modo inuicem similia 154
Periculum temere tentare stultū est 29
Phlebotomia 283
Phlebotomia breuis contemnenda 287
Phlebotomia fertur in primis mensibus, purgatio in medijs 281
Phlebotomia in inflammationibus superioribus ferè semper locum habet, purgatio ferè nunquam 282
Phlebotomia in uere ob duas causas cōmendatur 507
Phlebotomia parua contemnenda 101
Phlebotomia ubiq; melius conuenit à principio 101
Phlebotomiam æstus multus prouidet 286
Phlebotomiam omnem Galenus reformidat 466
Phlebotomiam promptius quàm purgationem est restringere 186
Phlegma nec facile diuiditur, nec diuisum prompte coalescit 382
Phlegma supernatat, pus descendit 382
Phlegmasiæ an in statu sint maximæ 30
Phrenitis ex pulmonia 483
Phthysis 239
Phthysis ex destillatione cuilibet fere hætati communis 379
Phthysis ex destillatione diuturna 379
Phthysis prius excretionem postulat, pręsertim à destillatione 486
Pili corrupti potius colorē mutāt quàm elabuntur 436
Pili ex adustione duplices 362
Pili excreti 92
Pili figuntur in cute, quasi pali in terrā 436
Pili inanimati sunt 458
Pili in tabidis cadunt propter subiecti raritatem aut tenuitatem 380
Pilorum iactura cum fœtore sputi admodum lethalis est 380
Pilulæ summa nocte exhibendæ 298
Pingues flaccidi 197
Pingues laxi 197
Pituita aliquando sola concoctione emendatur 403
Pituita aliquando colorem mutat 41
Pituita circa principium subsistit, neruū uerò melancholia init 499
Pituita ferè dyarrhœam facit 246
Pituita magis exuperat in humida cōstitutione, quàm sanguis 245
Pituita muccosa articulos lubricos reddit 475
Pituita non arguit imperfectionem totius molis humorum 66
Pituita non tam sæpe ac melancholia cōuulsionem inducit 499
Pituita sæpius uniuersum corpus afficit, quàm melancholia 499
Pituita tardè exulcerat, sed difficile eruitur 489
Pituita tardius quàm melancholia labitur 499
Pituita undiq; in uentrem uenire potest 491
Pituita uidetur caloris naturalis in hyeme imperfectionem prodere 66
Pituita utpote frigida per se neq; appetitum deijcit, neq; febrem parit, duntaxat corrupta 435
Pituitæ salsæ generatio 236
Pituitosi non omnes statim sitiētes 301
Pituitosi quidam non solùm non sitiunt, sed omnem etiam potum fastidiunt 301
in Pituitosis magis conueniunt apophlegmatismi 440
Plantæ abscisæ uitam retinent, & alteri multo pòst inseri possunt 474
Plantæ semiustæ tempore hyemis reuiuiscunt 413

XXXIX

Plantæ uiuaciores hominibus 5
Plantarum uita pertinacior, quàm partium animantium 474
Plenitudo aliquando cum uitio humorum coniuncta est 122
Plenitudo an sit morbus 120
Plenitudo duplex 146
Plenitudo & humorum uitium sæpe cō iunguntur 122
Plenitudo nutricationis imperfectionē sequitur 146
Plenitudo uariorum morborū causa 252
Plenitudinis differentiæ 146
Plenitudinem omnem nomine athletarum Hip. intelligit 14
Pleura densa 457
Pleura frigida & ignaua 505
Pleuræ inflammationes in hyeme 259
Pleuriticorum sputum non tam spumosum, ac pulmoniacorum 492
Pleuritis cum ulcere 72
Pleuritis ex sanguine 246
Pleuritis rarò in frigidis 456
Pleuritidis signa propria 51
in Pleuritide fluxus uentris malus, in hydropisi sæpe utilis 445
Pluuia in quibusdam odorē excitat 420
Podagra mouetur ferè in autumno 482
Podagra non iudicatur affatim 466
Podagra rarior in muliere, quàm eunucho 454
Podagra sequi catarrhū non potest 189
Podagræ cōmeatum bilis præbet 466
Podagrę diuersa constitutio 456
Podagræ duæ generales occasiones 452
Podagræ in eunuchis & pueris raritatē, 458
Porus pertinax & durus 448
Porus pro osse, cicatrix pro cute 447
Potentia salutem accelerare potest, perniciem non potest 271
Potiones mane exhibendi 298
Potus niue refrigeratus 394
Potus pars in sanguinem cōuertitur 369
Potus qualitas magis grauis 145
per Potum, aut humidum, idem intelligimus 135
Præcordia 283
Præcordiorum & capitis dolor in febre acuta periculosus 349
Prægnans neq; morbum fert, neq; remedium 415
Prægnanti nec post cōcoctionē in lētis febrib⁹, purgationē dare tutū est 415
Prægnantes rarò laborant inflammatione uteri 415
in Prægnātibus extenuatio lethalis 417
Problema medicum 315
Problema physicum, ecquid sub Aquilone facies rubet 249
Profunditas locorum difficilem curationem facit 437
Promptitudinem ad putredinem quidā commendant, quidam uituperāt 396
Prouerbium uulgare, sed stultum 209
Prouocantia pro extenuātibus sæpe duobus modis obsunt 403
Proxima quæ appellanda 301
Prudens nemo in sua causa 187
Pruritus dolor cū uoluptate quadā 438
Pruritus & pustulæ ex omni dolore 438
Pruritus ex leuiore & acriore causa 265
Psydracia quæ 439
Psydracia ulcera 253
Pubertas plerosq; morbos tollit aut extenuat 273
Pubertatis generalis ratio in masculis & fœminis eadem 270
Pubertatis ratio in fœminis ex sanguine menstruo, in masculis capitur ex semine 270
Pubertatis uarium initium 269
Puellæ licet frigidæ, citius pubescunt 270
Pueri à frigore percußi subito sternuūt 506
Pueri cur nunquam, eunuchi aliquando fiunt podagrici 453
Pueri cur rarius arthretici, quàm eunuchi 453
Pueri & ebrij minus se offendunt 510
Pueri & laborantes morbo frigido, diu appetitum retinent 179
Pueri ex natura sua somnolenti 264
Pueri facilimè conficiuntur & resumuntur 272

Pueri

Pueri in somno sæpe rident 471.261
Pueri ob humiditatem & lingua & cruribus titubant 456
Pueri proculdubio plus habent substantiæ humidæ, quàm iuuenes 62
Pueri religiosè obseruãtur usque ad diẽ septimum & quadragesimum 273
Puerorum cum æstate collatio difficilis 251
Puerorum pediculi 381
Puerorum in capite tubercula 323
Pueris uinum interdicitur 222
in Pueris ferè omnium morborum causa alimenti copia 266
in Pueris omnia adhuc recentẽ sanguinem spirant 62
Pueritia molesta humidis 222
Pulmo laxus 457
Pulmonia breuiter resoluitur 379
Pulmonia ex angina ferè suppuratur 380
Pulmonia in phrenetidem 483
Pulmoniæ in hyeme 260
Pulmoniaci non euadunt phthysici 486
Pulmoniacorũ sputum spumosius, quàm pleuriticorum 492
Purgaréne liceat mense septimo 81
Purgatio 283
Purgatio alterius materiæ in prægnantibus prohibita, uel post cõcoctionẽ 281
Purgatio bona, liquida: mucco sa, mala 7
Purgatio concoctionẽ sequi debet 403
Purgatio confert, quæ partem morbi adimit 6
Purgatio in febribus acutis periculosa, aut saltem suspecta 104
Purgatio in solo augmento cõpetit 84
Purgatio in uere una ex causa commendatur, phlebotomia uerò ob duas 507
Purgatio omnis humoris crudi cohibenda 302
Purgatio postulat aërẽ opportunũ 466
Purgatio proba & naturæ & medicamenti obitur industria 283
Purgatio quare pro phlebotomia aliquãdo supponatur 282
Purgatio superflua conuulsionem facit 299
Purgatio tãtùm in simplicibus febribus conceditur 103
Purgatio usque ad syncopam potius in principio competit 100
Purgationis bonæ duplex natura 285
Purgationis frequentis duo generalia incommoda 244
Purgationis importunæ multa incommoda 186
Purgationis incommoda ante cõcoctionem 91
Purgationis inferioris & superioris delectus 513
Purgationis nomine uulgus abutitur 10
Purgationis pericula ubi uenter induruit 91
ante Purgationem duo debent præcedere 130
ante Purgationem duo obseruanda 92
Purgationem motus promouet, quies cohibet 296
Purgationem nullam sani tolerant 185
Purgationes hodie nimis frequẽtes 104
Purgationes inferiores Septentrio, superiores Meridies amat 290
Purgationes male fert tempus quod ante Canem, & sub Cane est, duobus modis 286
Purgationes omnes in statu conferunt 304
Purgationes per accidens fecem deijciunt 130
Purgationes non quidem particulares, sed uniuersales pro diuersitate aëris uariant 286
Purgationes spontaneæ & medicæ ijsdẽ signis commendantur 8
Purgationes spontaneæ in augmento suspectæ 306
Purgationum altera reuellit, altera deriuat 106
in Purgationibus an lunam & astra oportet obseruare 466
in Purgationibus obeundis tria conside randa 302
in Purgationibus quatuor obseruanda 285
Pus à calore naturali 204

Pus amurcæ ſimile hepatis ſubſtantiam corruptam ſignificat 502
Pus album fit, à ſuppuratione ſub tunica hepatis 502
Pus crudum aut malignum 501
Pus duo poſtulat 486
Pus ex ſolo ſanguine 204
Pus facilè diſtinguitur, & rurſum prompte coit 382
Pus magna ex parte, ſanguis uerò ſemper ulcerationem ſignificat 361
Pus per integros renes, aut eorum mẽbranam colari poteſt 361
Pus per ſe ubiq; eandem præbet phantaſiam 502
Pus phlegmatis ſimilitudinem ſæpe induit 486
Pus ſæpe omnem ſanguinis eiectionem præcedit 486
Pus ſæpe citra ſanguinem 382
Puris concocti conditiones 501
Puris excretionẽ phthyſis ſequitur præſertim à deſtillatione 486
Puſillanimes quare potius deficiunt animo, poſteaquam ſanguis miſſus, quàm quando mittitur 97
Puſtulæ & pruritus ex omni dolore 438
Puſtulæ pituitoſæ latiores, bilioſæ acutiores 438
Puſtularum differentia 254
Putredo calidos uexat 246
Putredo & morbus in uigore maxima 32
Putredo, morbus, accidentia, concoctio, omnia tempore ſtatus maxima 33
Putredo ſumitur ex proportione paroxiſmorum 35

Q

Quadratura ubiq; bona eſt 215
Qualitas, nedũ quantitas, uolupe eſt 12
Qualitas præter naturam ubiq; moleſta, uenena aliquando 147
Qualitates duabus de cauſis ſenſum ſubterfugiunt 125
Qualitates tangibiles ab omnibus: ſolutio continui duntaxat ſentitur à patiente 125
Quies duplex 207
Quies purgationem cohibet 296

R

Ramenta membranoſa 309
Rarum ſubiectum facile patitur 236
Rarum tribus modis dicitur 238
Receptis potius, quàm nouis utendũ 3
Recidiuæ acutæ lethales 417
Recidiuæ duæ cauſæ 230
Recidiuæ frequentis cauſæ 417
Recidiuæ lentæ periculoſæ 417
Redarguere licet, ſuperbè contemnere neminem licet 216
in Regione temperata bis fructus, autũnus & uer temperata 243
Regiones intemperatæ 242
in Regionibus temperatis calor minus coactus 70
Remedium anceps melius eſt incidere, quàm incidere in certũ exitium 452
Renes & ueſica curantur communiter difficilius duobus nominibus præ alijs partibus 437
Renum caro in fibras quaſi pilos reſoluitur 353
ex Repletione ferè omne genus morborũm 160
Res contra naturam 171
Res præter naturam 171
Reſoluta per tertium, quæ uerò ſuppurantur, quotidie exacerbantur 205
Reſolutio innaturalis & bonum & malum fundit 168
Reſolutio magis feſtinat, quàm ſuppuratio 383
Reuulſio non expectat concoctionẽ 95
Reuulſio omnis inanis 96
Reuulſio ſecurior in corpore pleno, per tranſuerſum, quàm longum 86
Reuulſionis natura 85
Reuulſiones uniuerſales & particulares in partem contrariam 429
ῥεύματα fluxiones appellantur 449
Rigor à dorſo & uiris & mulieribus ſimiliter fit 430
Rigor an incipiat primum à manibus & pedibus quàm dorſo & cubito 431

Rigor cur euidẽtior in quartana, quàm quotidiana febri 347
Rigor & delirium aliquando inuicem succedunt, aliquando simul fiunt 481
Rigor in augmento crisim imperfectã arguit 325
Rigor in exacerbationis principio 311
Rigor non omnẽ sudorẽ antecedit 311
Rigor quare febrem finit 347
Rigoris & tremoris differentia 387
Rigorem ex frigore febris soluit 471
Rigorem ferè uomitus comitatur 341
Rigorem maiorem bilis, q̃ alij humorem facit, & quare 345
Robur quandoque in causa est, ut urina anticipet abscessum 360
Ructus acidus & uomitus eiusdem naturæ 444
Rupta ob minimam causam dolorẽ renouant 448
Rypelen 450

S

SAburra uentris non significat nisi super uentre 143
Sanguinei in extrema adolescentia 262
Sanguis alibi inflammationem committit 448
Sanguis concoctus ruborem exuit 504
Sanguis concretus multa perniciosa facit symptomata 448
Sanguis copiosus, & ad putredinem maximè opportunus 53
Sanguis crassior suppuratur, tenuior resoluitur 204
Sãguis cur potius extra uenas, quàm in ijs ipsis, concoctione eget 57
Sanguis effusus triplicem patitur mutationem 485
Sanguis ex pulmone sæpe spumosus est 382
Sanguis ex thorace cum dolore 382
Sanguis in inflammationibus cõcoctione aliam phantasiam induit 341
Sanguis in uentriculo animi sæpe deliquia facit 308
Sanguis manifestus aliquando citra dolorem euidentem per uesicam excernitur 365
Sanguis menstruus in primis mensibus superfluit 420
Sanguis multus ex capite & uentriculo 382
Sanguis post multam febrem erumpẽs, aut totius imbecillitatem, aut ulcus significat 496
Sanguis quantitate, reliqui magis peccant qualitate 10
Sanguis solus ad nutritionem castigari potest 135
Sanguis subito aut citra ullum dolorem eiectus renes accusat 365
Sanguis ubi modic[9] & uitium multum nulla cõpetit euacuatio 103
Sanguinis copia in frigidis fœminis ac puellis tardius, q̃ calidis congeritur 270
Sanguinis fluxus in febribus difficilem curationem patitur 497
Sanguinis fluxus præ cæteris uentriculũ infirmat 310
Sanguinis fluxum multa mala insequuntur 310
Sanguinis fluxum passi frigidiores 426
Sanguinis fluxum tribus ferè modis uẽter humidus insequitur 310
Sanguinis menstrui pars aliquando, sed rarò malignior in postremis utiliter purgatur 420
Sanguinis missio in quibus mensibus periculo uacat: nam qui in primis superest, postea desideratur 399
Sanguinis profluuia qũ incipiant 270
Sanguinem cur non licet per uentrem ducere 285
Sanguinem & inflammationem nares expurgant 440
Sanguinem ex pectore tussis sequitur 382
Sanguinẽ superfluũ quacunq; euacuari melius est, q̃ intus morbũ alere 400
Sanies ex omni humore, pus ex solo sanguine 204
Sanis cibus tantus conuenit, quantum concoquere possunt 514
Sanitas incrementa summa excipit, aut mors 478

Satur

Saturitatis ac plenitudinis signa 147
Satyriasis diuersa interpretatio 268
Scabies biliosa magis prurit & fastigiata est 253
Scabies biliosa sicca, pituitosa uerò humida 439
Scabies ex omni humore 253
Scabies furfura exterit, lepra squamas 253
Scabies in uesica 364
Scirrhi & inflãmationis discrimina 462
Screatio super faucibus 49
Secandi qui 452
Sediminis rudimentum à uero distinguit motus 352
Semen à mare inijcitur, & ab utero attrahitur 411
Semen à spiritu anticipatur 424
Semen in præcalido loco potius torretur, quàm impletur 422
Semen laxum ac fluidum ægrè concrescit 423
Semen succum extendi & fundi nequit 423
Seminis pars duplex, spiritus, & aërea humiditas 424
Senectus prior & posterior 188
Senectus prior aut declinans ætas 275
Senectus posterior morbus 279
Senectus posterior omnibus morbis obnoxia 188
Senectus præcox, balneum frequẽs 386
Senectus ratione frigiditatis plures superfluitates accumulat, quàm occasione siccitatis absorbet 202
Senectus tota frigidis molesta 222
Senes à quadragesimo usque ad ad sexagesimum 58
Senes citò offenduntur, quia inanes 510
Senes, & Seniores 188
Senes in proposito fortiores habentur iuuenibus 58
Senes in somno rarò modũ seruant 278
Senes licet intemperati raro subito moriuntur 191
Senes simpliciter iuuenibus debiliores 207
Senum corpora rara 237
Senum morbi longi 237
Senum urinæ tenues 90
Senibus uinum conceditur 222
in Senibus frequens hebetudo potentiæ 278
in Senibus melior uenter siccus, quàm humidus 214
in Senibus omnia mala suspecta 499
Sensibilium ordines 125
Sensus aboletur, & motus manet 194
Septentrio inferiores, Meridies superiores purgationes amat 290
Seruis & impeditis conuenit exercitari sub cœnam 144
Siccatur corpus affatim usque ad pubertatem: postea paulatim 202
Sicca constitutio expers morborũ 229
in Sicca cõstitutione morbi potius quæ runtur, quàm depræhenduntur 247
Sicca nares perstringunt 506
Sicciora egent glutino 447
Siccis & calidis iuuentus molesta 222
Siccitas cum caliditate 229
Siccitas cum frigiditate 228
Siccitas & caliditas alienant 489
Siccitas & caliditas immodica fœtum alimento spoliant ac fraudant 422
Siccitas & frigiditas quandam desipientiam facere possunt 482
Siccitas magna & frigiditas tandem uẽtrem incontinentiorem faciunt 152
Siccitas non est minus familiaris retentiuæ, quàm expulsiuæ 151
Siccitas nunquam mouet famẽ 299
Siccitas per se potius acutos quàm longos morbos parit 229
Siccitas similaris, & humiditas instrumẽtalis unionem impediunt 438
Siccitas sitim, secundò famẽ parit 154
Siccitas sola in causa est, cur solida neq; regenerari, neq; vniri possunt 447
Siccitatis & caliditatis differentia 116
Signa citra cõcoctionẽ secura non sunt 170
Signa ex ijs quæ præcedunt ulcus pulmonis 382
Signa futuri motus 87
Signa motus naturæ præsentiora 88

Signa mox apparentia uaria 51
Signa naturæ inclinantis ad uentrē 302
Signorum genera quatuor 45
Simplex nullum nutrire potest 135
Similia & consueta, dissimilia & dissueta diuersa sunt 209
Singultus à uomitu formidabilis 482
Singultus à uomitu multam inanitionē significat 478
Singultus ex frigiditate 374
Sitientes à cœna 396
Sitis aliquando crescit, aliquando decrescit in biliosis deiectionibus 301
Sitis, crudele remedium 512
Sitis ex cruditate abstinentia corrigitur 397
Sitis ex gulæ siccitate 334
Sitis immodica potum postulat 397
Sitis rarò in principio febris 107
Sitis causæ inter medicādum uariæ 301
Sitim qua ratione in pituitoso uentre purgatio excitet 301
Sitim qua ratione tussis sicca diluit 334
Sitim siccitas tollit 154
Solida dicuntur dupliciter 447
Solutiuū duobus modis incalfalcit 105
Solutiuum qui à prandio exhibēt, dupliciter offendunt 298
Somnus aliquando uires frangit 109
Somnus amissione sanguinis egregie refrigerat 109
Somnus ante meridiem nocet, & post ipsam 108
Sōnus concoquit, & uigiliæ digerūt 66
Somnus delirium sedat, quia refrigerat & dissipat 111
Somnus diuturnior & signū malum & causa 118
Somnus etiam in principio exacerbationis continuarum offendit 108
Somnus & potus in principio paroxismi febrem prorogant 108
Somnus & uigilia sensus cōmunis opera 111
Somnus in declinatione molestus non est, nisi qui materiam corrumpit 109
Somnus in principio exacerbationum inflammationis, ipsam auget 108
Somnus mediocris 118
Sōnus molest⁹ in declinatione est mortalis, nō tamen iucūdus est secur⁹ 110
Somnus multis modis medicamenti uī sedat 297
Somnus per se nihil facit 109
Somnus sudorem potius mouet quàm uigilia 320
Somnus uehementer nocet in prīcipio pestis 108
Sōni causa humiditas, d/u frigiditas 115
Somni causa in principio febris 107
Somni causæ in febribus acutis 115
de Somni delirio, timore, casu, & cōtractione, uide fo. 349
Somni profundi causa frigiditas 116
Somni tempus & concoctionis fere inuicem imitantur 118
Sōni tēpore uaria corporis mutatio 320
Somni tempore uirtus animalis impotentior 470
Somnum duobus modis exercitium cōciliat 114
Somnum sæpe magna cōtemplatio adducit 114
in Somno frequens accidens 114
in Somno pleræq; operationes animales feriantur, non tamen omnes 112
in Somno quidam obambulant, uident, scalas scandunt 112
in Somno quid fiat 169
Somniorum qualitas ex fumorum diuersitate prouenit 471
Sopor arguit uentriculos passos 468
Sopor, aut torpor 485
Soporis in deterius euadentis signum est stertor 469
Soporis uariæ causæ 469.485
Soporem ex materia flatulenta fere dolor capitis præcedit 469
in Sopore prior uentriculus patitur, in catalepsi & catoche posterior uentriculus 117
Sphacelus aut gangræna 504
Sphacelus in cerebro prōpte relinquit, aut interimit 505
Spinæ tubercula duplicia 465
Spinæ uarij casus 465

Spiran

INDEX.

Spirandi difficultas quadruplex 329
Spirandi difficultas ex uarijs locis oritur 329
Spiritus animalis an in ſomno retineatur, an reuocetur 113
Spiritus aĩalis ſimilis radijs ſolaribꝰ 199
Spiritus animalis ſubtilis 195
Spiritus animalis tempore ſomni recreatur 113
Spiritus animalis tempore uigiliæ ad exteriora diffunditur, tempore ſomni quodammodo retrahitur 480
Spiritus an ſit operatio miſta 194
Spiritus cum quodam ſtrepitu 472
Sp̃s interceptio ex ſiccitate mortalis 471
Spiritus lõgius euadit ipſo ſemine 424
Spiritus offendens 350
Spiritus offendit ſæpe ante criſim 350
Spiritus ſemen anticipat 424
Spiritus tribꝰ de cauſis intercipitur 471
Spiritum animalem ſua ui partes prouocatæ per anguſtias trahunt 194
in Spiritum peccat, qui prudens ueritatem peſſundat 216
Splen quo magis intumeſcit, eo corpus magis contabeſcit 259
Splenetici 284
Splenetici luctuoſa ſæpe ducunt ſuſpiria 350
Spuma in apopletico mala, in epileptico bona 180
Spuma in apopleticis ſignificat extinctionem proximam 196
Spuma ĩ apopleticis tuſsĩ nõ mouet 196
Spuma in epilepticis atteſtatur materiæ morbi 196
Spumæ gnãtio in ſtragulatis duplex 196
Spumæ in iratis aut fatigatis ratio 196
Sputum craſſum concoctum 49
Sputum in pulmoniacis natura magis ſpumoſum, quàm in pleuriticis 492
Sputum ſuper affectibus pectoris 49
Squámæ ſolius ueſicæ 368
Status malas excretiones excuſat 305
Status diuiſio 174
in Statu oportet ubiq; uiuere tenuiſsimè 39
in ſtatu quieſcendum 95
Sterilitatis duæ cauſæ 419
Sterilitatis mulieris prima cauſa frigiditas, ſecunda humiditas 422
Sternutamentum difficilius humiditas quàm caliditas mouet 505
Stenutamentum initium ſumit ex tribus locis 505
Sternutamentũ in ſingultu ſubinde nocet 442
Sternutamentum nunc ſemen mouet, nunc fumum reuellit tantũ 401
Sternutamentum omnis qualitas mouere poteſt 505
Sternutamentũ ubi ſingultui ꝓdeſt 442
Sternutamenti cauſæ, ac ſonus qui in eo fit, generatio 506
Sernutamenti uim narium aſtrictio prohibet 412
in Sternutamẽto ex naribus caput eleuamus, ex uentriculis uerò cerebri ſtatĩ deprimimus 506
in Sternutamento mediæ partes cõprimuntur, & extremæ exprimuntur 412
Stertor, in morbis prẹter conſuetudinẽ mortalis 469
Stertor ſignum ſoporis in deterius euadentis 469
Stillicidium urinæ affectus quidem ueſicæ, ſed ſæpe aliunde oritur 367
Stillicidium urinæ duplex 463
Stillicidium ob urinæ mordacitatẽ 485
Stomachici 284
Stomachus etiam mouetur, moto cerebro 468
Stomachus laceſsitus potius bilem reddit quàm alium húmorem 468
Strangulationis periculum duplex 370
Strangulatorum modus 196
Stranguriam per conſenſum facientia tria ſunt 418
Stridoris cauſæ 7
Stulti & quare 456
Stupores particulares partium 510
Subet & Catoche idem 117
Sublimamentum 356
Subſtantia ſolidorum, quia nullam amplíꝰ alteratiõẽ admittit, difflatur 69
Subucula recens ſua frigiditate ferè fluxum

xū mēstruū intermissū renouat 414
Succi externi turbantur tribus aut quatuor modis 354
Succis malis repleti, medicationē non ferunt 288
Sudamina 257
Sudor affatim uenit 478
Sudor constans 313
Sudor exēplum aliarū euacuationū 311
Sudor ex omnibus quatuor humoribus oritur 321
Sudor frigidus ex materia calida pessimus, optimus calidus ex materia frigida 322
Sudor frigidus in febre acuta caloris naturalis extinctionem significat 317
Sudor multus copiam sequitur 320
Sudor nunc phlebotomiam, nunc purgationem expostulat 321
Sudor obiter factus nihil graue ostendit 321
Sudor paruus duplicem habet causam
Sudor per accidens frigidus est 317
Sudor plerunq; calidus 317
Sudor rarus in quotidiana febre 347
Sudor temporaneus aut criticus 318
Sudor triplex 337
Sudoris color licet ferè appareat similis, sapor tamen admodū diuersus 321
Sudoris materia sæpe ex profundo corporis attollitur 319
Sudoris primum ac securissimum remedium sobrietas 320
Sudori opportunior dies q̄ nox 320
Sudorē impfectū rarò horror seqt 478
Sudorem nō omnē rigor antecedit 311
Sudorē nō semper antecedit rigor 347
Sudores plures in æstate quàm uere, & rursum plures in æstate simili ueri q̄ naturali 228
Suffitus caput offendunt 398
Suffitus utero excogitatus 398
Superfluitas duobus nominibus articulis utilis 475
Superfluitas multa in articulis 475
Suppurare & urere extrema morborum remedia 501
Suppuratio aliquando diariam febrem, aliquando putridam efficit 20
Suppuratio inflãmationis certa est, quæ ante decimumquartum nullum signū concoctionis accepit 378
Suppuratio magis affligit, quàm resolutio 506
Suppuratio sub tunica hepatis pus albū exhibet 502
Suppurationis incipientis signa 383
Suppurationis initium uarijs diebus incipit 378
Suppurationem distentio sequitur 204
Suppurationes diuersæ 383
Suppurati pauci urendi & secandi, nisi in quibus ob naturæ solam impotentiam morbus expurgari nequit 452
Suppurati quotidie exacerbantur 54
Suppuratorum expurgationis tempus uariat 383
Surditas añ crisim duplicit gignit 343
Surditas ex uarijs humoribus uariã sortitur fortunam 343
Surditatis uaria occasio 310
Suspirium luctuosum 472
Symptoma unūquodq; ferè suo attestatur humori 9
Symptomatis causarum distinctio 128
Symptomatum diuersitas 508
Symptomata sæpe sequuntur morbi causam 239
Symptomatum diuersitas 508
Symptomatū quatuor differētię duę 509
Symptomatum singulorum in boulimo successio 156
Syncope irreuocabilis 427
Syncope tribus modis refrigerat 98
Syncopes diuersæ causæ 99
in Syncope duplex motus 98
Syncopa animi defectu grauior 98
Syncopa facile curatur, apoplexia difficile 195
Syncopa in his euacuationibus potius sequitur bonorum humorum defluxum, quàm effluxum 99
Syncopæ & cardiacæ differentia 191
Syncopæ & defect⁹ animi differētia 191
Syncopæ & deliquij ratio 97
Synochos humidam constitutionem sequi

quitur, synocheis siccitatem 234
Synochos quartus quare iudicet 311
Synochi 500
Synochi quidam semper æquales 31
Syrupi uulgares non sunt contemnendi 132

T

Tabes an sit contagiosa 380
Tabes ex ulcere pulmonis hic rara 247
Tabis species ex suppuratione post annum quadragesimum 379
Tabidi 426
Tabescentium differentiæ 232
Tabescentibus statim in principio purgatio conuenit 289
Techna, & Aphorismi, duo medicinæ compendia 1
Techna habet generalia, Aphorismi mysteria 1
Tela aranea 356
Tela & lacrymæ eiusdem sunt naturæ 478
Telephus Grammaticus 386
Temperata natura ferè ubique fœcunda 424
Temperatissimum est uiuacissimum 5
Temperati etiam sua habent incommoda 154. 266
Temperati ubiq; amant similia 223
Temperatura bona suo circunscribitur termino 402
Temperatura calida & humida ad difflationem maximè idonea 172
Temperatura in plantis pertinax 5
Temperatura plerũq; à similibus offenditur 220
Temperaturæ forma proxima 219
Tempus accessionis ad expulsionē, uerùm tempus remissionis ad cōcoctionem opportunius 43
Tempus anni ferè semper postulat contraria 73
Tempus circuitionis, & hora accessionis, ex ijsdem capitibus cognoscuntur 52
Tempus excretionis imitatur cōcoctionem 148
Tempus opportunū exercitationi 144
Tempus opportunum in synocho 43
Tempora duplicia morbos gignunt, & quæ qualitatis speciē mutant, & quæ modum non seruant 218
Tempora illegitima quæ modum qualitatis mutant 230
Tempora illegitima semper cum quadā inæqualitate sunt 230
Tempora legitima quæ 230
Temporum distinctio causas discriminat 110
Temporum & ætatum summa comparatio 251
Temporum naturales successiones priores morbos corrigunt, & nouos afferunt 218
Temporum uaria distinctio 243
Tenaſmus aborsum parit 419
Tentare aliquid temere, aut rursum mutare non decet 213
Tenue aliquādo citius accēditur quàm calidum 223
Tenuia in utrunque extremorum facile conuertuntur: facile incalsiunt, & rursum frigesiunt 395
Thriuerij commētarij in libros De sanitate tuenda 207
Thriuerij libellus De temporibus morborum 33
Thriuerij Paradoxa 395
Timidus timore afficitur frequentius, sed fere leuius 211
Timor sæpe delirium præcedit 451
Timor uanus post somnum delirij species 349
Tineæ lati 269
Tonsillæ hic potius inflammātur, quàm uuulæ 267
Tormina neque ex quouis humore, neque in quouis loco 293
Tormina quæ oriūtur ab intestinis 293
Tormina sub peritoneo 293
Torpor aut sopor 485
Tremoris & rigoris differentia 387
Tristitiæ sedes in corde 332
Tubercula 254
Tubercula aliquando manifesta 313

Tubercula indicantia statim fiũt, reliqua paulatim accedunt 324
Tubercula in spina duplicia 465
Tubercula morbos acutos indicant 513
Tubercula pueris in capite 323
Tubercula uictus accusant incontinentiam, post longos morbos 513
Tuberculorum causa aliquando uoracitas, aliquãdo caloris imbecillitas 324
Tuberculorum causa duplex 323
Tumor ferè necessario sequitur 428
Tumor uentris in causa est, cur tandem ubera intumescant 403
Tumores molles suppurationi attestantur 428
Tumoribus longis paulatim aliquid influit, in acutis omnia affatim fiũt 336
Tussis distinguit difficultatem spirandi ex pectore & alijs locis 329
Tussis in febribus ardentibus 334
Tussis uariat 189
Tussis uarijs ex causis hydropisim sequi potest 503
Tussis quoddam genus difficile in fine infantiæ, aut prima pueritia, & durat ferè diebus quadraginta 263
Tusses & insomnia alimenti sequuntur copiam 263
Tusses siccæ periculosiores 503
Tympanitis & ascitis differentia 294

V

VAna & obscura omnem interpretationẽ admittunt 24
Vapor in cerebro sæpe per se cogitur 334
Vapor malus ex utero facile caput petit 420
Varices auocant 449
Variolæ & puerorum morbilli ex sanguinis corruptione 77
Vber utrunque ferè tandem collabitur 404
Vbera ante omnem aborsum, saltẽ paulo ante, attenuantur 415
Vbera attenuata aliquãdo iterum usque ad duritiem implentur 415
Vbera dura imbecillitatem, sed minorẽ accusant 414
Vbera fungosa 406
Vbera in fine subsidunt citra periculum 404
Vbera per inediam paulatim detumescunt, per alias ferè causas subito 415
Vbera solida media inter dura, & tenuia, aut flaccida 414
Vberum attenuatio non est certa 415
Vberum duritiem fere unum ex multis incommodis sequitur 415
Vberum gracilitas ante nonum mensem aliquem affectum significat, & aborsum, siue paulatim siue affatim fiat 404
Vberum tumoris, uentris tumor causa est 403
Venæ sectio inflammationẽ soluit 503
Venarũ maior est delectus, quàm ipsius infantis 264
Venenum nullum fere frustra 283
Venena tolluntur alexipharmacis aut uomitu 92
Venena calida ægrè in nutrimentum cõparari possunt 147
Vento subsidẽte multa clarescũt, urinæ uerò minimè 354
Venti quatuor distinguuntur iuxta quatuor partes horizontis 225. item rursus in tres unaquæque pars distribuitur.
Ventorum omnium materia aër est 225
Venter debet esse mediocris in concipiente 407
Vẽter humidus in senibus suspectus 214
Venter in senibus obdurescit, in pueris mollis, in iuuenibus uarius 151
Venter lubricus à multis asserit incommodis 256
Venter siccus in senibus melior, quàm humidus 214
Ventris dolor diuturnus ex inflãmatiõe suppurationem præsignificat 488
Ventris fluxus causa, non catarrhus, sed ipsa imbecillitas 516
Ventris dolor facilem curationem recipit 488
Ventris tumor in causa est cur ubera tumescant 403

Ventris tumor sæpe exhauritur, & æger moritur 443
Ventrem humidiorem uoracitas reddit 152
Ventrem mutantia quinq; sunt 152
Ventrem ubiq; lenire competit 94
Ventriculus quare mordeatur in febribus acutis duplex causa 348
Venrriculus qui lac excipit, & excrementi & alimenti expers esse debet 425
Ventriculi æstus & eiusdem morsus periculo uacat in intermittentibus 348
in Ventriculi affectibus uinum cur lymphetur 509
Ventriculi alterius ex duobus obstructio, apoplexiam generare sufficit 198
Ventriculi calorem adeps auget 184
Ventriculi os multis modis humectatur atq; laxatur 296
Ventriculi patientis signa 345
Ventriculum frigidum iuuãt quæ circũstant 183
in Ventriculo altero obstructio, facilè extinguit spirum in altero 198
in Ventriculo eadem alimenti & excrementi ratio 369
Ventriculi in epilepsia non contrahuntur 199
in Ventriculis maxima uis habitat 191
Ven⁹ articulos infrigidat & exiccat 453
Venus decaluat, quia rarefacit 454
Venus maximè articulos offendit 453
Venus maximã sibi partem uendicat in podagra 455
Venus mulierem minus quàm uirum attenuat 454
Vermes & calculi ex materia phlegmatica, & crassa 267
Vermes lati 262
Vermium diuersorum diuersa loca 269
Vermium species 269
Vernalium morborum breuis collectio 255
Ver ad exteriora humores mouet 482
Ver plus alimenti fert, quàm autumnus 70
Ver sanguinis copiam auget, qui & instrumentales & similares morbos parit 252
Ver singulorum temporum morbis cõmunicat 253
Ver temperatum aliquando calidũ dicitur, & humidum 227
Veris morbi 252
in Vere dolores articulares 259
in Vere inedia 70
in Vere natura paucis eget 70
Veritas oppugnari potest, expugnari nequit 216
Veritatem prudens pessundans, in spiritum peccat 216
Verrucarum genera 268
Vertebræ superiores facilius uiolantur 268
Vertebræ contractæ pectoris spatium faciunt angustius 465
Vertebrarum luxatio ab eximio aliquo tumore 257
Vertigo quid significet 300
Vertigines ex uapore solo leniores 250
Vesicæ aliquot affectus perstringunt anum & uterum 419
Veterumpræclarissima ingenia temporum iniuria conspurcata 216
Victus alius in febribus acutis ex plenitudine, aut cacochymia, alius in febribus pestilentibus, aut ex inedia 30
Victus exquisitè tenuis periculosus in lõgis, quia tenuior, in acutis, quia uberior 19
Victus exquisitus ubiq; periculosus 188
Victus extremè tenuissimus rarissimè competit 20
Victus humorem sibi similem parit 9
Victus modicus 16
Victus modicus apud Hippocratem inauditus 17
Victus modicus non conseruat 16
Vict⁹ mollis ob duas causas damnat 209
Victus plenus 16
Victus plenus nõ semper uires auget 16
Victus plenissimus nusquam conuenit, est ubi expedit tenuissimus 26
Victus tenuis 17
Victus tenuis quid Galeno 15
Victus tenuissimus an in peste conuenit

nit 29
Victus tenuissimus mellicratum 18
Victus differentiæ quantitatem sequuntur, nedum qualitatem 18
Victus neglectus 131
Victus pleni definitio Thriuerij 16
Victus scopus in omnibus morbis 17
Victus tenuis differentiæ multæ 17
Victum cur comparare oportet morbis 222
Victum tenuissimum plura in statu postulant 31
Vigilia exiccat, & incalfacit 487
Vigiliæ digerunt, somnus concoquit 66
Vigiliæ longioris incommoda 118
Vimen uariè obtorquetur 464
Vincula, quibus fœtus alligatur, eiusdē rationis cum pomorū pediculis 279
Vinum cerebro inimicum 176
Vinum debet crassescere, priusquam uertatur in alimentum 137
Vinum diuersos rationibus, diuersis articulos offendit 453
Vinum & aqua mutuam sibi operā præbent 509
Vinum & Venus egregiè articulos frangunt 452
Vinum extenuat 455
Vinum lymphatum citius inebriat 135
Vinum potius lymphatum, quàm ex natura tenue 509
Vinum lymphatum quosdam citius inebriat, quàm meracum 509
Vinum lymphatum sufficienter uapores disijcit 509
Vinum senibus conceditur, adolescentibus modicè permittitur, pueris interdicitur 222
Vinum ut est calidum, ita promptissimè ad superiora ascendit 375
Vini duo contraria incommoda 481
Vini in magna fame pericula 155
Vini potio urinæ difficultatē ex obstructione soluit 503
de Vino rubro uulgaris opinio 137
Vires animales operando fatiguntur: naturales ac uitales recreantur 119
Vires defectæ 37
Vires multiplices 16
Virium comparatio ex diuersis 37
Virium fortium descriptio 37
Virium imbecillitas extenuationis causa est, aut temperatura 172
in Viribus defect⁹ temeraria omnis euacuatio 100
Viribus firmis, an infirmis, an plus debeatur 74
Viragines paucos menses exigunt, rarò concipiunt, rarius conceptum perficiunt 423
Virgines quare suppressis menstruis minus patiuntur cittam 407
Virginum lac 406
Virginibus, licet menstrua diu retineantur, raro lac generatur 405
in Virginibus & prægnantibus menses per collum uteri 407
Viri effœminati 500
Virt⁹ animalis citius offēditur calido q̃ naturalis 175
Virtus animalis in statu debilior reliquis 175
Virtus omnis ignaua citra caloris naturalis societatem 97
Virtus sæpe emicat, ubi æger grauius sese habet 7
Virtutes aliquando nomine naturæ inaudiuntur 219
Viscerum legitimum munus diu desiderari nequit 446
Visus & auditus ut sunt alijs sensibus illustriores, ita facilius offenduntur 226.249
Vita consistit in tribus 65
Vita duobus constat, temperaturæ modo, & caloris naturalis beneficio 220
Vita pertinacior in plantis, quàm animātium partibus 474
Vitiligo Iudęorum lepra 254
Viuacissimi 197
Viuendi scopus unus à uiribus 37
Vlcus quietem postulat 486
Vlcera cum malo habitu 464
Vlcera ex frigore 392
Vlcera ex humore melancholico 464
Vlcera hydropisim ostendunt incurabilem.

Item 438
Vlcera in osse 464
Vlcera quatuor difficilia 464
Vlcera quibus fluxus imminet 464
Vlcera solo uino lauari sustinent 391
Vlceribus & à calida aqua, & frigida noxa imminet 388
Vlceratio magna in intestinis lethalis est 309
Vmbilici inflatio 262
Voluulus frequentior in autũno, quàm in hyeme 260
Vomicæ & abscessus quare 383
Vominis ratio 309
Vomitus cur sequatur icto cerebro 468
Vomitus diuturnus malo est 444
Vomitus & ructus acidus eiusdem naturæ 444
Vomitus facilimus à cœna, sed purgatio per inferiora periculosa 296
Vomitus ferè prouocatur, moto cerebro 468
Vomitus frequens in infantibus 263
Vomitus in lõgo profluuio nõ est bona causa, sed tantum bonum signũ 444
Vomitus naturalis 8
Vomitus quare cietur in morbis melancholicis 370
Vomitus superiorum gracilitatem, deiectio inferiorum minus fert 184
Vomitus utilia in quartanis 290
Vomitus causa difficilis 293
Vomitus prompti causa 287
Vomitum currus, & nauis, præcipuè aquæ motæ conspectus mouet 296
Vomitum in stomacho non quiuis morbus ciere potest 468
Voracitas & crapula differunt 455
Voracitas uentrem reddit humidiorem 152
Vrendi qui 452
Vrere commune acutis est 3:8
Vrere & suppurare extrema morborum remedia 501
Vrina admodum fallax 9
Vrina affert coniecturam, sanguis ipse manifestam humorum speciem 402
Vrina alba & pellucida 358
Vrina alba in delirantibus 358
Vrina aliquando à mensibus retinetur 463
Vrina altera cur altera facilius turbetur 355
Vrina certius indicium præbebit, quàm dierum numerus 348
Vrina colliquationem sequens, timenda 362
Vrina crassa cruda 49
Vrina crassa melior aquosa 493
Vrina crassa per se 354
Vrina cruenta 361
Vrina duo significat 10
Vrina ex motu spumosa 494
Vrina fallax, pulsus fallacior 37
Vrina farinacea citra colliquationẽ 493
Vrina frequentius subcruenta, quàm sanguis 365
Vrina furfurea ulcera in uesica significat 362
Vrina imprægnationis nullum signum continet 407
Vrina in hydropisi triplici de causa tingitur 458
Vrina in morbis ante statum non solùm substantiam, sed & colorem sæpe mutat in melius 357
Vrina in pleuritide ac similibus inflammationibus uix attestatur humori in loco affecto 336
Vrina integra in imprægnatura 421
Vrina mulierum dilutior, uirorum pellucidior 358
Vrina pinguis per se colliquationem significat 495
Vrina potius concoctioni attestatur, quàm putredini 35
Vrina perspicua duplex 358
Vrina quæ in morbis admodum cito perturbatur, ferè mala est 355
Vrina spumosa per se renum frigiditatẽ significat 494
Vrina subito pinguis inflammationem in renibus significat 49
Vrina super morbo in uenis 49
Vrina sup uniuerso corpe significat 142
Vrina ut anticipet abscessum, aliquando

robur, aliquando uirtutis infirmitas in causa est 360
Vrinæ arenæ in uesica & renibus an differunt 366
Vrinæ arenæ duplices sunt, uiscosę & friabiles 366. & quid significent.
Vrinæ color maximè apparet in circulo 352
Vrinæ difficultas duplex 503
Vrinæ difficultas ex inflãmatiõe uesicæ
Vrinæ difficultatẽ ex obstructione uini potio soluit 503
Vrinæ stillicidium affectus quidem uesicæ, sed sæpe aliunde oritur 367
Vrinæ stillicidium duplex 463
Vrinæ stillicidium ex frigore & humorum corruptione 503
Vrinæ sedimen pituitosum in fundo deses 493
Vrinæ sedimẽ biliosum suprà fert 493
Vrinę sedimen suprà tenue biliosum, acutum: crassum uerò, ac farinaceum longum significat morbum 493
Vrinæ partes 351
Vrinæ turbatæ uaria causa & uaria fortuna 360
in Vrina circul' pcipuè attẽdend' 284
Vrinam farinaceam ex colliquatione oleagina pcedit, furfuracea seqtur 493
in Vrina furfurea quædam exeũtia, adustionem significant 362
Vrinæ crassæ subinde lõgos morbos expurgant 361
Vrinæ crudisimæ tenues 352
Vrinæ omnes in quibusdam ex ordine concoctæ 143
Vrinæ pingues & oleaginæ uaria significant 492
Vrinæ quare à principio tenues, & postea crassæ 352
Vrinæ quæ calore extenuantur 355
Vrinæ quæ minguntur tenues, & crassescunt, quædam bonum, quædam malum arguũt 355
Vrinæ quæ motu turbantur, quiete declarantur 355
Vrinæ senum tenues 90
Vrinarũ crassarũ triplex differentia 352
Vrinarũ ordo subinde inuersus & contrarius uidetur 365
de Vrinis pturbatis uaria disputatio 353
de Vrinis uariæ experientiæ 355
Vterina pro secundis 401
Vterini nomen latè patet 401
Vterus densus parcius nutrit 422
Vterus frigidus semen extinguit 422
Vterus humidus suffocat 422
Vterus in principio quibusdam urinæ stranguriam & uentris facit difficultatem 419
Vterus naturaliter cõprimitur aut clauditur 414
Vterus ubi in latus declinat, sinamenta: alibi uterini clysteres conueniũt 411
Vteri dextera pars duabus occasionibus calidior sinistra 411
Vteri & recti intestini consensus 490
Vteri fumus prompte caput ferit 401
in Vteri fluxibus repercutientia plerunque periculosa 413
Vteri indignatio omnes ferè humores ad se rapit 415
in Vteri longis destillationibus potius conueniunt localia remedia aut clysteres uterini, quàm cucurbitæ 413
Vteri suffocatio diuersisima habet symptomata 401
Vulgus rationem ubiq; negligit 356
Vulnus capitis simplex, & periculosum 485
Vulnera in neruosis partibus 428
Vulnera in principalibus particulis 428
Vulnera praua ac fortia duplicia 428
Vulnerum capitis dignotiones quousq; procedant 467
in Vulneribus conuulsio ex plenitudine rarò sequitur 373

Z

Zona per Coum temperata est 241

FINIS.

HIPPOCRATIS APHORISMORVM

LIBER I.

APHORISMVS PRIMVS.



ITA breuis, ars uerò longa, occasio autem præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solùm seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & asſidentes, & exteriora.



AM Techna Galeni, quàm Hippocratis Aphorismi latißimam illam medicinæ artem compendio ambo perstrinxerunt, sed ratione diuersa. Techna enim generalißima tantùm capita, corporum, signorum, causarum, atque etiamdum ea, quæ uel ex se manifesta, uel non admodum obscura sunt, latè percurrit. Aphorismi uerò difficilimas quasque medicinæ partes, sed obiter tantum insinuant. Prolixior igitur, ac fortè uerbosior Techna Galeni erit, si uerba, non tantùm paginas expendas. Sed Hippocratis liber multo prægnantior, ubi nullus Aphorismus (idem est, ac si abruptam atq; circuncisam definitionem dicas) tam breuis est, qui suum nõ habeat mysterium, & breuibus uerbis longam, sed occultam, sententiam. Videtur mihi Hippocrates cosmographos quosdam imitatus: qui dum uniuersum orbem in angustiorem mappam contrahunt, omißis uacuis spatijs duntaxat grauiores ciuitates ostendunt. Quippe & ipse nunc circuncisis longioribus demõstrationibus atque inanioribus ambagibus, tantùm nodos, & cardines rerum notat, ex quibus alia quasi ex carcere promas. Nec mirum: nam Medicina propemodum infinita, atq; multorũ quidem hactenus opera aucta, sed nondum omnibus suis modis absoluta.

Techna, & Aphorismi, duo medicinæ compendia.

Techna habet generalia, Aphorismi mysteria.

Aphorismorũ breuis dictio, sed multa sententia.

Hippocrates imitatus cosmographos.

Medicina infinita.

ta. Semper enim pro sua uarietate ac difficultate aliquid relinquit, quod antea nemo explicuit: adeò uaria ac difficilis est eorum, quæ ad rerum naturas, morbos, causas, ac fortunas eorundē attinent, cognitio: neque enim grauißimorum uirorum autoritates sufficiunt, nisi rationes accedant. Quapropter nihil hic ferè tam clarū est, quod nullam obscuritatem habeat: tam certum, quod non admittat disputationem: quippe neque generalia ipsa præcepta, licet ab omnibus citra controuersiam recepta, nodo carent. Nam quòd contrarium curetur contrario, antiquum est, & apud omnes in confesso: ueruntamen an hoc solum aut perpetuo curet, iam etiam triuiales paßim de illo quæstiones sunt, quorūdam celebrium Medicorum iudicio, nondum satis exactæ: vt ferè nihil inuenias, quod nullā litigādi causam præbeat. Ac talis quidem est in ea Medicinæ parte difficultas. In altera uerò, quæ de simplicibus est, multo maior: nō quidem ob eam causam, quia ipsa interstinguere sit difficile: nam hæc difficultas post inuentionem nūc primùm orta est: sed quia à principio difficilimum fuit, uniuscuiusq; facultatem atque uires eruere. Non enim has potestates euidēter obtinent, sed clàm à cœlestibus recipiunt. Nec ratio eas inuenit, sed fortunata aliqua tandem experientia, post multa pericula facta, arguit. Raro autem morbus occurrit, cui præsens medicamentum statim destinari potest: rarius opportunū morbi tēpus: nō enim ubique unum, sed pro uarietate temporis uariū cōuenit remedium: adde quòd iam multa præcedunt, multa aliquando sequuntur: sæpe etiam quædam cōueniunt, quæ medicaminis propositi exhibitionem parum tolerant: adeò ut unius remedij exhibitio atque approbatio, iam non unius anni, sed sæpe multorū fortè seculorum opus appareat: adeò rara ac præceps occasio, fortunaque, quæ fortunatum remedium ostendit, rarior quæ omnino commendat. Nō enim una, sed plures secundæ experientiæ id possunt, nunc in diuersis, nūc in similibus, regione, ætate, habitu, corporibus. uerùm similitudines rarißimè se offerunt: omitto quòd periculosa sit prima ipsorum experientia. Primò quidē eorum, quæ uim purgandi obtinent: deinceps & omniū aliorum. quippe & alexipharmaca media sunt inter salubria & insalubria: quibus opportunè accōmodantur, remedia: quibus uerò aliter, uenena: certè non

Omnia obnoxia cōtrouersijs.

Difficilis simplicium medicamentorū inuentio.

Medicamentorum periculum.

tè non

tè non semper poterit resarciri delictum. Tanto posthac æquiores quidã medicis esse debent, qui peregrinis interim medicamentis, cognitis tamẽ, magis quàm domesticis, sed incognitis, utãtur. Veteres enim, dicẽte Galeno, illorũ tulerũt pericula: nisi fortè huiusmodi homines nostrorũ medicamentorũ primũ uoluerunt subire experientiã: quod cùm nõ libenter faciant, medicinæ angustias ac pusillanimitatem æquo animo ferre debent. Sed de difficultate medicamentorum proposueramus dicere: quorum experientia licet innoxia esse poßit, certa tamen non est, etiamsi paßim conferre uideatur: adeo multa nobiscum cõuersantur, quæ nihilo secius quàm medicamentum corpus immutant: ut non facilè dijudicare poßis, quódnã ex omnibus uel obfuit uel profuit. Prætereo enim aërem, quem continuo inspiramus: cibum & potum, quo quotidie uescimur: excrementa, motusq; corporis, milleq; alia, quorum societatem uitare nunquam possumus: quippe & paßiones animi non minimum in morbis momentũ habent: sed multi fuere, quos subita oppreßit tristitia, quos repentinum exoluit gaudium, ac paßim letis bene tristibus male afficiũtur. Tum hæc igitur, tum sexcenta alia sunt, quæ iuuare ac nocere solent, non tantùm medicamẽtum. Quare promptum quidem est cognoscere euentum, sed difficilimum est ipsius causam conijcere: & nisi æquißimus iudex fueris, & singulorum discriminum bene peritus, sæpe erit ubi quod profuit obesse, quod obfuit prodesse putabis. Quippe quia dormiuit fortasse, quia uigilauit, decubuit, aut aliter se geßit, sanatus est, tametsi medicamẽtum fuerit importunum. Atque econtrariò sæpe euenit, ut medicamentum idoneũ, atque idoneo tempore datum sit, sed alijs accidentibus causis, quas suprà diximus, impeditum: adeò quidem facile est ubique dicere, hoc est alterum subsequutum: sed difficilimum unicuiq; suum distinguere effectum. etenim casum ac fortunam depræhẽdunt ac cognoscunt omnes, causam uerò admodum pauci, subinde nulli. Accedit ad Medicinæ difficultatẽ, quòd æger aliquando mollior est, quàm ut Medico omnino pareat, & hoc bene persuaso, amici subinde imprudentiores sunt, quàm ut illum obtemperare præceptis permittant, uel quia Medico parum fidunt, uel quia eius præcepta nimis scrupulosa existimant: ita ut parum interesse putent, sic an aliter

Potius receptis quàm nouis vtẽdum.

Concurrentib⁹ varijs causis, difficile est vnam perstringere.

Euentus sensibilis, sed causa difficilis.

Multorũ negligẽtia vim medicamentorum obscurat.

liter uiuat, hoc uel illo modo stratum, cubile, & aër sese habeat. Oportet tamen non solùm ægrum, sed & familiares, & hæc omnia prædicta iuxta morbi conditionem appositè se habere: quia sæpe non minus ijs, quàm medicamentis morbus emollescit, atq; exasperatur: adeò difficile est medicaminis discrimina experimẽto colligere. Idem de medicis ipsis sentio, inter quos ob eandẽ causam difficile poteris doctum ab indocto (si euentus spectes) discernere. Etenim fortuna tam rudem, quàm eruditum aliquando commẽdat. Indicio fuere Asclepiades alter, & tempore Agesilai Menecrates: ambo enim insigniter indocti, sed egregiè gloriosi. Atque difficultas quidem quæ fuit in Medicinæ cõstitutione, dicta est: sed neque inuentam Medicinam aut cõstitutam æquè facile ac alias parare est. Nã reliquæ quibusdam breuibus constant oraculis: quædam etiam solis hominum decretis & autoritatibus, quas iustitia sola atq; iniustitia dirimit. Medicina ipsa altißimis cordis penetralibus eruenda est. In primis artes liberales certè plurimas requirit. deinde indagatio naturæ, morborũ, causarum, signorũ, remediorum, non quẽuis quantumcunque triuialem, sed mediocrem uirum admittit. Siue igitur illius inuentionẽ spectes, siue inuentæ comparationem, Medicina omnibus alijs artibus est operosior, lõgior, ac difficilior. Et quomodo ergo homines ignaui hanc sibi uendicant, & nusquam minus temporis, quàm in hanc collocant? Ac tantum de Medicinæ difficultate: cuius cur potius hic quàm alibi Hippocrates meminerit, multi conati sunt causam ostendere: quorum omnium ferè coniectura à Galeno redarguitur in commento, dum Hippocratem hac ratione omnes ad scribendos rei medicæ Aphorismos hortari putat, aut ut sub his ipsam artẽ primùm accipiãt, consulere. Atq; lubens fateor, quòd nulla alia doctrina utilius quàm hæc aphoristica tyronibus utcunq; institutis prælegi poßit, ijs præsertim, quibus non licet diu publica lectoris uoce atq; opera frui. quippe totius Medicinæ continet semina. Vereor tamen ne uel hæc Galeni cõiectura Hippocratis ignoret mentem: nam nisi mea quoq; suspitio me fallat, ea sola causa fuit, quòd in alijs libris partem aliquam medicinæ scripserit, hîc uerò totam compendio quodam absoluerit. Nusquam enim opportunius ipsius artis prolixitas notari potuit, quàm

Medicorum discrimẽ difficile.

Ars medica, omnib⁹ alijs scientijs difficilior & prolixior.

Medicina dũtaxat perspicacẽ ex natura virum admittit.

Variæ coniecturę cur Hippocrates prefatiõe vsus fuerit.

Galeni coniectura.

Nostra suspicio.

quàm ubi totam reddidit. Sed parui mométi ista sunt, ac per me unicuiq; sua coniectura manebit. Malo hic inquirere, cur hominis uita quàm aliorum animantium, saltem plantarum multarum breuior sit. Nam licet nō ita multū ipsum requirat propositum, tamē quia difficultatem habet, nec alibi fortè occurret, nunc dicendū est. Auspicabimur autem hanc ipsam demonstrationem à communi interitus causa, quæ est elementorum corporis nostri controuersia. nam eo semel posito, certum est, quòd unaquæq; species tanto erit fluxibilior, quo ipsa contrarietas est euidentior. Est autem in homine euidentissima, ubi singula propemodum elementa suam phantasiam edunt: hoc multitudo morborum in homine plus quàm ferè in quouis animante alio arguit, nec minus ipsorum indiuiduorum differentiæ: etenim nusquàm alibi indiuidua tantum uariant. nec hoc temere factum est, sed ita ob necessitatem operationum ac officiorum comparatum est. pauca enim alia sunt corpora, quæ tam multiplicia aut uaria habent munera, quorum ferè unumquodq; suo gaudet elemento. At reliquorum, præsertim plantarum, officia simpliciora sunt, sæpe unius duntaxat modi: quare in ijs reliquorum elementorum genus obscurius est. ipsius autem terræ citra magnam aliorum cōtrarietatem uis emicat: nec est quòd horum indolem statim ab ipsa terra extingui timeas: non enim omnino distinctos genios oportebit intelligere, sed geniū ipsius terræ qualitercūq; reliquorū naturis commoderatum. Hæc mihi uidetur causa, cur plantæ hominibus multo sint uiuaciores. Simile & inter ipsa animantia oportet commentari. Veruntamen unumquodq; in sua specie ut est temperatius, ita est uiuacius. Nam neq; quercus, quamuis terræ facultatē ac uim tolerat, sed sub immodica frigiditate extinguitur: quia modum quendam, eius operationes requirunt, citra quem consistere nequeunt. Multo minus homo melancholicus temperato erit diuturnior: flaccescūt enim statim in eo uires: ueruntamen substantia eius pertinacior: & hæc quoque altera aut secunda nostræ præcipitationis causa est. Nam antiquum est, quòd continua substantiæ nostræ detritio sit ineuitabilis interitus occasio. Est autem substantia hominis multis alijs animantibus fluxibilior, quemadmodum etiam est generosior.

Cur homo multis alijs animātib⁹ uitæ sit breuioris.

Euidens elemētorum cōtrarietas uitā abbreuiat.

Nusquā manifestius oīa elementa q̄ in homine.

Homines maxime inter se variant.

Temperatura in plantis pertinax.

Plantę viuaciores hominibus.

Tēperatissimum est uiuacissimum.

Homo melācholicus aliquādo, & per accidens diuturnior.

APHORISMVS II.

IN perturbationibus uentris & uomitibus sponti nis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, cōfert, & leuiter ferunt: sin minus, contrà. Sic & uasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: sin minus, cōtrà. Inspicere itaq; oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non.

IGNAVA sententia saltem Hippocrate indigna hæc uidetur. Nam quòd purgatio talis, qualis conuenit, conferat, & bono sit, etiam tacente Hippocrate, manifestum est. Igitur paulò altius doctrinam aphoristicam audire oportet, ut conferre dicatur, quæ aut totum morbum adimit, aut insigniorem eius partem. Neq; eadem est hæc particula cum secunda, quæ requirit ut leuiter quoq; feratur. Nam si quis legitimè inquirat, multæ sunt purgationes, quæ per phas per nephas morbum ipsum, hoc est, materiam morbi tollunt, aut insigniorem eius partem: sed interea naturam ipsam plus offendunt, dum bonum simul cum malo præcipitant, & corpus colliquant, ita ut natura multò leuius aliquot diebus morbum sustineret, quàm medicamen. Non enim frustra uellicationes fiunt & tormina, debilitas, syncopæ: sed hæc omnia colliquato corpore accidūt, ac spiritibus magnam iacturam passis, præsertim ubi purgatio concoctionē anticipat. Nam bona purgatio non nisi malum humorem, cumq; solum ac concoctum elicere debet. Priori ratione confert, posteriori leuiter, ac sine dolore fertur: id ex pulsu, & proportione uirtutis oportet æstimare. Nam est, ubi ex professo usq; ad animi defectum ducere decet. Subinde etiam post optimam purgationem paroxismi non solùm non remittuntur, sed intenduntur. Etenim causam morbi sæpe longo tempore subsequitur sanitas. Ecquid ergo mirum, quòd inter iustum medicamentum & sanitatem aliquando intercedat grauior labor, aut tempestas? & hæc est altera causa, quæ uulgo imponit, & doctum cum indocto medico confundit. Accedit quòd purgationes ferè exhibentur in augmento, in quibus plerunque

[Margin notes: Confert quæ partem morbi adimit. — Leuiter fertur quæ à bono abstinet. — Paroxismorū exacerbatio sæpe opportunum medicamētum sequitur. — Effectus sæpe lōgo post tēpore causam sequitur. — Occasio deprauati ī vulgo iudicij.]

runque

runq; paroxiſmi per ſe grauiores fiunt. Ita & tormina uentris aliquando eueniunt, magis ob humorum cruditatem, quàm qualitatem. Nam bilis & melancholia ex natura mordax eſt, nec ſine rictu uentris admodum excernitur. Non ergo ex ijs ſolis oportet medicamenti conditionem conijcere, ſed potius ipſam uirtutem cum morbo decet conſerre: quæ ſemper alacrior exurgit, poſtquam purgatio idonea fuerit, etiamſi paroxiſmi grauiores ſucceſſerint. Sed non poſſunt omnes eam uirtutis cum morbo comparationem exquiſitè accipere. Proinde rem utilem rudioribus medicis fortaſſe fecerimus, ſi euidentioribus quibuſdam ſignis bonā & malam purgationē definiuerimus. Primum, bona, liquida, & aquoſa ſit penitus oportet: nam muccoſa plerunq; & craſſa mala. In quo ego etiam eos, qui eruditiores uolunt haberi, medicos demiror (quippe ægrotis condonandum) qui in huiuſmodi glorantur deiectionibus, dum ferula illas totas ſuſpendunt, adeo tenaces ſunt, ac ægris ipſis tanquam medicamento probè officio ſuo functo oſtentant, quòd humorem tā prauū ſubtraxerit. Intelligere enim debebant, quòd citra magnam corporis iniuriam nunquā huiuſmodi humores ex uenis procedunt. Sæpe ſpiritus exprimitur: is enim quia tenuiſſimus eſt, ad colliquationem atque excretionem promptiſſimè ſe habet: quò fit, ut huiuſmodi excretiones cum multo ſtridore eant: qui nihil aliud quàm colliquationem, dicente Galeno, ſignificat. Eius rei præſens argumentum eſt, quòd magnæ alicuius deiectionis phantaſiam præbent, dum excernuntur: ſed ſi reſpicias, parū deiectum inuenies: Spiritus enim euanuit, qui illius ſuſpitionem præbuit. Malæ igitur excretionis ſecundum ſignum à ſtridore acceptum eſt. Mala eſt etiam, quæ cum dolore inſigni procedit: utpote in qua uellicationes fiunt, ac tormina. Atq; hic ſerè muccus ab inteſtinis decedit, qualis uel naturaliter ipſis adhæret. Si uerò etiam innaturalis ue fuit ac ſuperfluus, tamen illum prius incidi, extenuari, abſtergi oportet, & ſic excerni. Certè citra offenſionem tam lentus humor nunquam ex uenis ſequi poterit, ac non niſi in doloribus colicis ire ſolet. Quartò damnantur deiectiones quæ paulatim & non affatim procedunt: quippe omnes eiuſmodi ſymptomaticæ ſunt, & non naturales, ſtillicidio urinæ ſimiles, nec hic ueſica, neq; ibi inteſtinis modicū continentibus:

Virtus ſæpe emicat, vbi æger grauiꝰ ſeſe habet.

Bona purgatio, liquida: muccoſa, mala.

Craſſa vulgarium Medicorum ignorantia.

Stridoris cauſę.

Deiectio cū ſtridore mala.

Dolor multꝰ purgationē accuſat.

Deiectiones debent ire affatim.

bus: quoniã cùm natura poteter se habet, quod paulatim colligit, nõ paulatim, sed uniuersum totũ postea expellit. Bonæ ergo deiectiones affatim, non autem paulatim decedere debent: neq; eas excusat modica quantitas, magis eas redarguit. Igitur & illum fluxum ferè symptomaticum in morbis suspicari oportet, qui pluribus diebus perdurat. Nam Criticus in morbis acutis uno aut altero die finiri solet. Quod de deiectionibus diximus, idem ferè de uomitu intelligimus. Nam uomitus naturalis ferè ijsdem signis definiendus est. Naturalem dicimus qui iuuat, quemadmodum symptomaticum, qui offendit. Quare frustra multis conclusionibus ac notabilibus circa hanc quæstionem Hugo Senensis utitur: à quo post multas conclusiones fortassis magis ambiguus ac confusus recedes. Sed neque ob id quòd humor sursum fertur, uomitus innaturalis erit: fortè quia humor omnis grauis existit: non enim humor suapte sponte ascendit, sed natura effertur, unde naturalis dicitur. Atque hæc de spontaneis purgationibus primò dixit Hippocrates. Non oportet autem nouum sermonem adijcere de medicamentis: quippe ijsdem conditionibus approbantur & redarguuntur cum spontaneis. Etenim medicus imitator naturæ est. quomodo uerò, & in quibus, alibi latè diximus, ac in sequentibus repetemus. Consueuit enim Hippocrates propositum suum ab exemplo ostendere, quòd euidentissima sit eiusmodi probatio Itaque rectè infert, quòd uasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert & leuiter fertur: per uasorum inanitionem purgationem intelligens. Propterea Oribasium miror Græcum interpretem, qui nomine inanitionis libentius phlebotomiam, quàm purgationem audiret. Nequaquam enim phlebotomia, cum eo, quod de spotaneis purgationibus in Aphorismo adductum est exemplum, conuenit. Sed nec ea uerba, talis, & qualis, bene cum missione sanguinis conueniunt. Atque id parum est: nam & ipse tandem, sed coactè, ita quoque inaudit. Magis ergo ipse in expositione nouissimæ particulæ à Galeno recessit, quam (ut ipse putauit) Hippocrates adiecit, ut ubinam simpliciter obeunda purgatio sit, sciremus. Nam mihi potius adiecit, ut ex ijs purgandi humoris speciem coniectaremus. Calidæ enim anni conditiones excellenter calidos humores pariunt, frigidæ frigidos. Ita & ab alijs aëris differen-

Omnis fluxus diuturn⁹ fere innaturalis & malus est.

Vomitus naturalis.

Humores licet graues sępe naturaliter ascendũt.

Spontaneę purgationes et medicę ijsdẽ signis cõmẽdantur & damnantur.

Euidens exẽplum.

Oribasij negligentia.

Humores imitantur regionem, tempus anni &c.

differentijs similem rationem captare oportet: quippe multò plures conditiones sunt, quæ aërem ipsum immutant: regio eiusdem momenti est, & flatus, & alia ijs similia. Huic secundo discrimina temperaturarum adijcere oportet, siue ab ætatibus, siue aliter desumpta: quoniam iuxta hæc quoque excrementitij humores suboriuntur, ac rursū calida tēpera tura calidos, frigida frigidos humores parit, nisi uictus emēdet. atque is tertium locum in morbosorum humorum causis obtinet. Oportet uerò sub uictu non tantùm cibum & potum subintelligere, sed & somnum, & uigiliam, & reliqua, quæ reliquam uitæ differentiam spectant, inaudire. Propterea ego Hippocratem miror, qui indicia quidem à temperatura & aëre sumpsit, sed à uictu omisit: fortaßis in causa fuit, quia non omnia, sed tantùm aliqua sermonis exempla insinuare uoluit: nempe & id quoque ad aphoristicam doctrinam pertinebat. Alioqui non tantùm duo, sed tres sunt generales morbosorum humorum causæ, uictus, temperatura, & ijs ambobus frequentius aër. Ac temperaturam quidem atq; aërem medicus potest discernere. De uictu uerò bene non potest coniectari, neque æger singulas differentias exponere. Igitur alia super humore peccante indicia sumenda sunt, ac potißimum ex ipsius morbi specie. tertiana enim ferè non nisi ex bile est, quartana à melancholia: & paucæ admodum morborum species sunt, quæ ex qualibet materia constare possunt. Rectè igitur Hippocrates morbos adscripsit. Fieri tamē potest, ut pituita tertianæ circuitum ineat. Certè pleuritis, phrenitis, licet plerunq; ex bilioso sanguine fiunt, aliquando ex pituitoso, aliquando ex melancholico contingunt: diuersitatem ergo symptomatum oportet distinguere. Nam longè grauiora accidētia sunt in pleuritide biliosa, quàm pituitosa: alia etiam in dolore frigido capitis, alia calido. nam hic uigilia, ibi somnus. De urina nihil dixit Hippocrates, quoniam ambigua est, & iuxta tempora morborum uariat, ac talis ferè in statu quotidianæ, qualis est in principio tertianæ. Pudeat ergo impostores quosdam, qui dum magis gloriam & pecuniam, quàm morbos quærunt, ad solam urinæ contemplationem confugiunt. Nam nec ego penitus eam reijcio, sed tandem cum alijs comparo, & quum reliqua didici, tum facilè quantum à naturali di-

Vict⁹ humorem sibi similem parit.

Cur vict⁹ ab Hippocrate omissus.

Species morbi ferè speciem humoris distinguit.

Ferè vnumquodq; symptoma suo attestatur humori.

Vrina admodum fallax.

Vrina duo significat.

ſtat conijcio. Plerunque enim peccantem humorem diſcriminat: & ſi morbus in uenis fuerit, egregiè eius concoctionem & tempora ſignificat, ſine quorum agnitione nihil bene in morbis moliri poſſumus. Non enim ubique conuenit humores purgare uitioſos, ſed oportet expectare concoctos. Ergo qui utiliter medicantur, primùm obuia cutis conditione (nam & hæc ipſis aliquando atteſtatur) humores coniectant. Ne quid uero ipſos fallat, ſi fortè humores regurgitent, ad interiora uictus rationem, temperaturæ modum, atque aëris qualitatem, denique ipſa excremēta ac morborum ſpeciem (ſub quibus & actio læſa compræhenditur) adijciunt, atque ita quàm poſſunt proximè tempora morborum ineunt, atq; humorem morboſum prius conijciunt, quàm deijciunt. quod ut eſt artis maioris, ita quoq; & utilitatis longè pluris. Nam tandem agnoſcere qualis facta ſit purgatio, ad poſteriora quidem aliquo modo conferre poteſt, ad propoſitum uerò nihil. Animaduertere autem oportet, quòd uulgus purgationem, fecum deiectionem cogitat, atq; id quidem ipſis condonandum eſt. ſed non ſine grauiſsimis periculis ueram purgationem in uentre duro medicus tentat. Sed de ijs poſt Galenum ſatis. Quippe quæſtiones reliquæ, quibus Hugo Senenſis immoratur, ut nunquid ſanguis perpetuò ſola quantitate, aut reliqui humores ſola qualitate offendant, ne attingere quidem uelim, niſi ipſe meminiſſet. certum enim eſt, quòd qualitas ſanguinis, ut fortè caliditas, corpori ſubinde infeſta eſt, nedum quantitas: quantitas tamen frequentius. Econtrario reliqui humores ſua qualitate, quàm quantitate, ſæpius moleſtant: ueruntamen quod ſola qualitate offendere poßint, & hoc quoq; ego aliquando conceſſerim. Quid enim, ſi ea portio bilis, quæ corpori debetur, putreſcat? nunquid & ea ſua quantitate offendet?

Cutis perfuſionem humorum indicat.

Secundò cōiectanda tēperatura, victus, & aër familiaris.

Tertiò diſtiguenda ſimptomate.

Vulgus nomine purgationis abutitur.

Hugo Senēſis.

Sanguis quātitate, reliqui magis peccāt qualitate.

Bilis ſola qualitate peccās.

APHORISMVS III.

HAbitus exercitatorum, qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, ſi in extremo conſtiterint: neq; enim poſſunt in eodem permanere, neq; quieſcere. Cum uerò non quieſcant, neque poſsint proficere

proficere in melius: reliquum est igitur, ut decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit, ut corpus rursum nutriri incipiat. Neq; compresiones ad extremum ducendæ: periculosum enim. Sed qualis natura fuerit eius, qui perferre debet, ad hoc ducere cõuenit. Sic & euacuationes, quę ad extremũ deducũt, periculosæ: & rursus refectiones, cùm extremę fuerint, periculosæ.

NEQVAQVAM eam particulam, Si in extremo constiterint, frustra repetit: sed ad significandum maiorem excessum, adiecit, quemadmodum postea nõ contentus Tenuissimũ scripsisse, Extreme tenuissimũ dixit. Eodem ergo modo, habitum in proposito athletarum extremè summum appellauit, ut cui nihil amplius potest bonitatis, molis, atq; plenitudinis adijci. Iis enim duobus consistit athletarum habitus. Sed uidete quæ nunc huc barbari sophismata adferunt. Aiunt nullum habitum tam molestum, cui nihil possit adijci. An nõ hæc uera quæso sunt ludibria? Medicus de magnitudine aut plenitudine loquitur, quæ sensu deprehenditur, ipsi uerò ea adferunt quæ ratio comprehendit: secundùm quam Physici minimam quantitatẽ atq; insensibilem in infinitum diuidunt. Quippe leuia illa accessoria, etiam usq; ad infinitum secundùm proportionem assumpta, notabilem nullam quantitatem constituere possunt. Nónne ergo sophistica hæc sunt, & nugæ immensæ? saltem scrupulosa, ac physicis quàm medicis digniora, secundùm quos unumquodq; quantitatem habet & qualitatem, ultra quam euidenter consistere nequit: quippe & uenæ suum modum obtinent, ultra quem nihil admittunt. Magis est ergo admirabile, quòd huiusmodi corpora appetere perseuerent: nam licet corpus continuò diffletur, nulla tamen ad stomachum suctio pertingere apparet: quoniam iacturæ supplementum præsentius est à propinquis uenis, quàm à remoto stomacho exigere, quæ plenitudine laborant, saltem satis habent, quo defectum suppleant. Atq; hìc pauci habent quod clarè respondeant. Conatur Hugo Senensis, ad naturam hepatis, uenis quãtumcunq; plenis,

Hippocratis diligentia.

Sepe habit⁹ athletarũ adeo molest⁹, vt sensibiliter nihil possit adijci.

Sophisma.

An athletę naturaliter appetant.

Hugonis perplexa responsio.

plenis, sanguinem transmittentis, confugere, sed frustra: quoniam non prius hepar suget à stomacho, quàm ab epate uenæ. non sugent autē omnino uenæ uel ipso dicente, si quidem fuerint plenæ. Irrationabilius est illorum commentum, qui propter iniquam qualitatem aut quantitatem sanguinis, hîc appetitum retinent. Multo melior est Marsilij commentatio, qui uoluptuosum appetitum distinguit: sed & hic ille tenebras offundit, ac tantùm per nubem ueritatem ipsam uidetur aspicere. Potius ergo est, diuersas naturas attentius considerare. Stat enim cuiq; naturæ suus appetitus: in alio alius: quibusdam modicum quid in uenis superest, quibusdā uerò neq; id quod mediocre est, satis est. Quòd si tu hæc de uenis parum assequaris, uentres uarios, ac stomachos in memoriam reuoca: non enim est dubium, quin maximam experturus sis differentiam. Cōsuetudo enim altera natura est. Ita athletæ uenarū plenitudine contenti non sunt, sed ultra distendi quærunt, amantq;, nec proportionem seruant, sed pro minima difflatione plurimam alimenti comparationem expetunt: accedit quòd sese ipsos quodammodo ad alimentum cogant, ut sibi continuè plus molis adijciant. Itaq; incommodum non animaduertunt, sed semper plus quàm appetunt, ingerunt: nec tamen cibus displicet: quia temperies uentriculi integra est. quare & si sua quantitate grauat, tamen qualitate delectat. Quippe neq; in ijs qui tempore ueris plenitudine laborant, statim appetitus perit, sed ad tempus aliquod persistit. Non ergo amplius admiraberis, cur athletæ ultra rationem difflationis, aliquo tēpore appetant. Hanc opinionem ferè & Foroliuio ante nos placuisse inuenimus, dum tandem singulas seorsum opiniones expenderemus. Sed Hugo Senensis nititur ipsam refellere, ut suam præponeret: tantum in eo peccat Foroliuius, quòd quodā timore ab hoc suo sermone corpora eximit, quæ ultra naturā plenitudine laborāt: nā de ijs solis propositus sermo est. Absurdior tamen est Hugonis opinio: nam hunc Aphorismum de ijs tātùm athletis accipit, qui ne unicam quidem restaurationem citra euidens detrimentum ferunt. Coniector illum falsum sequenti particula, ubi Hippocrates inquit, Si in extremo constiterint. Sed qui mentem autoris potius, quàm uerba sequitur, inueniet quòd sententia latius patet. nam tametsi

Marsilij obscuritas.

Diuersæ naturæ diuerso modo appetunt.

Consuetudo facit, vt immodicum appetatur.

Qualitas, nedum quantitas volupe est.

In pleno corpore diu appetitus manet.

Foroliuius.

PeccatūForoliuij.

Alter error Hugonis.

Erroris occasio.

etsi tales subito in periculum præcipites abeunt, nec tamen illi immunes periculi existunt. Pleniores enim uenæ singulæ sunt, quàm ut succedentem quotidie sanguinem recipere poßint. Igitur unum ex tribus ferè necesßitate quadam sequitur: aut uas aliquod plenitudine rumpetur, præsertim in pulmone, ubi arteriæ simpliciores: aut (quod grauius est) calor sub multitudine subito strangulabitur, aut certe paulatim contabescet, & emorietur. hoc est, quod Cornelius Celsus scripsit, quòd omnes celerrimè senescunt, uel ægrotant: non enim qualitas tantum, forte frigiditas, calorem suffocat, sed & quantitas. Tertiò calor strangulatur, quando communione aëris priuatur: sic animal suffocatur astricto anhelitu: lucerna sub modio, candela in hypocausto: uel quia magnitudine laborat sua, uel quia eius substantia nimio calore funditur. atq; id est uerisimilius, uel eo argumento, quòd flamma in hypocausto emarcescat, & prunæ maneāt. tanto est crasßius Hugonis problema, Ecquid in hypocausto lucerna extinguitur, ubi carnes calidæ seruantur? Elegantius est problema, quare sub cucurbicula citius suffocatur magna lucerna, quàm parua, quum tamen sub sole citius elanguescit paruus ignis, quàm multus? Ita & in uaporario diutius uiuit crasßum ellychnium, quàm tenue. Nam alibi flamma magnitudine sua, alibi uerò aliena laborat iniuria. Scio quòd hæc ad propositum parum pertinent, sed ostendere uolui quàm multus & perplexus sit Hugo Senensis aliquando in re parua. Tempus nunc est ad habitum athletarum reuerti, quem alibi Hippocrates ne habitum quidem appellare dignatus est, sed affectum maluit dicere: præceps enim illorum sanitas, &, ut nomenclatura arguit, miseris proxima. Habitū ergo athletarum, hoc est, plenitudinem (nam hæc altera habitus pars est) oportet soluere: quam, si quidem modica fuerit, potest inedia sufficienter extenuare: uerum ubi multa est, præsentius remediū requirit: ne forte interim ac præter spē ægris aliquid sinistri accidat. Omitto quod pleriq; mallet ferre unam & alteram subito euacuationem, quàm diuturnā inediam. Sed & hoc antiquum præceptum est, ut procuratio corporum sit quàm securisßima, iucundisßima, & citisßima. Proinde melius est, hanc plenitudinem paucis diebus tollere, quàm multo temporis spatio extenuare. Dixi

Longam plenitudinē unum ex trib' insequitur.

Corpora repleta celerrime senescūt.

Multiplex causa quę calorē suffocat.

Crassū Hugonis problema.

Sub sole citius elanguescit paruus ignis, q̄ multus.

Citi' magna flamma, q̄ parua strangulatur sub cucurbicula.

Plenitudo athletarū præsens remediū desiderat.

Curatio debet esse securissima, citissima, & iucūdissima.

paucis diebus. Nam neq; hanc euacuationem in sanis, sed duntaxat in ægris affatim facere decet. Iam neq; simpliciter, & in immodicum hanc euacuationem facere licet: nam plus debetur sanguinis athletis, atq; adeo calidis & humidis, quàm tẽperatis: certe multo plus quàm biliosis. Igitur memores illorũ naturæ esse decet, & quod illis satis est, seruare, ne ab altero extremorum in alterum deducantur: utrumq; enim iniucundum. & nihilominus immodica euacuatio, quàm repletio naturæ molesta est. Immodicam autem euacuationem quadrifariam audire licet. Primum illam, quæ ad animi defectum conducit, & nusquam nisi in morbis extremis cõuenit. Secunda est, quæ modum corporis excedit: hæc nusquam conuenit. Aliquãdo extrema euacuatio phantasiã humorũ euacuatorũ respicit. hoc modo Galenus in Techna dixit, quòd immodicæ plenitudini immodica euacuatio rectè succedit. Atq; hæc athletis quidẽ conuenit, sed paulatim eã facere expedit. Puto ego quòd immodicã euacuationẽ Hippocrates in genere appellauit, atq; ad communem hominum statum retulit: atq; hæc in athletis admodum est periculosa. Non oportet autem existimare hæc tantum propter athletas dicta, quorum iamdudum studium aboleuit: sed & omnes alios, qui simili tenentur corporis habitu. Itaq; ex ijs duobus exemplis tandem generaliter Hippocrates intulit, euacuationes, cùm ad extremum deueniũt, periculosæ: & rursus refectiones, cùm extremæ fuerint, periculosæ. Sunt tamen qui tantũ unum, quippe inanitionis, in hoc aphorismo, scopum agnoscunt: atq; ea, quæ de plenitudine dicuntur, ad extremæ inanitionis reprobationẽ referunt: quibus huiusmodi (allata sermonis quadam figura) est sequela. Refectiones secundæ, cùm extremæ fuerint euacuationes, sunt periculosæ. Ergo euacuationes, quæ ad extremum ducunt, sunt periculosæ. Sed non est toleranda hæc commentatio: etenim id quod assumitur, falsum est: & refectio ab extrema euacuatione necessaria est: tantum abest, ut sit periculosa. Forte ergo de extrema refectione intelligas, quemadmodum aphorismus uidetur indicare, ut talis sit oratio, Extremæ refectiones post extremas euacuationes periculosæ sunt. Ergo & euacuationes extremæ sunt periculosæ. Atq; hîc quidem uerum est assumptum, sed conclusio fallax. non enim extremæ refe-

Vbique expẽdenda corporis natura.

Immodica euacuatio quadrupliciter dicitur.

Plenitudinẽ omnẽ nomine athletarum oportet accipere.

Quidam putant Hippocratẽ in hoc loco tantùm spectasse peccatum inanitionis.

Intolerabilis commẽtatio.

mæ refectiones extremas euacuationes excipere debent, sed paulatim au ctæ. An autem à contrarijs proba esset ostensio, postea dicetur: saltem parum desiderabamus, euacuationis gratia, plenitudinis exemplū, in quo tam multis modis Hippocrates laboraſſe uidetur, adeò ut si omnino unicum huius sententiæ scopum facere oporteat, potius ad repletionē, quàm inanitionem pertinere uidebitur. Melius tamen est, neq; hoc, neq; illo modo sententiam cogere, sed quàm generaliſſimam relinquere, atq; in duplicem seorsim portionem sortiri: alterā de extrema plenitudine: alterā de extrema inanitione: utriusq; exemplum in athletis dictum. Libenter enim Hippocrates summas rerum ab exemplis ostendit. Parum autem refert, compreſſionem, aut euacuationē, aut inanitionem dicas: sed multum intereſt in principio commenti, euacuationem an purgationem recipias. Proinde antiqua translatio nomine, purgationis, abusa est: quoniā Hippocrati de phlebotomia sermo est, quæ sola humorum tollit multitudinem, purgatio uerò eorundem uitium. Semel tamen Galenus, nisi mendum sit, in libello de curatione per phlebotomiam, purgatione pro euacuatione utitur, ubi inquit, ex cubito purgato.

Vnūquemque Aphorismum oportet facere generaliſſimū.

Hip. libēter exemplis utitur.

APHORISMVS IIII.

VIctus tenuis atque exquisitus in morbis quidē longis semper, in acutis uerò in quibus non cōuenit, periculosus. Et rursus qui ad extremū tenuitatis deuenit, grauis est. Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

MORBI, quòd ad præsens propositum attinet, sunt triplices. Longi, Acuti, Medij. Longi, qui ex natura proferuntur usq; ad quadragesimum. Acuti, qui decimo quarto. Medij, qui nunc citius, nunc serius soluuntur, sed citra periculum. talis est tertiana, quotidiana, & alij multi. Rursus ex acutis, alij quarto, alij septimo, alij decimoquarto finiuntur. Sunt & alij dicti acuti, per decidentiam, qui facta aliqua imperfecta crisi, proferuntur ultra decimum quartum, aliquando extenduntur usque ad quadragesimū. Difficilior, est uictus partitio. Tenuem uictum definit

Morbi acuti, lōgi, medij.

Vict⁹ tenuis Galeno.

Galenus,

Galenus, qui uires quidem leuiter restituit, sed debiliores, quàm à principio erant, relinquit. Modicum uerò, qui illas in eodem conseruat tenore. Plenum, qui ultrà quàm accepit, promouet. Nescias autem quas uires intelligat, an uitales, an naturales. neutras enim modicus conseruat æquales, sed paulatim relinquit infirmiores. Sed neq; in sanis plenus simpliciter uires auget, aut etiam perpetuò conseruat: quoniam econtrario à natalibus statim cum calore decrescunt. Quòd uerò animales crescant, nequaquam ex eo est, quòd ipsa uirtus redditur robustior, sed instrumentorum promptitudo maior. Paulatim enim constare incipiunt, quæ prius mollicie nimia succumbebant. Iam & consistentes & senes pleno uictu fruũtur: tamen non solùm uires animales, sed & omnes aliæ labefactari incipiunt. Eadem ratione neq; corporis incremento plenum cibum definire poteris: nam statim ab adolescentia incrementum desinit. Igitur in definitionibus ijs aliquid adijcies, ut, per se, aut aliud simile. Nã plenus inquies uictus, quantum in se est, uel in declinantibus, uires auget, atq; etiam senibus: ita quantum ex se est modicus, in longis conseruat. sed hîc impeditur morbi iniuria, illic uerò corporis fortuna. Verum uel is, quem Galenus appellat modicum, etiam si nullus morbus obstet, uires infirmiores relinquit, nec plenus ubiq; ex se auget. Nam plenus in multis ætatibus ad hoc solum destinatur, ut iacturam æqualiter reponat, in quibus uires nullo modo augere potest, nisi fortassis alimentum ad famem æstimes: quippe perpetuò alimentum uires recreat, quas fames attenuat. Atqui non solùm plenus, sed & modicus & tenuis huc usq; uires auget. Ego igitur, simplicius plenum uictum appellare mallem, qui æquo appetitui & concoctioni respondet: atq; hic nonnunquam uires auget, nonnunquam conseruat tantum. quòd si, ut in decrepitis, ac senibus, uires labantur, non est hoc illius, sed corporis causa: atq; uno uerbo is uictus sanorum est. Proximus huic longorum morborum uictus est, quem cur Galenus uires conseruare dixerit, nescio. Forsitan imitatione pleni uictus deceptus est, credo quòd modicum dixerit, quia in definitione longorum morborum, tenuem Hippocrates interdixerit. Atqui si uerba Hippocratis uel obiter expendas, non interdixit simpliciter omnem tenuem, sed tenuem inquit, & exqui

Modicus. Plenus. Vires multiplices.

Rimosa Galeni expositio.

Victus plenus non semper vires auget.

Modicus nõ conseruat.

Nostra pleni victus definitio.

& exquisitum. Itaq; tenuem appellabo, qui potius morbo respondet, quàm uiribus, hoc est, per quem qualitercunq; usq; ad finem morbi uires, licet imbecilliores, conseruare cupimus. Nunc ergo tot debent esse uictus tenuis differentiæ, quot sunt morborum fines: unde ijs qui terminantur quarto die, debetur uictus ferè extremè tenuißimus: tenuißimus simpliciter, qui septimo: tenuis & exquisitus, qui decimoquarto: tenuis absolutè in morbis longis. Nam, credo, nusquam audies apud Hippocratem modicum. & uoces tamen hunc, modicum, si quidem uelis, mea non interest, modo hoc statutum maneat, quòd neq; modici, neq; tenuis est, totum id quod difflatum est, reponere. satis est ipsis utrunq; in finem morbi uires seruare: & hac de causa, in genere tenuis dicitur, qui simpliciter uires attenuat potius, quàm conseruat: id enim solius pleni est. Neq; id mirum est: nam ut alimentum uires, ita morbum quoq; auget. Proinde si simpliciter usq; ad finem morbi uires constarent, omnino inediam præscriberemus: sed in plerisq; uires succumberent morbis. Itaque mediam quandam uiam seruantes, quod satis est, uiribus damus, & reliquum subtrahimus, ut diligentius natura morbi materiam concoquat. Neque admodum curamus, si uirtus simpliciter breuior fiat: satis nobis est, si morbo superior maneat. Etenim hic unus in omnibus morbis uictus scopus. Propterea Hugonem demiror, qui post multas hypotheses, notas conclusiones, articulos, nunc huc, nunc illuc pertinentes, tandem asserit quòd in morbis etiam salubribus paulatim morbus ultra uires promouetur: neq; hoc obiter dicit, sed multis futilibus argumentis contra experientiam contendit. Quippe in hoc ferè omnium salubrium morborum caput consistit, quòd uirtus morbo superior existit. Deniq; & ipse in prioribus conclusis suis, uictum iustum, licet tenuem, uires ultra morbum promouere concesßit. Quid ergo precor tali homini facies? Lubricus est, ac ingenio quidem subtili præditus, sed iudicio carens, qui plerũq; multa ambigua, & magis quàm antè perplexa relinquit, ut nemo ex eo proficere poßit, nisi qui delectu admodũ polleat, & singula melius, quàm ipse, discernere poßit. Fateor, intemperies morborum usq; ad statum increscit, & uirtus quàm antè breuior euadit: sed ipse Hugo etiam ad materiam morbi com-

Tenuis victus iuxta nostram expositionem.

Vict⁹ tenuis differentiæ multæ.

Modicus vict⁹ apud Hippocratẽ inauditus.

Alimentum simul cum viribus morbũ auget.

Scopus, victus in omnibus morbis vnus.

Deliramentũ Hugonis.

Hugo ingenios⁹, sed cõfusus.

Intemperies usq; ad statũ crescit.

parat. Proinde licet in prioribus tolerari poterat, hic infamiter peccat. Nam materia morbi paulatim à natura subigitur, & aliquando excernitur, penes quam potius quàm excessum temperaturæ morbi accipitur malignitas. Sed hæc omittamus, & ad uictus tenuis definitionem reuertamur. Cuius discrimina multa. Extremè tenuißimus, inedia est: tenuißimus simpliciter, mellicratum: tenuis & exquisitus, succus ptisanæ est: tenuis simpliciter, ipsa ptisana, sed modica. Nam uictus differentias facit, non tantùm ipsa qualitas, sed & ipsa quantitas. Hoc modo Galenus innuit in ipso commento, ubi inquit, ptisanam hordeaceam non esse exquisitè tenuem, nisi admodũ modicè assumptam. Aliquando etiam pro nimis pleno ponitur: alioqui indigna Hippocrate admonitio, In tenui uictu ægros delinquere: & hunc quàm paulò pleniorem sanis magis esse periculosum. etenim nemo tempore sanitatis sola ptisana utitur. Longè ergo latius patet tenuis uictus ratio. Non tamen Oribasius ob eam causam excusari poterit, qui oua simpliciter inter tenuem uictum cum ptisana in commento illius Aphorismi (ubi morbus peracutus est) comparauit. Etenim nimis audacter Galeno contradixit in hoc commento, qui ipsa cum pleno uictu numerauit. Sed uerisimile est, quòd hic locus Galeni tum illi exciderat. Si quidem enim in mentem uenisset, nunquam simpliciter pronunciasset: nam simpliciter uictus plenus existit, ac nusquam nisi in morbis longis competit. Oportet autem cum his longioribus morbis proximos morbos acutos cõponere, per decidentiam dictos, aut in quibus alioquin uirtus breuis est: quippe & in his uictus tenuis eadem ratione, qua in longis, est periculosus, atq; ambo pleniorem desiderant. Atq; hi sunt, mea sententia, de quibus illud Hippocratis est, quòd uictus tenuis, in quibus non conuenit, periculosus est. Pleriq; eos, in quibus non conuenit, peracutos esse, intelligunt: quippe & ipse Galenus sic uidetur audiuisse, in principio illius commenti, ubi causam illius particulæ quærens reddit, plurimos horum tenuem uictum exigere, quosdam uerò extremè tenuem. Quòd tamen per hos, in quibus non conuenit, acutos per decidẽtiam dictos, aut etiam cæteris molliores, intelligit, nouißimus in eodem commento locus arguit: ubi ait, Quod igitur adiectum est sermoni de acutis,

Morbi pernicies ferè à materiæ pendet malignitate.

Inedia uict⁹ est extremè tenuißimus. Mellicratum tenuißimus. Victus differentiæ quantitatẽ sequũtur, nedum qualitatem.

Oribasij error.

Oua duntaxat in morbis longis cõpetunt.

Morbi longi & ex acutis, molliores tamen, exquisitè uictum nõ ferunt.

De Galeno suspitio duplex.

cutis, in quibus non conuenit, nequaquam dicitur propter peracutos, nisi illum sine negatione legas, quemadmodum antiqua translatio eam expungit. Sed magis nobis licebit in priori illo loco alium sensum capere, aut aliquid adijcere, quàm illis iuxta antiquam translationem negationem in Leoniceno tollere, præsertim cùm & Laurētianus similiter trāsferat, & Græca lectio quoq; negationē omittat. Ergo priorem partem commenti sic comparabimus: In morbis longis uictus tenuis atq; exquisitus, est periculosus semper. In acutis autem duntaxat aliquādo ac raro, utpote in ijs, quibus uirtus breuior, ac status longior. In alijs acutis plerisq; uel extremè tenuissimus competit, uel certè tenuis, & exquisitus.

Lectionis uarietas.

Expositio prioris partis Aphorismi.

Quòd si ambigua fuerit Galeni expositio (quippe & hoc aliquando contingit) æquius erit, ut nos eum sensum sequamur, quem Hippocrates spectare uidetur, quàm quem Galenus aliter accipit: præsertim cùm & alios quosdam Aphorismos perfunctoriè tanquam aliud agens tractare uisus est: saltem propositum articulum perplexum fecerit, quisquis acutissimos siue peracutos eo loco receperit. Diuersa enim ratione uictus exquisitè tenuis in utrisq; periculosus. Nā in longis, quia tenuior est iusto: in peracutis uerò, quia plenior. Non est autē uerisimile, Hippocratē duas res una ratione coniunxisse, quarum diuersissima est ratiocinatio. Sed neq; ea particula, quæ sequitur, Et rursum qui ad extremum tenuitatis deuenit, grauis est: bene cum ea expositione conuenit, quoniam in peracutis is omnino optimus existit. Videtur igitur Hippocrates hac particula nos uoluisse monere, ut de acutis longioribus, non autem acutioribus priorē exceptionem acciperemus. Alioqui peccatum tenuissimi uictus in delicto tenuitatis satis compræhendebatur: ac plusquam puer est, qui alterum ex altero colligere non posset: atq; adeò ad distinctionem eorum morborum, quos præcedenti particula compræhendebat, idipsum adiecisse uidetur: ut talis sermo sit, Et rursum in ijsdem acutis quibusdam extremè tenuis periculosus est. Certè aut hunc sensum oportet accipere, aut omnino generaliter audire. Nam sequela illa Hippocratis, quam in fine obiter indicat, nullo modo constabit, in morbis peracutis intellecta: ubi inquit, Et rursus qui ad extremum tenuitatis deuenit, grauis est: nam &

Nostra consuetudo, ubi Galenus est ambiguus.

Sæpe perfunctoria Galeni cōmentatio.

Victus exquisitè tenuis periculos' in longis, quia tenuior, in acutis, quia uberior.

Nostra de Hippocrate suspitio.

repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt. Extremè enim tenuis plerunq; ijs competit: tametsi extremæ repletiones semper in ijs periculosæ. Quapropter & Hugo Senensis rectè hanc sequelam redarguit. Sed dum Hippocratem meritò reformidat, alium intellectũ distinguit, ac sequelam tollit, in quo ipse manifestè decipitur: quia Hippocrates omnibus audientibus illationem exhibet. Sed illam in morbis longis ac parũ acutis duntaxat oportet distinguere, neq; sic acceptam Hugonem Senensem unquam poterit redarguere. Nam si non est necessarium, est tamen uerisimile in morbis longioribus nusquam extremè tenuem uictum competere: si quidem extrema plenitudo damnetur paßim ac per omnia. Melius autem est eam deductionem generaliter secundùm contrariorum, quàm minoris rationẽ accipere. Videtur enim Hippocrates ex eo exemplo, quod in morbis lõgis ac mollioribus acutis statuit, uelle in uniuersum subducere, quòd extremè tenuißimus uictus rarißimè competat: atq; id procul dubio est uerißimum. Nusquam enim nisi in morbis peracutißimis, nec quibusuis regionibus & temporibus, sed potius temperatis ac frigidis, subinde & hic impeditur alijs conditionibus: certè uirtutem oportet eße insigniter solidam: à qua an aliqua sumenda sit indicatio, nos in posterioribus breuiter dicemus: quod in hoc loco Hugo Senensis nimis quàm prolixè dißerit. Non tamen mala aut ingrata est illius dubitatio, qua dubitat, nunquid & fortis eum sine periculo ferat, quem debilis. Certe uidetur melius poße cõficere: sed stultum est periculũ tentare, ubi poßis effugere. De his autem & similibus postea in suo loco dicemus plura.

Sequelã Hugo malè dißimulat.

Extremè tenuißimus uictus rarißimè competit.

Stultum est temere tentare periculũ.

APHORISMVS V.

IN tenui uictu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniori uictu. Propterea etiam sanis periculosus existit ualde exquisitus & constitutus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis uictus, atque ad-

modum

modum exquisitus, eo qui sit paulo plenior, magis periculosus.

DVRIVSCVLVM est initium huius sententiæ. nullo enim modo sequitur, In tenui uictu ægri delinquunt, ergo magis læduntur: & fortaßis à principio aliter scripta fuit, & pro illatiua coniunctione, coniunctiuam habuit. Sed quia Galenus eam retinuit, nobis est religio lectionem mutare: malumus à principio aduerbium supplere, ut sic dicatur, In tenui uictu ægri magis delinquunt, quàm in pleno: ergo magis offenduntur. Nam ex more doctrinæ aphoristicæ est, alterum ex altero intelligere. Nec repetit priorem nunc Hippocrates sententiã, quemadmodum Oribasius putat: nam hoc præter decorum ac modum doctrinæ aphoristicæ esset. sed peccatum tenuitatis, quod antè simpliciter repræhendit, ad peccatum plenitudinis expendit: atq; errorem tenuitatis delicto plenitudinis æquali aut etiam paulo maiori grauius habet. Hinc uulgatum prouerbium accedit, & est uerißimum, quòd multo securior est morbus ex copia, quàm inopia. Vna tamen huic occurrit sententia, ut apparet, illi contraria, in libris de ratione uictus in morbis acutis: ubi insinuat Hippocrates, quòd peccatum tenuitatis sit tutius, quàm peccatum plenitudinis. Galenus etiam causam adijcit, quòd in morbis acutis promptius sit addere, quàm demere. Addere potes subitò, non demes nisi dierum spatio, intra quod ægrum mori est periculum. Perculsus hac obiectione Manardus obstupuit, & in hac sententia coactè alium intellectum quærit, quem nemo ante eum cogitauit. Commentatus est in uictu delinquere, non quidem eos qui tenuius quàm debebant accipiunt, sed qui aliud peccatum fortè in medicamento, potu, cibo, aëre committunt, dum tenuẽ uiuendi rationem etiam æquam seruant. Mirabile, quorsum aliquando uiros doctos rapit commentatio: magis mirabile est, quòd talis opinio suos sequaces inueniat. nam nemo compos mentis ita diceret. Adducit tamen eiusmodi orationis exemplum. Quomodo, inquit, in religione quis magis peccat, quàm in libero cœlibatu? fortè incontinentia: ita & nunc, inquit, ægri magis delinquunt in tenui uictu, quàm in pleno, si quidem malum aërem inspirant, aut iniquum medicamentum fortè nimis calidum accipiũt.

Duriuscula sententia.

Supplementum.

Duorũ aphorismorũ cõparatio.

Videntur Hippocratis sententiæ inuicẽ contrariæ.

Perculs⁹ Manardus.

Mirabilis Manardi expositio.

Stulta comparatio.

Quis precor huiusmodi comparationem accipiat? Omitto eius absurditatem, quod magis est, oratio falsa est. Nam cur in religione magis peccant hi, quàm illi, qui nullis priuatis uotis addicti sunt, ratio aliqua reddi potest: at nulla subest causa, cur potius ij qui tenuiter, quàm qui liberaliter uiuunt, plures errores admittant, aut si admittant, cur grauatius ferant. imo ne Hippocrates quidem id statuere posset. Nam contrà, qui plenius æquo uiuunt, ac fortè aliud secundum peccatum admittunt, grauius offenduntur, quàm qui legitimam tenuitatem seruant. quippe unum peccatum ferri potest, secundum uerò subinde interficit. Saltem ipse aliquam rationem (si qua subsit) adferre debuit. Nunc uerò more legislatoris alicuius, tantum decretum ponit. ac posset illi condonari huiusmodi error. nam & alijs grauißimis aliquando uiris, aut labore, aut alia occasione perplexis, contingit, ut absurda quædam dicant & commententur. Magis accusandi, qui recentes in tales commentationes incidunt, & sine delectu recipiunt, quando nulla uerisimilis occasio urget. Nam certum est, & ex inscriptione libri constat, quòd allata Hippocratis sententia, duntaxat in morbis acutis intelligatur. Quòd uerò præsens sententia tantùm curet morbos longos, & ipsa uerba præsentia ostendunt, & ea quæ præcedunt ac sequuntur, arguunt. Nunc longorum morborum & acutorum diuersa admodum est ratio: quippe in longis magis nos angit periculum ipsarum uirium, in acutis autem magnitudo morbi: itaq; hic minus, illic plus alimenti indulgendum est. Nam uictus tenuis utrunq; frangit simul, & morbum & uires. Proinde ubi hæ sunt suspectiores, ipsis magis est indulgendum. Sed neq; illud perpetuum, quòd in morbis promptius sit addere quod deficit, quàm substrahere quod superest, sed in morbis acutis tantùm. Nam econtrario in morbis longis facilius est dierum spatio exhaurire quod superabundat, quàm fractis uiribus reponere quod desideratur: adeò difficile est in morbis longis breuius alimentum supplere, uel in acutis quod plenius est, demere. Igitur in acutis ad tenuius, in longis uerò securius est inclinare ad id quod est plenius. Scio optimum eße, iustißimam quantitatem obseruare: uerum quod nec scribi nec dici potest, id quantitas in unoquoq; est: ac ne Hippocrates quidem aut Galenus omne punctum

Vnum peccatum ferri potest, secundũ sæpe interficit.

Miserabilis imitatio.

Locus allegatus morbos acutos respicit, præsens uerò longos.

In longis suspectæ uires, in acutis, morbi magnitudo.

Suspectiori ubiq; indulgendum.

Morborum & remediorum comparatio.

ctum attigerit, sed aliquãdo à scopo exorbitarit. Proinde satius est in morbis acutis declinare ad tenuius, in longis uerò & sanis ad plenius. Nam si error committatur, minus erit periculosius in hanc partem, quàm in illam, modo errores æquales fuerint, aut etiam in plenitudine paulo maiores. Exempli causa. Sint tres laborantes quartana, quorum quilibet deberet hodie accipere quatuor carnium uncias. Nunc primus accipit duas, alter sex, tertius sex, cum dimidia: non solùm minus peccat qui accipit sex, quàm qui duas: sed etiam is minus peccat, qui sex cum dimidia. Non est dubium quin hic sit uerus intellectus ipsius particulæ, ubi dicitur, Quicunq; enim error cõmittitur magnus, maior in hoc est, quàm paulo tenuiore. Scio quòd paulò durius in nostro quondã commentario hanc particulã exposuimus, sed ista sententia nunc nobis magis placet: quàm si simpliciter ea oratio accipiatur: uera quidem est, sed admodum ociosa. Nam ut uerum est, quòd magnus error in tenuitate sit periculosior, quàm paruus in plenitudine: ita econtrario erit certissimum, quòd magnus error in plenitudine in quocunq; etiam morbo sit peior, quàm paruus in tenuitate. Atq; hæc est secunda causa, quare Manardus aliam rationem eius cõmentus est, & permagnum errorem in tenuitate non intellexit, ut diximus, magnum tenuitatis errorem, sed alium qui ab ægro tenuiter uiuente admittitur. Ac secundùm hanc quidem expositionem aduerbium, Paulò, uacat: secundùm nostram uerò commentationem, maximam uim habet: atq; id ostendit, quòd non solùm æquale peccatum plenitudinis minus sit periculosum æquali peccato tenuitatis, sed etiam id quod paulò amplius est. Hæc sunt quæ Manardus nesciuit. Sed neq; hoc intellexit, quòd magnos uocet non quidem quoscunq; errores, quales passim à uulgo & triuialibus medicis committuntur, sed quales doctis & rei medicæ peritis, aliquando condonantur. Frustra ergo Hugo Senensis ægrum contentum ptisana obijcit, qui uictu pleno more sanorum utitur. Frustra adducit Manardus, quòd maximus error in plenitudine grauior sit, quàm paruus in tenuitate, aut econtrario: & rursum quòd multi multis diebus tolerant integram inediam: sed econtrario multi uno die inescati fuerunt, atque strangulati, neq; enim tales errores Hippocratis, sed carnificis merentur

In ambiguis semper inclinare oportet in partẽ securiorem.

Manifestum exemplum.

Secunda occasio erroris Manardi.

Magnus error Hippocratis.

Vulgares imperitorũ errores.

redargutionem. Ipse mediocres tantùm reprehendit errores, quales nec docti ubiq; uitare possunt. Ita hactenus omnibus suis coniecturis excidit. Paulò tutius facit, dũ ad commentũ Galeni fugit, ubi secũdæ lectionis meminit. uana enim & obscura in omnes opiniones, citra multam reprehensionem, uersare licet. certè uaria admodum & incerta huius lectionis suspitio. Leonicenus sic exprimit, In tenui uictu plerunq; duo peccant. Laurentianus pro, Plerunq;, Bifariam, inuenisse uidetur, ac sic reddit, In tenui uictu ægri bifariam peccant. Commentum Galeni in hac secunda translatione uidetur referre, Bifariam, ad Læduntur, magis quàm ad Peccant. Vtut est, nisi Bifariam, aut Duo, in hac secunda lectione ascriptum fuerit, mirum est, cur ueteres duo duntaxat offendicula quæsiuerunt. Certum ergo est, quòd uel in primo loco, uel secundo ascriptum erat: atq; indicante Galeno, ea fuit ijs sententia, quòd ij qui tenuiorem æquo subierunt dietam, duobus præsertim modis peccarent, & quia clam medicis, demum in liberaliorem æquo uictum tenuem commutarent, & quia naturam iam debilem nouo onere obruerent. Et potest ferri sententia, quia hic error tenuitatis in causa fuit, ut duo reliqua incommoda sequerentur. Melius ergo Manardus, Duo seruasset, quàm Plerunq;, eius loco mutasset. nam prædictorum errorum, prior tenuitas, atq; inopia, causa esse potest: aliorũ uerò non potest. Igitur iuxta hanc lectionẽ nõ omnes reprehenduntur, qui iusto tenuius uiuunt, sed præsertim illi qui inuiti & medicorum consultis coacti, id faciunt. Ferè enim ij bifariam magis læduntur, quàm qui peccant in pleniori. Nam clam medicis ad plenius discedunt: quod ut maximè conueniens esset omnibus antè probè comparatis atq; institutis, ita post hunc errorem admissum minimè fertur, quòd natura priori tenuitate fracta, ne opportunũ quidem pro morbi conditione toleret alimentum. Hæc est huius secundæ lectionis procul dubio expositio. Et si, Bifariam, retineas, non potest esse alius sententiæ respectus. Verùm Galeno melius est, Bifariam, expungere, & Aphorismum generalem de omnibus, qui tenuitate peccant, facere, aut habere. Id maximè confirmat sanorum allusione: in quibus uel citra medici importunitatem, uel alium errorem, nihilominus quàm in morbis error tenuitatis est periculo

Vana & obscura omnẽ interpretationem admittunt.

Varia lectio.

Duo aut Bifariam debet asscribi.

Manardus Duo male expunxit.

Duplex noxa.

Secundæ lectiõis in cõmento expositio.

culo

culosus: non ob aliam causam, quàm quia tali, inquit, uictu natura debilitatur, atq; transitus est insuetus. Quanquam ergo secunda lectio ferri posset, nõ tamen hic error ad plura, quàm duo extendi posit. Sed neq; prior lectio, aut expositio, cum altero loco, qui est in libro de ratione uictus in morbis acutis, pugnat. sed ille morbos acutos, præsens uerò longos spectat: in quibus communiter cum sanis multo fertur ægrius peccatum tenuitatis, quàm plenitudinis. Frustra autem Hugo Senensis athletis timet: nã hi nũquã peccant in tenuitate: & si illos peccare cõtingat, melius est illos declinare in paulò plenius, quàm tenuius, quòd uel hos potius paulatim, quàm affatim repræhẽdere oportet. Videtur magis obstare huic nostræ cõmentationi Auicẽna, ubi inquit, Siquidẽ ignoras ægritudinẽ subtiliarẽ dietã. Verùm subtilem dietã iuxta qualitatẽ intelligit. Hugo hãc subtiliationem ad quantitatem refert, & ad uictum sanorum confert, atque insigniter autorem uitiat. Nam tale quid, admonitionem Auicennæ non desiderat: ex se enim notum est, quòd ægri quàm sani subtiliorem, id est, parciorem uictum amant. Adeo Auicenna quidem subinde bene se habet: commentatores autem illum deprauant, atq; obscurant. Sed & in proposito duplex Hugonis articulus plus tenebrarũ quàm lucis affundit. Oribasius partim lectionẽ mutauit, ac sic legit, Quicquid enim cõmittitur, grauius ei obuenit, quàm in aliquãto pleniore. Quo ipse uerbo symptomata, non autem errores uictus, quos symptomata sequuntur, intelligit. Atq; hæc sanè sententia uera est: quoniam symptomata quæ inanitionẽ sequuntur, multò sunt grauiora, quàm quæ plenitudinem comitantur. Sed non uidetur mihi Hippocratis mens huc accedere, neque potest ea lectio prædictas rixas soluere. Nam symptomata, nisi & ipsi morbi errorescq; maiores fuerint, grauiora esse non possunt. Nunc de his satis, reliqua in eo commentario reperies, quem seorsim super hoc Aphorismo contra Manardum de securiori uictu inscripsimus.

Locorum cõpositio.

Inanis Hugonis Senẽsis timor.

Auicenna.

Hugo Auicẽnam uitiat.

Temerariè Oribasius lectionem cõmutat.

APHORISMVS VI.

EXtremis morbis extrema exquisita remedia optima sunt.

EANDEM distinctionem, quam nos antè dedimus, ipse Hippocrates in hac sententia indicare uidetur, qui morbis acutis aliã, quàm prædictum fuit, uiuendi rationem dedit. Oportet enim per extremos acutos, siue acutißimos intelligere: licet qui omnia extendere, ac singulas replere paginas uelint, ad longißimos morbos ac remedia mollißima possint hunc aphorismum trahere. Verum ut dixi, hoc est magis expositionis multitudine oblectari, quàm autoris mentem sequi. Neq; etiam uerũ est, extremè plenum uictum alicui ex longißimis competere: tametsi multis ex acutißimis extremè tenuißimus conueniat, ac omnino sit necessarius. Manifestius uerò lectio Oribasij hunc intellectum refellit, qui tandem adiungit, Addere enim, nocuũ est. Posses autem extrema medicamenta, nedum uictum, intelligere: quoniam eiusdem ordinis eße debet apposita medicamenti qualitas cum morbosa intemperie. Nam sententia, quæ plurimum alterare, uel calefacere, uel refrigerare prohibet, non spectat ea auxilia, quæ morbum curant, sed quæ sanitatem salubris corporis in meliorem commutant.

Multitudinẽ decet tollere & authoris mentẽ sequi. Nusquam cõuenit plenissimus, est ubi expedit tenuissimus.

APHORISMVS VII.

VBi morbus peracutus est, statim extremos labores habet, & extreme tenuissimo uictu utendũ est: ubi uerò non, sed pleniorem uictum contingit adhibere, tantum cibi indulgẽdum est, quanto morbus extremis mollior est.

NEQVAQVAM omnis morbus, ut dixi, uel acutus uel longus est. Quidam enim inter utrunque medius est, qui ut neq; acutus est, ita neque lõgus: talis febris diaria est, talis tertiana legitima, quam pueriliter Oribasius inter acutas numerat. Sed & infiniti alij sunt morbi, qui ex natura sua ante decimumquartum finiuntur, sed citra periculum aut magnitudinem: atque in hoc ab acutis differunt. Nã acuti omnes grauissimis accidentibus affligunt: atque fieri potest, ut hæc ipsa mortem citent: ueruntamen aut nihil, aut parum ad eius concoctionem atque expulsionem conducunt. Quid enim hallucinatio, linguæ siccitas, uigilia, præcordiorum,

Acuti magnũ semper periculũ cõiunctum habent.

diorum, capitis dolor, & mille similia naturæ conferre possunt? Proinde magnitudo ipsorum accidentium, atq; ipsum periculum rectè in definitione acutorum scribitur: sed alijs de causis acuti efficiuntur: ac primam quidem ac propriam inter morbos longos & acutos differentiam mihi facere uidetur materiæ qualitas. Nam morborum longorũ ferè materia ignaua est, frigida, & insigniter crassa: acutorum uerò insigniter subtilis & calida. sic elephantiasis, cancer, ferè nobiscum cõmoriuntur: quia ex crassissimo succo oriuntur. Ex cholera uerò breues morbi oriuntur, & prõptissimè interimunt: nam cholera minimo negocio concoquitur, & ex minima causa promptissima attollitur, & exasperatur. Apparet & materiæ quantitas aliquando morbum acutum reddere: sed ita non est, nisi speciem morbi uariet: nam licet mortem posset præcipitare, nusquam tamẽ reperietur salutem accelerare, difficilius enim materia multa, quàm modica conficitur. Fateor, materia multa locum affectum grauat, ac naturam prouocat, sed rarissimè aut nunquam euenit, ut plus boni quàm mali hoc modo sibi comparet. Ergo secunda causa morborum acutorum ex loci dignitate sumitur. Nã interna uiscera minimum pati possunt: & quod euinci potest, promptissimè conficiunt: quoniam in his locis natura quasi domi habitat, nusquam certè plura potest. Quippe plurimum spiritus & sanguinis per se continent, aut cum principibus uisceribus magnam affinitatem habent. Sic apoplexis, sic aliquot alij morbi, licet frigidi, acuti existunt. atque ita his duobus generibus omnes morbi consistunt. Proinde non quæuis bilis ardẽtem facere uidetur, sed ea quæ magis æstuat, ac in uenis fluctuat. Id de materia coniuncta dico: nam quod ad antecedentem pertinet, nõ apparet magna inter ardentem febrem & tertianam intermittentem differentia. Nam licet hic materia extra uenas, ibi in uenis putre fiat: tamen quæ antecedens appellatur, utrobique in uenis continetur. Fortè quòd inter ardentes altera alterâ acutior sit, non tantùm materiæ comparatio efficit, sed & loci uarietas: quippe nec uenarum eadem est dignitas. Forte & intermittentes à continuis hoc quoq; modo discrepant, quòd hæ materiam antecedentem in uenis præstantioribus, illæ uero in ignauioribus congestam habeant. Igitur ubi ambo conueniunt, morbus

Accidentiũ magnitudo mortem citare potest, salutem uerò nequaquam.

Acuti ex materia calida, longi plerũque ex frigida.

Materię quãtitas potest cito opprimere, sed nequit morbũ acutum per se facere.

Morbi acuti ferè sedẽt in principalib⁹ uiscerib⁹, aut particulis illis proximis. Quare in internis uiscerib⁹ materia plerunque morbos cõmittit acutos.

Materia cõiuncta.

Materia antecedens.

 effici

efficitur acutißimus, qui tertio aut quarto die terminatur, atque hic subinde integram inediam tolerat. Nunquam autem uirtus tam impotens est, quæ in tali morbo non sit contēta mellicrato, aut succo ptisanæ admodum exiguo. Hoc est quod Galenus partitur in commento, ubi inquit, In quibus morbi uigor statim futurus est, hoc est, in primis quatuor diebus, in his possumus uel extremè tenuißimo uictu uti, ferente natura omnimodam inediam, aut mellicrati solius exhibitionem, aut succum ptisanæ admodum modicum. Leonicenus hunc locum peruertit, dum putat reddere inuentum. magis uitiat antiquus interpres, dum reddit suum commētū. Scilicet Leonicenus distrahit orationem quæ unica erat: quippe cùm reddere debuit, Natura ferente inediam aut mellicrati exhibitionē &c. ita ipse significauit, Dum natura fert, aut tolerat omnimodam inediam, licet exhibere mellicratum, aut succum ptisanæ. Atq; id excusari non potest. Nam si natura fert integram inediam, nihil istorum indulgere: licet, quòd (ut prius dixi) hi morbi tutius ferunt peccatum tenuitatis, quàm plenitudinis. Forte sic uoluit distinguere Leonicenus suam orationem, Dum natura fert, licet adhibere omnimodam inediam mellicratū, &c. Antiquus interpres nihil mali scribit, sed à mente ipsius autoris recedit. negationem enim, quasi deesset, adiecit, ac sic scribit, In illo ergo, cuius status est in prima quarta die, bonum est ultimam dietam dare, ubi natura posset pati incibationem. Si uerò non sufficit mellicratum, sufficit &c. Et ego quidem uoluissem ita à principio positam scripturam: nam secundùm nostram lectionem, uictum extremè tenuißimum paulo liberalius audire debebimus, quàm prius, ut non tantùm complectatur inediam, sed & tenuißimum simpliciter, hoc est, mellicratum, & ptisanæ succum modicū. Ita uel in ipso Hippocrates extremè tenuißimum uictū liberius, quàm Galenus describit, oportet audire, aut particulariter, & in quàm plurimis duntaxat eius aphorismum accipere. magna enim ex parte inediam tolerat, ac non nisi raro mellicratum aut succum ptisanæ postulat. Quare autem hæc ratio uiuendi in morbis peracutis sufficit, nos ex breuitate morbi sumpsimus, Hippocrates ex magnitudine laborum uel accidentium captat: nam & concoctionē distrahunt atq; impediūt.

Leonicenus locum in cō mento peruertit.

Antiquus interpres subinde libere mauult reddere commentū, quàm inuentum.

Verba Aphorismi potius amicè quàm morosè obaudienda.

Sic ergo uidetur ſedere Hippocratis dictio, In ſummis laboribus nihil eſt dandum. Sed in morbis peracutis uel à principio ultimi labores laceſſunt, atq; adeo ſæpe maiores, quàm uel in aliorum ſtatibus, exiſtunt. Igitur nec à principio his quicquam eſt dandum. Scio quòd uires fortes ſunt, ac ſæpe multo plus concoqui poterit. Sed natura eo non indiget, ac tantum decedit concoctioni morbi, quantum accedit alimenti. Proinde melius eſt, ex utraq; unam rationem facere, atq; ita deducere, in morbis peracutis, nã pauco indiget (quia ipſa fortis, & morbus breuis) moroſa etiã concoctio (quia accidentia extrema). Igitur in his extremè tenuiſsimo uictu utendum eſt. Nullam dubitationem admittit conſequẽtia. Obſcurior multo Galeni ratiocinatio, qui hoc modo ſequelam digerit: in ſtatu nihil dandum eſt, ergo nec in morbis peracutis: quoniã in his ſtatus propè eſt. At nec in ſtatu acutorum aliquid dandum eſt: quanquam ob id nequaquam conſequens ſit, uel per totum morbi decurſum inediam conuenire. Videtur ergo hic quandam dictionis fallaciam committere Galenus, dũ ita ſubdit, In ſtatu nihil dandum eſt. Morbus autem peracutus conſiſtit circa primos quatuor dies. Ergo per morbos acutos nihil dandum eſt. Nõ enim quibuſuis diebus primis morbus conſiſtit, ſed tertio uel quarto. Quare non quibuſuis diebus, ſed tantum poſterioribus alimentum hoc argumento tollere poſſes: alioquin aſſumere oportebit, quòd circa ſtatum nihil dandum ſit, non etiam duobus aut tribus diebus prioribus ante ſtatum. Verum alia eſt illius in propoſito aſſumptio: fortè alia eſt etiam ipſius Galeni excuſatio: certè quicquid id eſt, maiorem ueniam meretur hæc obſcuritas, quàm illorum negligentia, qui pro ſucco ptiſanæ ignauum ordei decoctum exhibent, & pro ipſa ptiſana, pultem ordeaceam, uel lac amygdalarum, aut aliud eo ignauius. In mellicrato melius ſe habet comparatio: nam quamuis uulgò ignoratur, propè tamen ad hoc acceditur. Nunc de quibus morbis hanc ſententiam audire oportebit, explicemus. nam de febribus peſtilentibus, quantumcunque acutæ ſint, non leuis eſt contentio. Sed quidam iuxta hanc ſententiam ipſis extremè tenuiſſimum uictum præſcribunt: quidam inuito pleniorem conſulunt: alij utranq; ſectam inter ſe committunt, nemo quòd ſciam hanc controuerſiã

Hippocratis collectio.

Occupatio.

Plana & clara deductio.

Galeni ratiocinatio obſcura, fortè etiã manca.

Ratio Galeni ſupplemẽto eget.

Medicorum noſtratiũ abuſus.

Diſceptatio, an in peſte conuenit uictus tenuiſsimus.

Quidã tenuiorem, quidã ecõtrario pleniorẽ præſcribunt.

diremit, qui ſcilicet diſsidentes inter ſe ſectas cõpoſuerit, aut alteram arguerit, alteram receperit. Fieri enim non poteſt, ut utraq; uerum tueatur, quum ſibijnuicem ex diametro pugnent, & altera pleniorem, altera tenuiorem uictum in peſte probet. poſterior hac Hippocratis ſententia innititur, reliqua recentiori Auicennæ autoritate & præſentiore experientia animatur. Dixit enim ille alibi, eos, qui peſte laborant, ad cibum cogendos eſſe, & ſolos ferè illos euadere, qui uiriliter bibunt & comedunt. Interea tamen nihil exhibent, quod Hippocrati reſpondeat: ſed cum eo diſsimulant, quemadmodum illi cum experientia. Grauis enim uterq; autor, grauior experientia: quare neq; illis Hippocratis ſententiam, neq; eis experientiam (ſi omnino Auicẽnam audiant) tutum eſt cõtemnere. Sed neq; ueriſimile eſt, Hippocratem quicquam contra experientiam ſcripſiſſe. ita hactenus pro ſui doctoris palmario utrinque certatum eſt, aut ſi dicere liceat, pro ſua magis expoſitione, quàm Hippocratis aut Auicennæ autoritate: quoniam ambo quidem uerum dixerũt, ſed pauci intellexerunt. Hippocrates enim de quibuſdam peracutis, non autem de omnibus hanc ſuam ſententiam protulit. Nam & ipſe, in libro De uictus ratione in morbis acutis, aliam uiuẽdi rationem præſcripſit ijs qui laborarent febribus ex inedia, aliam ijs qui ex plenitudine aut humorum uitio. Oportet autem eodem uictu eos qui ex inedia, & eos qui ex corruptione morbi fiunt, comprehendere, quemadmodum Galenus præcepit in eius Aphoriſmi commento (& quibus ſemel aut bis.) *ubi nos de natura illorum plus dicemus. Nunc de his tantùm dicere oportebat, ut peſtilentes febres ex hac ſenis ſententia ſciremus exemptas eſſe. Non autem has tantùm, ſed ſimiliter eas quas inedia peperit, ac de ijs ſolis eſſe, quæ ex plenitudine aut cacochymia eueniunt. Id ſi fecerimus, leuiter expeditus erit nodus, qui Neotericos hactenus perplexos habuit. Eſt alius nodus, qui ex cõmento oritur: ubi inquit ex Hippocrate, quòd phlegmaſiæ in uigore ſunt maximè: ſiue quis per phlegmaſias uelit intelligere ipſas inflammationes, ſiue ſimul cum ipſis uelit intelligere ſecundùm antiquam uocis acceptionem ipſas febres. Sermo profecto non niſi ex dimidia parte uerus apparet. Nam licet febres omnes in ſtatu ſint maiores, tamen*

[Margin notes:]
Hippocrates. Auicenna.
Hippocrates nihil contra experientiã.
Alius uictus in febrib⁹ acutis ex plenitudine, aut cacochymia. ali⁹ in febrib⁹ peſtilentibus, aut ex inedia.
Febres ex inedia & corruptiõe ab hoc Aphoriſmo relinquũtur.
An phlegmaſiæ in ſtatu ſint maximè.
Febres in ſtatu maiores in flãmationes, plerunq; minores.

men inflammationes saltem tenuiore tectæ cooperculo, per continuam excretionem magnitudinem remittunt: talis est pleuritis, talis est pulmonia, & reliquæ ferè inflammationes internæ. Nec est uerisimile, quòd loquatur de externis. nam hæ ignauæ certè extra numerum morborum acutorum sunt. Proinde mihi quidē hæc Galeni expositio uidetur præcipitatior: ac fortè hoc tantū dixit Hippocrates, quòd ipsa caliditas inflāmationis tempore uigoris est maior: nempe moles aut tumor subinde solum est symptoma. Idem de omnibus alijs morbis calidis: etenim de frigidis dubites an in statu maiores sint, quòd concocta materia, frigus paulatim apparet mitescere. sed de his alibi.

Galeni dictio præceps.

Frigidi morbi in statu minores.

APHORISMVS VIII.

QVando morbus in suo uigore consistit, tunc uictu extremè tenuissimo utendum est.

QVOD in statu morbi extremè tenuissimo uictu uti oportet, ipse Hippocrates simpliciter scripsit. Cur uero ita fieri debeat, ipse Galenus subiecit. Quia, inquit, eo tempore accidentia grauissima, & concoctio cō fertissima. Possem & tertiò addere, Quia morbus quoque maximus. Quòd autem sequela rectè sedeat, dicemus postea. Nunc uerò locus magis postulat, ut ostendamus quòd ista sic sese habeant. non enim est parua de istis rebus contentio. pendent autem omnia ab uno principio, nunquid simul procedant cōcoctio & putrefactio: inuenies q; duas ex aduerso pugnātes sententias. Imo, quod amplius est, sunt quidam ex posterioribus, qui utranq; opinionem putant probabilem. Nam qui alteram astruunt, tam debiliter id agunt, ut altera probabilis maneat. Nobis uerò certo constat, quòd concoctio & putrefactio simul promoueantur, quam partem tam euidenter astruemus, ut nulla deinceps relinquatur alteri sectæ repugnandi occasio. Vnum admonere oportet, quòd de solis morbis calidis ista sit disceptatio. Nam in frigido morbo subinde nulla est putrefactio. Certe hoc morbo ueniente ad concoctionem, frigiditas potius minuitur, quàm augetur. Iam neq; in omnibus calidis feruor maior est in statu, quàm augmento, aut etiamdum principio. Nam ex synochis quidam à principio

Plura sunt, quę in statu uictū postulant tenuissimum.

Contentiones uariæ.

Cōcoctio & putrefactio simul ferè promouent.

Synochi quidam semper ęquales.

usq;

usq; ad finem manent æquales: quidam etiam statim permittunt: saltem non omnes augentur. Igitur idipsum oportebit intelligere de morbis calidis, qui ex uitio humorum fiunt, aut aliter coctionem desiderant: nã sanguis in uenis nullam coctionẽ expectat. Videor mihi bene facturus, si ad hæc unam exceperim differentiam, in qua materia, quæ putrefit, difformis est. nam sæpe bilis miscetur, cum crassa pituita, aut etiãdum una pars pituitæ admodum tenuis est: maior uero crassa: atq; hìc contrà ferè euenit, ut priores paroxismi appareant maiores: quoniam id quod ex natura sua magis erat putrescibile, paucis paroxismis, atq; adeo affatim simul corripitur: quod uero crassius est, relinquitur, & non nisi paulatim accenditur. Ita & in foco est uidere, ubi multa & tenuia & sicca ligna uiridibus supponuntur. Videbis enim aliquando affatim hæc tenuiora in flammam uerti: ijs uerò consumptis reliqua non nisi ægrè & paulatim accẽdi. Fortè & in hectica ita euenit: nam assumpto plus minus omni humore, febris in ipsis solidis & siccis particulis consistit. Verùm ubi materia unius moris est, paulatim ipsa magis ac magis corrumpitur, ac putrescit: saltem in statu grauiores ac longiores paroxismi fiunt: quoniã altera materiæ pars, quæ malignior erat, nec castigari poterat, magis maligna & ad putredinem continuè magis opportuna redditur: cuius multitudinem paroxismi imitantur, atque intemperies febrilis sequitur. Itaque nunc & per rationem & per sensum satis constat, quòd putredo continuè crescit, & quòd morbus in uigore summus existit: atque id antea uel ex solo nomine Vigoris poteras intelligere. Verùm si putredo eo tempore maxima, ac morbus summus existat, tertiò quoque accidentia quæ quasi umbra sequuntur, maxima erunt: idem indicant paroxismorum longitudo, magnitudo, & remissionum impuritas atque morositas: nam ijs tribus uerbis compræhenditur compendio, omnium accidentium magnitudo. Possem tamen pluribus uerbis reddere, quòd eo tempore calor maior, diuturnior, fastidium, sitis, uigilia, anxietas animi, corporis, omnia grauiora, tũ homines hallucinantur, insaniunt, nullum decubitum ferũt, ex lecto exiliunt, & reliqua omnia, præter accidentia particularia, quæ molem inflammationis sequuntur. nam hæc in ijs quæ tenuiori cooperculo teguntur,

Vbi materia difformis, sæpe priores paroxismi grauiores posterioribus, idq; ante statum.

Hecticæ febres paulatĩ sequũtur minores.

Putredo & morbus in uigore maxima.

Accidẽtia in statu maxima.

Accidẽtium magnitudo in tribus consistit.

Accidentia uniuersalia crescunt.

Accidentia particularia paulatim imminuuntur.

tur, paulatim minuuntur. Talis est dolor punctilis in pleuritide, difficultas anhelitus, difficultas ipsius tußis. Verùm de ijs copiosè diximus in quodam seorsim opere, quod De temporibus morborum inscripsimus. Itaque ad id unde digreßi sumus, redeamus: ubi ostendimus, quòd tempore uigoris tria sint maxima, putredo, morbus, accidentia. Superest quartò ostendere, quòd & concoctio sit maxima: nusquam enim maior cõtrouersia, ex eo quòd concoctio putrefactioni sit contraria. Itaque qui concoctionẽ in statum concedunt maiorem, ibidem putredinem cõtendunt minorem: alij econtrario contraria. Vtraque pars suam sic firmauit opinionem, ut adhuc sub iudice lis sit. Neutra pars mihi uel parum in opere medico uersata uidetur. etenim experientia manifestè cõtentionem dirimit, quæ utrũque simul ostendit: ac quòd putredo sit eo tẽpore maxima, antea ostẽsum est: quòd uerò & ipsa concoctio, sic euidenter disces: si quidem morbus uenis communis fuerit, abi ad urinam: sin autem in pectore, respice sputum: & uidebis, quòd hæc tempore augmenti manifestam, in statu uerò perfectam concoctionem detineant. Quid ergo confert rationi, quæ in contrarium adducitur, credere? Præstat ea quæ per sensum euidenter cognoscuntur, accipere, & si quæ occurrant rationes diuersæ, illas seorsim ponere. Nã pars inscitiæ est, illas dißimulare, insaniæ rursus, propter has ipsam experientiam relinquere. Non potest enim ratio à ueritate discedere: sed subinde illius falsitas tam est occulta, ut non nisi ab exercitatißimo & doctißimo uiro depræhendi poßit. Profectò hoc problema Neoterici multis ambagibus, multis sophismatibus conclusis, articulis, notabilibus, suppositionibus confundunt, ac tandem uix clarè inuenies, quò euadant. Ex ijs ne ij quidem, qui hodie inter elegantiores ac recentiores medicos habe ri uolunt, extricari poßunt: proinde ne inscitiæ arguantur, ea dißimulãt aut contemnunt: qui si intelligerent, prolixißima sophismata uno aut altero uerbo eliderẽt. Ita propositum problema in una distinctione materiæ morbosæ cognoscitur: non est enim omnino simplex, sed duplex: altera egregiè maligna, & nunquam concoquitur: altera, ne in morbum trãseat, castigatur. Et quid ergo mirum est, concoctionem & putrefactionẽ simul promoueri? & ambo in statu maxima fieri? Puto eos fefellit conco-

Libellus noster de morborũ temporibus.

Putredo, morbus, accidentia, cõcoctio, omnia tempore status maxima.

Neotericorũ controuersia.

Vtraq; secta peccat.

Experientia cõmunis pro cessũ ob oculos ponit.

Dißimulare, est inscitiæ.

Experientia ubiq; suffulta ratione, licet occulta.

Neotericorũ in hac quæstione pplexitas.

Materia morbi duplex.

Occaſio lapſus.

ctionis, ſiue, ut ipſi appellãt, digeſtionis in tertio libro Technæ definitio: quæ concoctionem tollere putredinem deſcribit, ſaltem in humoribus putridis, ſiue ut Leonicenus habet, putreſcentibus, eam fieri aſſerit. In quo loco minus breuiter humores putreſcentes audiuerunt, pro his duntaxat, qui iam putreſcunt, ac nunc coniuncta ſiue præſens febris cauſa exiſtũt: etenim ſub his totum genus morboſæ materiæ intelligitur: quo & illi continentur, qui aliquando cauſa coniuncta fieri poſſunt. Totam ergo humorum conditionem tum ex cauſa coniuncta, tum antecedente intelligere nomine putreſcentium humorum oportuit, dum in ipſis in quibus febrem accendi poſuit, cõcoctionem expectauit. Vnus enim humor eſt, cuius tres inuenias differentias, ſi quidẽ exquiſitè eũ partiri uolueris. Altera enim coniuncta dicitur, quæ nunc febrem efficit. Altera eius portio antecedẽs uulgò appellatur: & huius quoque duplex eſt ratio. altera tandem corrũpitur, adeo ut & ipſa propediem febrem efficiet: altera uerò ſpatio temporis concoquetur, alioquin & ipſa quoque nouiſsimè corrumperetur, & febrem demum efficeret. Omnes ergo iſtæ particulæ eiuſdem ferè rationis ſunt, ſed ſucceſsu temporis uarias mutationes ſubeunt: hæc corrumpitur, illa concoquitur, tertia etiam nunc corrupta eſt, aut iamiam corrumpetur: quas hîc omnes uno putreſcentium nomine audire oportet, & putreſcentes humores ad putredinem idoneos intelligere. Certè de ſolis putridis, qui cõiuncta cauſa febris ſunt, nullo modo prædictus in Techna locus intelligi poteſt, idque ob multas cauſas. Euidentior eſt, quòd cauſa coniuncta non niſi tempore paroxiſmi apparet: concoquentia uerò medicamenta tempore intermiſsionis adminiſtrantur. Iam neq; quæ tempore paroxiſmi exhibentur, putridam ſimpliciter coquunt, aut putredine aſſerunt, tantùm illius augmentum reſtringunt: quod ſi quis aliter hanc ſentẽtiam accipit, melius facit quàm intelligit. Nam in aliam materiam, concoctionem parat, quàm cogitat. Quippe neque ea, quæ de euacuatione, poſt alterationem, ſiue concoctionem ibidem dicuntur, coniunctæ, ſed antecedenti competunt materiæ: coniuncta enim materia concoqui non poteſt, ſed per putrefactionem ſufficiẽter extenuata, plerũque uel ultro, uel ſudore, uel aliter diſcutitur: & ſi omnino per uentrem in criſi cùm cæteris it, nõ tamen

Putreſcentes humores latè audire oportet.

Coniuncta materia ſimplex.

Antecedens materia duplex.

Putridi, hoc eſt, ad putredinẽ idonei, ac præter naturam.

Medicamẽta concoquẽtia duntaxat adminiſtrãtur. tempore intermiſsionis,

Multi meli⁹ faciũt, quàm intelligunt.

Coniũcta materia neq; cõcoquitur, neque per ſe à medicamentis euacuat.

tamen illius purgatio in proposito à Galeno spectatur, sed tantùm eius, quæ antea concoquebatur. Coniuncta ergo excerni potest, concoqui uerò non potest, neque si concoqueretur & expurgaretur (quippe per singulos ferè paroxismos intermittẽtium expurgatur) tota febris subsideret, sed tã tùm illius paroxismus, quum tamen medicamenta hæc totius morbi curationem spectent. Igitur totam ex antecedenti & coniuncta congeriẽ ibi nomine humorum audire oportet: cuius altera pars spatio temporis cõ coquitur, altera uerò corrumpitur, ita ut in hac promoueatur corruptio, in illa uerò concoctio: tamen urina potius concoctionis, quàm putredinis ostendit argumẽtum: hoc est, magis antecedenti quàm coniunctæ attestatur causæ. Nec solùm in crisi, sed etiam in augmento, manifestam concoctionis notam excrementa exhibent. Putredinis uero augmentum manifestius ex ipsis paroxismis accipimus: nam ij putredinem sequuntur: ac tãto maior putredo, quanto ipsi paroxismi sint prolixiores, atque immitiores. Grauior & iucundior est quæstio, ecquid ipsa concoctio magis affatim in statu, quàm in principio fiat: nunquid more eorum qui in palæstra certant, paulatim magis accenditur. atqui hoc solis animantibus sensu prædítis euenit. Id potius ea ratione accidit, quòd materia, in principio multa & admodum pertinax, adeo ut natura uix multis uiribus, initium concoctionis illi imprimere poßit: tandem uerò ac spatio temporis magis ac magis mitescit. Etenim natura respectu morbi continuè fortior euadit. forsitan ergo & hic alimentum melius, quàm alibi confici posset, sed natura ipso (ut in morbo iamiam terminando) non admodum eget. forte etiã paulo felicius hic morbus quàm alimentum concoquitur. Nam morbi concoctio tantùm est extenuatio, ad quod nonnihil calor febrilis conferre potest. Ad alimenti uerò transmutationem magis obest: saltem periculosum est, naturam à morbosa concoctione reuocare. Reuocationem autem non ita oportet intelligere, quasi natura assumpto alimento, statim à morbo digrederetur, fortè à uenis ad ipsum uentrem. hoc enim modo, naturam animal, nec illud ignauum, esse oporteret, sed intellectu præditum. Sed ita euenit, quia nequaquàm satis est, quòd alimentum in uentre ruditer concoquatur: præterea necessarium est, ut ipsum in epate ac uenis (ubi forsitan

Vrina potius concoctioni attestatur, q̃ putredini.

Putredo sumitur ex proportione paroxismorũ.

Quare cõcoctio magis affatim in statu quàm alibi.

In febri prõptius concoquitur materia morbi, q̃ alimentum.

Natura non mutat locum neq; à uenis recurrit ad uẽtriculum.

 tan

tan materia morbi reconditur) diligentius conficiatur. Atqui dubium non est, quin natura melius solos succos, quàm simul cum illis alimentũ perficiet. Deniq; utut facilis cibus ac idoneus, perfectus fuerit, perpetuò aliquod ex se excrementum relinquit, quod ne morbo accedat, est periculum. Iam si toto tempore morbi, demus alimentum parcius, occasione ipsius morbi, rationabile est, ut ibi demus quàm minimum, ubi morbus est maximus. Sed & accidentia nonnihil concoctionem labefactant, putredo etiam adueniens alimentum uitiat, & rursus alimentum morbi concoctionem interturbat. Est & quinta (diximus) causa, quòd eo tẽpore natura ipso minimè indiget: quia finis morbi imminet. neq; enim multo commeatu indiget, qui ferè iter absoluit. Hactenus ergo, idq; multis de causis, in morbi uigore, statu, aut incremento summo, nihil est dandum. Plura super his rebus suppeditabit nostra disceptatio de morborum temporibus, seorsim propter Neotericos inscripta.

Impropria locutio.

Alimentum semper relinquit aliquid excrementi.

Accidentia labefactãt cõcoctionem.

Quinta ac precipua causa.

APHORISMVS IX.

COniectari autem oportet, an æger cum uictu sufficiat perdurare, donec morbus consistat: & nunquid prius deficiat, nec posſit cum uictu perdurare, uel morbus antè deficiat & hebetescat.

PAVCIORIBVS dici poterat, Coniectari oportet an definitus uictus, uirtutem usq; in finem morbi seruare poterit, an non. Quippe si inediam integram seruare poſsit, inedia quoq; præscribenda est: non enim tantum, quantum requirit corporis restauratio, aut quantum poſsit uirtus concoquere, sed quantum sufficit uirium substantiæ, est indulgendum. Igitur ubi uirtus depræhenditur imbecillior, morbus uerò longior, uel alioquin uehementior, tantum adijciendum est, quantum naturæ ad suam constantiam satis est, atq; id tantum. Quod enim adijcitur, periculo non caret. nam tametsi optimè concoqui poſſet, morbum nonnihil promouet. Igitur inediam forti uirtuti, quatriduo præscribimus: debili, mellicratum concedimus, non quidem libenter, sed coactè, atq; cum formidine. neq; enim minus debilem quàm fortem naturam distrahit cibus. Verum

Breuis Aphorismi sententia.

Morbus multò minus accipit, quàm uirtus concoquere sufficit.

Pro diuersitate morbi distributio alimenti.

rum ubi natura debilis admodum est, ac indubitatus casus, melius est anceps remedium experiri, quàm expectare certum exitum. Atq; in hoc soluitur Hugonis Senensis magna dubitatio, cur plus debili, quàm solidæ naturæ permittatur, cùm procul dubio hæc plus quàm illa possit concoquere. Neutro enim in loco periculo aut fortuna uacat, sed in altero quidem maximè, in altero minimè necessarium alimentnm existit. Nec quantum concoqui possit indulgendum, sed contrà quantum fieri potest pro uirium robore alimentum est subtrahendum. Atq; hæc omnia quidem promptum est dicere, sed illud operosum, atq; artifice eget, quando sic, an aliter se habent uires, distinguere. Cognoscimus autem earum firmitatem maximè ex pulsibus: uerùm horum scientiam aut non habuit Hippocrates, aut contempsit: & uulgò rectè dicitur, urina fallax, pulsus fallacior. Etenim pulsus ad omnem strepitum corporis, & ad omnem motum animi mutatur, urina non nisi grauiores immutationes corporis sequitur. Igitur ex illorum, quæ nobiscum uersantur, discrimine, regione dico, anni tempore, uictu, ætate, temperatura, habitu, labore, dolore, uigilia, & similibus accidentibus coniectari debemus. Si quis enim iuuenis denso habitu in regione frigida, tempore hyemis, modicæ exercitationis, pleni uictus, in morbum inciderit, nec dolore nec uigilijs multum fatigatus, uires in eo fortes non sine ratione existimare oportet, ac tales quæ quatridui inediam facilè tolerabunt. Quòd si econtrario contraria omnia, uires breuissimas suspicari necesse est, quibus mellicratum non sufficit, sed succus ptisanæ conuenit. Igitur unum duntaxat generale caput instituendi uictus à uiribus inueniet, qui omnia in angustias redigere uoluerit: non enim morbus est, sed uirtus quæ alimentum postulat. Neq; enim indicatio à morbo, ab indicatione quæ à uiribus sumitur, est simpliciter distincta, sed doctrinæ clarioris gratia tantùm adiecta. attamen post uires, inter reliqua, primum procul dubio locum obtinet.

Magna Hugonis dubitatio.

Vrina fallax, pulsus fallacior.

Virium comparatio ex diuersis.

Descriptio uirium fortium.

Vires defectæ.

Vnus uiuendi scop9 à uiribus.

Indicatio à morbo per accidens.

APHORISMVS X.

QVibus ergo statim morbus consistit, ijs statim tenuis uictus est exhibendus: quibus uerò po-

ſterius debet cõſiſtere, ijs in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud, cibus ſubtrahendus: prius uerò uberius agendum, ut ęger ſufficiat.

An plus dandũ in principio, quàm augmento, aut ſtatu.

DE diſcrimine uictus, pro differentia morborum, ſcilicet quòd breuior morbus breuiorem, & rurſus debilior uirtus liberaliorem cibum requirat, antè ſatis dictũ eſt: quòd uerò in ſtatu nihil oportet indulgere, ſed futuram inediam prouidere, & eius defectum in principio anticipantes, diligẽter ſupplere, inſigniter redarguere uidetur primus liber De uictu, in morbis acutis: ubi cõtrà monet Hippocrates, quo quis plus ſpuit, eo plus dandum eſt, uſq; ad morbi iudicationem, & maximè duorum dierum ultra criſim exceſſum. Cornarius tranſtulit, Et maximè duos ab iudicatione dies. Copi tranſlationem non attulimus, quia nimis exorbitat: & alibi idipſum fecimus. Mirabilis procul dubio locus, qui ſtatui plus quàm augmento, rurſum augmẽto plus quàm principio tribuere apparet. Etenim ſecundùm hæc tempora excretiones aut expuitiones promouent.

Controuerſia maxima.

Trãſlationũ diuerſitas.

Oribaſius.

Similis ſententiæ Oribaſius eſſe uidetur, qui in commento illius aphoriſmi, Victus tenuis atque exquiſitus: *in prioribus apoplexiæ diebus inediam laudat, tertio uerò die uictum indulget. Verum de apoplexiæ uictu diſputatur fruſtra: quoniam in principio apoplexia nullum admittit.*

Celſus.

Celſum ego audire malo, qui tertio libro, in principio febrium, ſemel atq; iterum cibum detrahit: in ſecundo uerò uniuerſim dicit, Initia morborum famem ſitimq; deſiderant. Ac forſitan Celſum contemnes, Galenum tamen audire debes, qui in ſexto Therapeutices in principio phlegmonarũ, tenuiſſimi uictus meminit, ac rurſus in Therapeutices XII. ſic ſcribit, Quòd ſi ex ſententia uobis omnia reſponderint, etiam carnei aliquid nutrimenti ijs poſt alia dabimus, potiſſimum poſt quartum diem ſuccis, qui febrem excitabant, iam ad concoctionem uenientibus. Eandem uiuendi rationem & Auicenna uidetur conſulere, non quidem in omnibus, ſed quibuſdam, quotidiana præſertim, quartana, ac ſimilibus. Videtur autem mihi & de reliquis eadẽ ratiocinatio. His omnibus aduerſari apparet præſens Aphoriſmus: ſed & liber De arte curatiua ad

Initia morborum famã & ſitim deſiderant.

Galeni exempla in Therapeutice.

Auicenna.

Loca quodãmodo diſſona.

Glau

Glauconem, contrà, plus uidetur indulgere principio, quàm augmento. Nam ubi continuas curat, sic ait, Quibus longius à septima status abest, à principio grandiori cibo reficiendi sunt, prope statum uerò tenuiori. Videtur locus excerptus esse ex præsenti sententia, ubi dicitur, in ipso consistendi tempore, & parum ante illud cibus subtrahendus est, prius uerò uberius agendum. Neoterici ferè ut in alijs, quibusdam distinctionibus eludere hanc discordiam conantur, ac morbos acutos duplices partiuntur: hos materiam ad unicam criticam expulsionem seruare dicunt, illos uero paulatim excoquere atq; expurgare. Parum interest, si dicas quasdam febres simplices, quasdam cum inflammatione coniunctas. Nota est differentia, & iamdudum ab Auicenna annotata. sed ego nescio quid ea partitione Auicenna, aut ab eo posteriores facient: nam præscripta Hippocratis loca, in primo de ratione uictus in morbis acutis, Galenus non tantùm intelligit de morbis acutis cum inflammatione, fortè pleuritide, peripneumonia, & similibus, sed & de simplicibus, ac omnibus alijs febribus. Si quis hic meis testimonijs fidem adhibere nolit, ipse Galeni cōmentarios super ea re legat, atq; ibidem Galenum scribentem inueniet, quòd idem est iudicium de omnibus febribus, quæ concoctionem patiuntur. Sed & rationes ipsæ de morborum utrorumq; statu, sunt eædem. Quòd uerò Hippocrates in his ipsis Aphorismis nō tantùm morborum simplicium, sed & inflammationum statibus, omnem uictum interdicit, uel ex eo notum est, quòd neq; Galenus quidem uel minimo uerbo illorū exceptionem notet. Certum ergo est, quòd hic locus & alter in primo libro de ratione uictus, in morbis acutis, ambo quantumcunq; diuersi, utrunq; similiter morbi genus complectuntur. Nec alter cum altero pugnat, sed uterq; diligenter accipiendus est. Videtur autem mihi optimum tum in his, tum alijs locis similibus, phantasia contrarijs, ut primùm eam partem statuamus, quæ ab omnibus est magis recepta. deinceps uerò ad eum locum ueniamus, qui alterum demoliri apparet: quod si in hac disceptatione sequuti fuerimus, hunc procul dubio Aphorismum indubitatum habebimus. Etenim nimis præclarè cum eo multi alij, in statu tenuißimum uictum præcipiunt: quocirca alterum locum in libro De ratio

Neotericorū distinctio. Morbi acuti duplices.

Distinctio primum ab Auicenna annotata.

Vtriusq; generis morborum eadem Galeno ratio.

Cōsilium in omnibus rebus cōtrouersis.

Procul dubio ubiq; in statu oportet uiuere tenuißimè.

Melius est cõtrarium locũ seponere, q̃ à ueritate discedere.

ne uictus in morbis acutis, tanquam falsum oportet excindere, aut tanquam suspectum atq; obscurum seponere, aut certè in omnem partem uertere, donec alius intellectus nobis appareat, qui cum priori loco nullo modo pugnet: ac quidem eum qui ex libro de ratione uictus allegatur, excindere nullo modo licet: quia Galenus ipsum absq; ulla suspitione recipit. an autem ipsum aliquo modo mutare liceret, nondum scio. Videtur Galenus respexisse aliò, qui citra ullum contradictionis respectum, hoc solum in commento sequitur, quòd non statim à iudicatione uictus sit commutãdus, sed qualis huc usq; fuit, duobus diebus à iudicatione obseruãdus. Causam ipse subijcit, quia aliquando imperfecta crisis pro perfecta nobis imponit: nec potest ea sententia redargui: uerùm proposito parum apparet accommoda. Potest etiam aliter seruari, ut intelligamus hunc uictum usq; ad crisim, & duos citra iudicationem dies: quomodo & septimũ in prægnantibus mensem exclusit, quando à quarto usq; ad septimum purgationes permisit. Verum an id Græca phrasis ferat, & Hippocratis mens expectet, alius uiderit: mihi satis est hucusq; nodum indicasse, & qualitercunq; explicuisse. Non erit nobis tam difficile reliquam partem componere, ubi dicitur, quòd in principio oportet uberius agere. Nam ex libro de ratione uictus in morbis econtrario planè constat, quòd in principio omnium ferè morborum minus alimenti, quàm in augmento exhibendum sit. Proinde in eo quem nunc exponemus loco aut Aphorismo, principium Hippocratis liberius dixit. Quippe contra statum distinguit, & sub ipso augmentum comprehendit: quomodo & in secũdo Aphorismorũ accepit. Igitur parũ dãdũ in principio, plus in augmento, minus in statu, & sub statum: diuersa tamen quodãmodo ratione, & rursum eadem: in principio enim grauissima aliquando particularia, aut propria accidentia prouocant: saltem cruditas multa afflixit, & uix ullum concoctionis uestigium morbus recipit. Econtrario in statu concoctio quidẽ perfecta cœpit, sed uniuersalia accidẽtia, paroxismi, ipsi naturam maximè fatigant. Igitur in solo augmento liberalius alimentum conuenit. Scio quòd & in augmento morbi, accidentia, putrefactio, concoctio, maiora quàm in principio. Sed hæc omnia in principio à cruditate uincuntur,

Locus indubitatus.

Galenus nimis perfunctoriè hunc locum præterit.

Nostra suspitio.

In principio procul dubio minus dãdũ, quàm in augmento.

Principium sub se augmẽtũ continet.

Quare minus in principio.

Quare minus in statu.

Occupatio.

quæ

quæ ægerrimè alimentum admittit. Nam & in sanis supra crudelitatem difficilinè alimentum fertur, & malum malo accumulat. Ita si quis in principio morbi liberaliter alimentum suffecerit, naturam opprimet, & uix ad augmentum uenire permittet: nec refert rursus, quòd in augmento sit cruditas maior, quàm in statu: quippe hæc modica est, & ab alijs, quæ in statu tenuissimum uictum expetunt, uincitur. Licet ergo eadem argumenta ad omnia tempora conferre: sed ubi unaquæq; causa maiorem uim obtinet, decet expendere. In utroq; ergo peccant Neoterici. Primũ, quòd morbi ex inflãmatione plurimum alimẽtum usq; in statum differunt. Secundum, quòd morbis simplicibus plus condonant in principio, quàm in augmento. Nam in ambobus ijs morborum generibus eadem est uiuendi methodus, eadem uictus ratio, ac in principio parum, in augmento amplius: atq; iterum sub statu & in statu minimũ est exhibendum. Hæc nobis hactenus uidentur, & nunc multo certiora apparent, quàm à decem annis, ubi hanc quæstionem primum expenderemus. Tanto magis miror, quòd nemo post nos hanc quæstionem tractarit: non enim ad contemplationem tantùm attinet, sed ad singulorum morborum curationẽ est necessaria, uel ob eã causam magis, quòd utroq; loco (nobis quidẽ censentibus) hactenus à Neotericis ad unum omnibus, peccatum sit: adeò ut ibi uictum auxerint, ubi imminuere: ibi imminuerint, ubi augere debebant: ut omnino melius fuerit hactenus medicis carere, quàm illorum opera uti, qui aliam uiuendi in pleuritide, aliam in alijs febribus rationem seruari uolunt, & in proposito, morborum tempora secundùm concoctionem atq; accidentia distinguũt. Maximè autem eos miror, qui ijs quæ nuper de temporibus morborum scripsimus, crediderunt, aut saltem conniuerũt. Veruntamẽ pro diuersa in inflãmationibus acutis atq; alijs febribus uictus ratione contendere non desinunt. Nihil enim istorum facere poterunt, nisi duplicem illorum status atq; aliorum temporum rationem seruauerint. Hæc sunt in quibus Auicenna, atq; eius sectatores consenserunt: in alijs enim, quæ diximus, usq; adeo non consenserunt, quinetiam ex diametro pugnauerunt: ut in ea quæstione, Nunquid morbus tempore status maximus sit. &, Nunquid cũ putrefactio-

Cruditas alimentum recusat.
Allusio principij uniuersalis ad particulare.
Altera occupatio.
Peccata Neotericorum.
Medici in hac re plus obfuerunt, q̃ profuerunt.
Neotericorũ contentio.

Hugo Senẽsis rudis arbitri funct⁹ officio.

ne procedat concoctio. adeo ut Hugo Senensis, qui postremus fuit omnium, tutius putauit utranq; opinionem referre, quàm alteram asserere, & ne forte alterius partis malam iniret gratiam, quasi rudis aliquis arbiter, qui utriusq; rapitur studio, maluit utriq; aliquid indulgere, quàm alterã refellere: quũ tamen fieri non posit, quin altera falsum habeat, quando inter sese euidenter pugnent: & mihi non satis dialecticus uidetur, nedum medicus, qui alteram non potest refellere, atq; alteram recipere. quamuis sint, qui gaudeant sese utranq; uiam posse docere, & nunc Gentilis scilicet, nũc Consiliatoris, nunc Thrusiani, nunc Hugonis opinionẽ posse asserere. Mihi uerò magis placebit, qui ex altero potest uerũ eligere, quàm qui per utranq; opinionem contentus est fluctuare. Etenim & nos utriusq; sectæ gratiam seruare, & ipsius errata dißimulare potuissemus, si quidem ad solam ueritatis speculationem pertinerent. quemadmodum multa alia, quæ hodie in scholis disputantur, citra ægrorum discrimina. Quum uerò hoc uno uerbo quæcunq; ad uictum & medicamenta attinent, uitiasse uideatur, neq; ullus morbus aut ullum morbi tempus sit, in quo curationis uarietatem ista non faciant, magnum nephas tacere existimauimus. De quibus plura in libello De morborũ temporibus diximus: quare nunc supersedebimus, si illud unum tantum adiecerimus, non posse in præsenti Aphorismo, uerbũ illud, Statim, ad aliquod trium significatorum à Galeno positorum cogi, aut certè tenuem uictum non posse à tenuißimo distingui: quia morbis, qui statim consistunt (quippe quarto die) non tenuis, sed tenuißimus conuenit. Quare aut uerbum, Statim, aut Tenuis, largius accipiendum est.

Inanis quorũdã gloria.

Naturales quidam errores dissimulari possunt: sed qui ad singulorũ uitam attinẽt, publicam redargutionẽ merentur.

Verbum, Statim, aut Tenuis, liberius audiendum.

APHORISMVS XI.

IN accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare, nocuum est: & quibus per circuitum finiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

NON satis est temporum uniuersalem, quàm habẽt ad se inuicem, rationem discreuisse: sed præterea dierum eiusdem temporis, eiusdemq; circuitus oportet differentiam annotare. Nam licet tempus accessionis ad expul

expulsionem sit opportunius, ad concoctionem tamen ipsius alimenti minus est idoneum, non solùm ob eam causam, quòd natura hoc tẽpore grauius offendatur, sed quòd calor naturalis multo minor sit, ac febrilis maior: qui licet ad concoctionem morbi aliquando conducere posset, ad concoctionem alimenti non confert quicquã. Igitur neq; si ultro uelint ægri accipere, permittendi: quoniam accessio circuitus deterrimum tẽpus existit, siue accessio sit simpliciter, siue tantum exacerbatio: in priori particula de exacerbatione, in secunda uerò de simplici accessione loqui uidetur. Et Galenus quidem in hoc loco super eo uerbo nihil reperitur dixisse: sed forsitan conijcias ex commento Aphorismi deciminoni, per priores accessiones eas, quæ sine ordine errant, ipsum accipere. Posteriores uerò in eas, quæ ordinem seruant, distinguere. Nec ego hanc commentationem refello, modo hoc obtineam, quòd sæpe in declinatione febrium quotidianarum & errantium alimentum offerre liceat, hic importunitatẽ accessionis nobis reueritis, illic uerò intermissionis breuitatem. Ergo potius erit accessiones prioris loci, continuarum intelligi, in quibus nullus euidens circuitus. atqui in intermittentibus manifesta intermissio est: quarum accessiones, ego secundo loco accipio. Cur uerò Hugo Senensis contrario modo quàm nos illas particulas distinxerit, coniectari non possum. Forsitan priori loco Hippocrates primam inuasionem intelligit, ut talis sit sermo, in prima accessione nihil licet assumere, neq; etiam posterioribus, quæ per circuitũ redeunt: certè in priori loco non possis synochũ intelligere, quia huius una est accessio: sæpe etiam extremam inediam tolerat, & uictus qui in ea conueniet, eodem ferè tempore, quo per sanitatem assueuit, administrari debet. In alijs autem qui diuersis paroxismis et ordine recurrunt, longissimè ab ipsa declinatione atq; accessione ipsum exhibere oportet: nisi extrema necessitas incideret. nam hic semper uictum dare conueniet: quoniam (quod toties diximus) melius est anceps experiri remedium, quàm nullum. Fortunata tamen admodum Hugonis quæstio, an in principio, an in statu securior sit alimenti exhibitio: si quidẽ in altero ipsorũ omnino dari deberet, nec usq; ad declinationẽ deferri posset. Raro enim talis casus sese offert: & si fortassis se ostẽdat, ubi dederis,

Tempus accessionis ad expulsionẽ, uerùm tempus remissionis ad concoctionẽ opportunius.

Accessio. Exacerbatio.

Galeni expositio.

Nostra opinio.

Hugonis expositio.

Tẽp⁹ opportunũ, in synocho.

Cibus lõgissimè ab accessione.

Fortunata Hugõis quæstio.

Securior cibus in statu, quàm principio.

ris, non multum refert: & si qua in parte refert, securior in statu, quàm in principio cibus uidetur. Quippe incommoda alimenti in principio dati temporibus sequentibus communia efficiuntur. neq; enim in statu cibus absolutus uidebitur, qui in principio fortaßis fuerit assumptus. quare non multo minus negotij naturæ facesset in statu, quàm in principio. at nō item incommoda principij uniuersalis, usq; ad statum uniuersalem proferuntur: quare hîc frustra contenditur in uniuersalium atq; particularium sumpta ad sese inuicem proportione. Sed neq; admodum proficiunt: nam & antè dictum est, quòd liberalior cibus conuenit augmento, quàm principio. In hanc sententiam Celsus inclinare uidetur libro 3. capite 4. ubi ita inquit: Tutißimum autē est ante acceßionis totius tempus præterire: quãuis ubi longa febris fuit, potest indulgere ægro maturius, dum tamen antè ad minimũ pars dimidia prætereatur. Sed hæc generalia: illud speciale est, quòd in febribus ex inedia non solùm licet, sed sæpe oportet alimentum tempore acceßionis exhibere. Testis est Galenus Therapeutices libro 10. Idem dixit in fine undecimi, eos quibus uel in hepate uel in uentre uirtus citra phlegmonen imbecillis existit, in ipsis acceßionibus alimentum expetere. idem requirit febris, quæ potius squalore quàm calore urget, & nouißimè ea, quæ absq; inflammatione uel redundantia, magnam patitur humorum reuocationem. Harum omnium febrium acceßiones, non solùm ferunt alimentum, sed omnino expetunt.

Mala comparatio.

Allusio ad Celsum.

Multę febres ex natura sua in ipsis accessionibus aut pauló antè alimentũ postulant.

APHORISMVS XII.

ACcessiones uerò & constitutiones morbi indicabunt & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed ex ijs quæ mox apparent indicia sumuntur, quemadmodum in laterali morbo, sputũ, si circa initia statim appareat, morbum breuiat: si uerò postea appareat, producit. Et urinæ, & alui excrementa, & sudores quæcunq;

appa

apparuerũt, uel bonam morborum iudicationem, uel malam, uel breues aut longos fouere morbos ostendunt.

SI quidem in accessionibus tantum abstinere oporteret, horam accessionis præscire non multum referret, satis esset duntaxat præsentem agnoscere. Cùm uerò aliquot præterea horis nec quidem paucis, ante accessionem cibus nocuus sit, iustum accessionis tempus, longius præuidere oportet, atq; horam ferè ipsam, non tantùm diem. Ita etiam satis non est, præsentem statum cognoscere, sed longius oportet illum prouidere, hoc est, oportet à principio ferè morbi longitudinem ac breuitatem, coniectura quadam capere. Etenim qui tempus status præcognouerit, facilè longitudinem ac breuitatem morbi metiri poterit. Fortè hæc omnia Hippocrates per constitutionem morborum intelligit. Fortè etiam eo solo nomine statum accipit, quem tamen Hippocrates plerunq; ἀκμὴν appellat. Cognoscemus autem hæc omnia ex his quæ Hippocrates in hac sententia perstringit, & Galenus in commento latè diffundit, quæ ut clariora fiant, nos in quatuor capita generalia cogere possumus. Primum, morbi genus: nam hoc generalem ipsius ferè terminum affert. Quicunq; enim definitionem morbi acuti intelligit, statim talem aliquem morbum sub eo nomine audit, qui ad summum, decimoquarto die terminum obtinet. Species uerò morbi, specialiorem definit. Nam quòd pulmonia plerunq; septimo, synochus quarto, pleuritis decimoquarto iudicetur, paucis incognitum est: quod uerò intermittentes eiusdem speciei continuis lõgiores sunt, etiam mulieribus quidem notum est: quòd uerò tertiana intermittens, reliquis intermittentibus breuior, & quòd respondens illi continua, alijs quoq; continuis sit acutior, ex eadem comparatione sequitur, & quædam ex ijs ardentes appellantur: pituitosæ enim, & melancholicæ succendentes tantùm. Proinde antiquus interpres illarum naturam non bene tenuisse uidetur, qui cum his semitertianam confundit: quoniam Galenus inter succendentes & incendentes mediam numerat. Appellat autem semitertianam, pituitosam continuam, cum tertiana intermittente

Longè ante accessionem alimentum dandum.

Genera signorum quatuor.

Species morbi generalẽ morbi terminum prodit.

Ardentes aut incendentes.

Succendẽtes.

Semitertiana media inter incẽdẽtes & succendẽtes.

commiſtam. Verùm qua ratione inter incendentes & ſuccendentes mediam Galenus poſuit, nondum rectè aſſequor. Forſitan mediam dixit, quia altera pars illius citius, altera finitur tardius: quicquid id eſt, certū eſt illud, quòd tam ſuccendentes, quàm incendentes continuæ ſunt. Quapropter per ſuccēdentes (ut mihi apparet) nullas alias intelligit Galenus, quàm melancholicas & pituitoſas: quippe bilioſæ incendentes ſunt. Sunt autem omnes continuæ, non tamen acutæ. Acutæ enim omnes, cōtinuæ ſunt: ſed non omnes continuæ acutæ. Miror ergo, quòd Oribaſius tertianā acutam dicere auſus ſit: non enim quia decimoquarto terminetur, acuta haberi poteſt, niſi diaria, quæ unico die terminatur, acutiſſima cenſeatur: quod ipſe non libenter concederet. Verùm de ratione morborum acutorum poſtea. Nunc uerò & in alijs extra febres exemplo oſtendere oportet, quòd unuſquiſq; ferè morbus ſuum terminum ſecum affert: quippe apoplexia & angina tanquam acutiſſima ab omnibus ſtatim auditur. Nec minus neruorum diſtenſio reformidatur, aut cholera. Cæterum ferè omnes hi morbi tertio finiuntur, aut quarto. Itaq; generalem morbi terminum ex natura atq; ipſius ſpecie captare poſſis. Propius autem accedes, ſi differentias, quæ à regione, tempore anni, temperatura, & uictu ſumuntur, adieceris. Hæc enim omnia ad unicum illud Hippocratis uerbum, Anni tempora, exigere oportet, quorum omnium eadem eſt ratio, nec iuxta unum, ſed horum ſingula morborum termini uariant. Nō enim ex ſe, & propria ratione, morbus aliquem determinatum ac ſtatum diē obtinet, ſed inquātum in tali loco, & ex tali humore conſiſtit. Verbi gratia, Pleuritis, morbus acutus eſt, ac plerunq; decimoquarto ſoluitur: quia ex humore bene calido gignitur, atq; in eo loco, qui huiuſmodi moleſtiam minime diu tolerat. Et ut ex alijs ſimplicibus febribus aliud quoq; exemplum opponamus, ob id tertiana continua, ſiue ardens, reliquis continuis acutior eſt: quia ex humore magis calido. Prout ergo humor qui morbum parit, uel minus uel magis feruens eſt, iuxta hoc quoq; morbus ipſe magis ac minus acutus eſt, non minimum autem obtinent prædictæ conditiones ad generandos humores momentum, ſed totum: neq; enim aliud ab his quicquam eſt, quod humores gignere, uel diuerſitatem in ipſis facere

Oēs febres acutæ, continuę, ſed non oēs continuę, acutæ. Oribaſij error.

Secundū & exquiſitius lōgitudinis morborum ſignum.

Humorum diuerſorum occaſiones.

cere potest. Plurimum ergo accelerare ac retardare prædictæ conditiones eandem morbi speciem possunt: adeo ut si econtrario omnes ferè conditiones frigidæ fuerint, longissimum aliquem eiusdem speciei morbum facient: si autē calidæ, breuissimū: idq; ob duas causas. Prior dicta est, quia calidos humores pariunt, qui breuissimos morbos constituunt. calidus enim humor facilius coquitur, expellitur, atq; uno uerbo euincitur, quàm frigidus: licet illius accidentia paulò magis naturæ molesta sint. Posterior ratio est, quia calidæ conditiones ad resolutionē sunt magis idoneæ quàm frigidæ. Ita enim dictum est ab Hippocrate, quòd æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt. Positis extremis morbis, facile est colligere mediocrem eiusdem speciei morbum, si quidem conditiones mediocriter sese habuerint, hoc est, quædam calidæ fuerint, quædam frigidæ. Iam non tantùm quantitatem siue numerum istarum rerum perpendere oportet, sed & qualitatem ipsam inspicere: nam quo qualitates ipsæ in his rebus excellentiores fuerint, eo morbum quoq; breuiorem efficient: adeò ut duæ conditiones aliquando bene calidæ, calidiorem morbum efficient, quàm tres aut quatuor parum intemperatæ. Igitur qui exquisitè omnium prædictorum facultates & momenta possit comprehendere, & ea ad seinuicem conferre, alia nulla amplius indicatione opus haberet: quoniam ex his certum uniuscuiusq; morbi terminum inuenire posset. Verùm quia ipsum modum qualitatum exquisitè habere, est impossibile, ad accidentia morborum confugere necesse est. Hæc enim, si quippiam prædictorum nos latuerit, aut subterfugerit, in mentem reponent, atq; portionem quam aliquando prælatæ conditiones inter sese habuerint ostendent. prout enim parua aut magna fuerint, conditionem rerum nobiscum uersantium, qualitatem quantitatemq́ue, quam sequuntur, enunciabunt. Quare ut antè diximus, qui exquisitè prædictas causas teneret, tertium illud de accidentibus speculationis genus parcius desideraret: quoniam accidentium magnitudo potius præcipitati morbi signum est, quàm causa: & tamen aliquando causa est. Fieri enim non potest, ut morbus diu duret, cuius diutini paroxismi infestant, sed intra pauciores dies ex duobus terminabitur is, qui singulis uicibus, siue circuitibus, dimidiam humorum li-

Frigidæ conditiões morbos producunt, calidæ abbreuiant.

Prior ratio.

Posterior.

Nō decet minus æstimare cōditionum circunstantium qualitatē quàm quantitatem.

Tertium signum ex accidentibus.

Accidentia potius signa sunt morbi præcipitati, q̃ causæ.

Quædā sunt accidētia quę morbum abbreuiāt etiā in melius.

bram

brā putrefactā obtinet, quàm qui aliquot duntaxat uncias: si quidē æquale humorū delinquentiū uitiū à principio habuerint. Igitur paroxismorū lōgitudo morbū abbreuiat. Reliqua accidētia breuē ac longū ferè tantum significant, quæ omnia iterum cōtinentur apud Hippocratem incrementorum nomine, cùm dixit, Et circuituum successiua incrementa. nō enim anticipationem aut cunctationem hic tantum audire oportet, sed & longitudinem, & magnitudinem, & breuitatem, remissionis morositatem, & tranquillitatē, & reliqua, quæ in circuitu accidētia uisuntur omnia. Ex anticipatione enim sola, & cunctatione, nihil est quod perpetuū possis super morbi temporibus arguere: quædam enim semper usq; ad statū cunctantur, ut quibus materia frigida, pertinax, & ad putredinem rebellis est: quædam etiamnum à principio anticipant, ut quibus econtrario materia ad putredinem fuit opportuna. hac de causa per se augmento magis inest, ut paroxismi anticipent, quàm cunctantur. quoniam ut altera materiæ portio ad concoctionem, ita altera ad putredinem magis ac magis festinat. Ita quidem & in declinatione, sed ratione paucitatis materiæ ibidem febris omnino cunctari cogitur. Non est ergo uerum, quod quidā ex Neotericis dixerunt, tantum illas ex natura cunctari febres, quibus dispar contigit materia, fortè biliosa ac pituitosa. Est tamen uerum, quòd hæc febris biliosa primum plerunq; à principio anticipat, deinceps consumpta biliosa materia potius cunctabitur, quàm anticipabit, de quibus omnibus in libris de crisibus amplius diximus, ubi de errantibus febribus paulo aliter, quàm Galenus disseruimus. Nam ipse ac Neoterici post eum imperfectam illarum causam reliquerunt. Sed ad accidentia reuertor, quæ tertiam obtinent in definiendis morborum temporibus differentiam: neq; tamē totam notitiam absoluunt. Quippe & ipsa quoq; non raro nos fallere possunt, quòd in principio aliquando, quàm in statu, sentiantur maiora. Sed & multa alia sunt, quæ fortè fortuna accidentia ipsa promouere possunt. Est enim ubi mente perturbata ægri affliguntur, fortassis ratione alicuius mali internuncij, fortè ob turbam, fortè ob imminentem tempestatem: ex quibus omnibus nihil est, quod super morbo significare posit, siue in peius, siue in melius fiat: de quibus & illud Hippocratis,

Accidentia Hippocrates cōtinuit incrementorū nomine.

Anticipatio & cunctatio per se incerta.

In augmēto ferè paroxismi anticipāt.

In declinatione cunctantur.

Febres ex diuersa materia.

Accidentia aliquādo incerta.

tis. Iis qui non ex ratione leuius se habent, non oportet multum fidere, neque ea quæ præter rationem eueniunt, multum formidare mala. Itaque ne tale quid nobis imponat, ac iudicium frustretur, excrementorum differētiam quarto ac nouißime, expendere oportet. reliqua enim omnia rudē tantùm ac lubricam, excrementa uerò artificiosam & certam nobis temporum coniecturam ostendunt, si quidem unumquodque suo more metiaris, nec ad alia quàm debes distrahas: neque enim urina super alijs morbis, quàm qui in uenoso genere sunt, neque sputum super alijs quàm in pectore significat: sic pitissatio siue screatio super ijs tantum quæ in capite aut faucibus, & fex super ijs quæ sunt in intestinis significat, non tamen similiter. Nam alibi excrementa, tanquàm partes ab humore morboso decedūt: feces uerò in intestinis inflammationis ibidem commißæ, nunquam partes fuerunt, sed duntaxat ratione affectus eiusdem super intestinorum integritate atque offensione significant. Subinde tamen uel cum ipsis fecibus, uel etiam absque ijs, quædam ex ipso loco inflammato discedunt. Et hæc sunt quæ præcipuè annotare oportet. Quòd si his modis unumquodq; excrementum ad suos dūtaxat morbos & natales locos retuleris, inuenies iuxta ordinem excrementorum, perpetuo tempora definiri. neque enim principium non esse non posset, ubi cruditas: augmentum, ubi manifesta concoctio. Quæ autem urina cruditatis, quæ concoctionis exhibeat argumentum, alibi diximus, ac posterius fortè dicemus. Illud unum nūc adiecißse satis est, urinam craßam, cruditatem præsentem significare, licet sputum crassum in pleuritide manifestæ cōcoctionis sit signum. Cuius causam alibi dicemus. Ergo præsentia ab excrementis annotare tempora, nulla est difficultas. utilitas tamen maior, si ab ijsdem quoque finem morbi lōgius præuidere poßumus: nam id est quod Hippocrates hic dicit, Vt sputum si statim appareat, morbum abbreuiat: si uerò postea, producit. Neq; enim fieri potest, ut morbus, in quo primo die apparet constanter concoctio, ultra quartum diem differatur, & tamen quātumcunq; hoc signum alijs tribus prægnantius sit, non potes illis omißis, quartum solummodo accipere: quoniam sæpe morbi diuersißimis diebus terminantur, qui eodem die cōcoctionem acceperūt. Atq; ex hoc uno satis Guaynerij atq; aliorum

Fidelissimū signū quartū ab incrementis sumptum.

Vrina super morbo in uenis.

Sputum sup affectibus pectoris.

Screatio sup faucibus.

Excrementa diuerso modo significāt.

Manifesta cōcoctio augmētum declarat.

Perfecta statum.

Vrina crassa cruda.

Sputum crassum concoctum.

Quartum signum licet alijs fidelius, imperfectū tamen.

Guaynerij error.

aliorum Neotericorum retunditur ſententia, qui æquale tempus putauerunt principij & augmenti: quod ſi eſſet, nulla difficultas inueniri poßet in ea quæ eſt de morborum temporibus coniectura. At nũc aliter ſeſe res habet: quoniam morborum, qui quarto concoctionem oſtenderant, alius ſeptimo, alius nono, alius duntaxat undecimo, iudicatus reperitur. Itaque ad horum iuſtam diſcretionem ab accidentibus diſcrimen adijcere oportet. Nempe ſi concoctio in quarto uiſa fuerit, ac conditiones omnes calidæ præceſſerint, accidentia quoque fortißima, & uno uerbo morbus uelociſſimè moueatur: in ſeptimo, imò in quinto criſis ſperatur: ſi quidem autem omnia contrario ſe habuerint, uix undecimo, ſi autem mediocriter, nono aut etiam ſeptimo. Nihil ergo ex his quatuor capitibus temere adiectum eſt, ſed totidem, nec plura, ex quibus exquiſitam debes facere temporum coniecturã. Quòd ſi Hippocrates uel Galenus alibi plura adieciße uideatur, genera non adnumerat, ſed ſpecies duntaxat diſtinguit: accidentium enim uaria eſt ratio: quippe quædam ſunt quæ ſimul inuadunt, quædam paulò pòſt, quædam tandem & in fine apparẽt. Ac quæ ſimul quidem inuadunt, unius tandem conditionis ſunt: propria enim ſunt, ac ſpeciẽ morbi arguunt: ita quidẽ rigor tertianam, horror quartanam, frigus quotidianam intermittentem, atque legitimam quidem præcedentem: in illegitimis enim omnia confunduntur, adeo ut in quotidiana rigorẽ, in tertiana frigus ſubinde comperias. non aliter qui in carnoſis partibus eſt, ab eo qui in membranis conſiſtit, affectus diſtinguitur. nam qui hic conſiſtit, pungenti ſimilis eſt: qui uerò illic, ponderoſus magna ex parte dolor eſt. quemadmodum alibi dicit, Quòd dolor in renem decumbẽs grauis eſt. talis eſt qui in hepar, in pulmonem, & ſimiles particulas incubuerit, niſi fortaſſis hic humor ipſe propria natura ualde acris fuerit: ita enim & hic pungenti ſimile efficit. Ita econtrario in membranis quantumcunque ſenſu præditis, nonnunquam grauis potius quàm pungens dolor oritur, ubi materia admodum iners fuerit, ſalſa tamen ac flatulenta in his locis plerunque dolorẽ punctilem facit, & imperitis medicis ſubinde ſuſpicionem pleuritidis inijcit: adeo ut uix decimus quiſque pleuriticus exiſtat ex ijs, qui tales à medicis æſtimantur. Accidit autẽ idipſum non ſolùm his, qui

In exemplis uaria exercitatio.

Accidentium diſtinctio in tres differẽtias.

Accidẽtia ſimul inuadẽtia ſpeciem morbi declarant.

qui dolorum discrimina non rectè perpendunt, sed & ijs qui non rectè quotidianã à continua ardente distinguunt. Magna, fateor, est differẽtia: sed uereor ne huiusmodi phantasia, multorum iudicium fallat: quibus si aliquid obijcias, iam opinionem suam seruare conantur, dicentes non quidem esse ueram pleuritidem, sed illegitimam, ac pleuritidis speciem: qui si speciem morbi dicerent, non errarent. Certè illegitima pleuritis, legitima multo rarior, ac parùm quidem esset solis nominibus ita abuti. sed periculosissime diuersis morbis eadem adhibetur curatio. Omitto enim febrem quotidianam cum distillatione coniunctam. Vidi subinde eos qui tentantur à uermibus, & (quod est magis ridiculum) à calculo, pleuriticos æstimatos. Distinctio exhibetur ex eo, quòd dolor qui ex distillatiõe aut uermibus est, locum mutat: at pleuritis semper seruat eũdem. Iam febris manifestè dissidet: in pleuritide continua est, & acuta: in alijs uerò affectibus lenta. Multum etiam sputum dissidet in pleuritide, saltẽ tandem cruentum, flauum: in alijs uerò aut tenue semper, aut admodum uiscosum. Propria ergo pleuritidis signa sunt huiuscemodi, atq; inseparabilia, nõ tamen peculiaria, sed & alijs morbis communia. Quippe & in pulmonia tussim & difficultatem spiritus reperies: ueruntamen propria dicuntur, quia simul inuadunt, ac morbi speciem uel seorsum, uel cũ alijs definiunt. Itaque inuadentium accidentium genus unum est, quippe proprium: eorũ uerò quæ mox apparent, diuersum: quædam enim assidentia dicũtur, quæ ex his sunt, quæ aliquãdo accedunt: aliquãdo uerò omnino non adueniũt, ut in pleuritide molestus in opposito latere decubitus: aliquãdo enim in ægro facilius æger dimittitur, aliquando in utroque, aliquando in neutro decubitum patitur. Potest & hoc ratione diuersarum particularum fieri: euenit autem frequenter diuersitate inflammationis. Parua inflammatio utrunq; latus afficit, magna neutrum bene fert, mediocris melius fert in ægro quàm integro. Eiusdem naturæ est tum in hepatis, tum in pleuræ inflammationibus iuguli dolor. nonnunquam enim in his iugulum detrahitur, aliquando uerò nulla ex parte ei dolor communicatur: quoniam nõ nisi insigniter aucto morbo huiuscemodi symptoma sequitur. Secundum genus mox apparentium ex ijs est, quæ salutem aut mortem, malignita-

Crassi quorũdam errores.

Propria pleuritidis signa.

Mox apparẽtia signa uaria.

Assidentia morbi arguunt magnitudinem.

Secundũ genus assidentium morbi morem significat.

tem aut benignitatem, uno uerbo morem ipsius morbi significant. Atq; iterum horum quædam sunt uniuersalia, quædam particularia. Vniuersalia sunt, quæ in singulis fere morbis, non tantùm quibusdam, periculum aut securitatē arguunt. Nam dormire cōniuentibus oculis, spōte lippire, ubiq; malo est: quēadmodū ubiq; bono est, bene sese habere, ad ea quæ offeruntur, bene spirare, & ne in exemplis diu immoremur, reliqua omnia quæ firmitatem aut infirmitatem principalium uirtutum significant, ferè ubiq; eundem significatum obtinēt: quemadmodum ea quæ particularia dicuntur, aut materiæ tantùm ex qua fiunt, aut loci in quo consistunt, atq; uno uerbo naturam duntaxat præsentis morbi significant. Itaque aliud & aliud subinde indicant: talis est spuma, quæ in apoplecticis & alioquin strangulatis uehementer formidatur, in epilepsia uerò commendatur. Sic in acuta quidem febre sudor frigidus est mortalis, in longa uerò parum periculosus. Plurima tamen eorum uniuersalia, ac pauca particularia. Tertium autem genus eorum quæ paulò pòst apparēt. Atq; horū, nam duplex, alterum criticum est. atq; iterum horum quædam tantùm signa sunt, ut crisim præcedens hallucinatio, surditas, labri agitatio, & uno uerbo quæcunq; ipsam præcedit perturbatio. Quædam uerò etiam crisis præsentis causæ sunt: talis est uomitus, sudor, & similia. hæc igitur generalium accidentium nomine contineri uolumus. Signa uero concoctionis & cruditatis non amplius cum his numerantur, sed seorsim secūdum genus pòst apparentium constituunt. Nihil autem refert, an perniciosa excrementa cum signis cruditatis, an potius malignitatis numerare uelis. Itaq; tantùm quatuor manebunt summa genera, ex quibus omnibus morbi longitudinem breuitatemq́; captamus, morbi species, circunstantes conditiones, accidētia, & nouissimè excrementa. Ex eisdem uel primis diebus (nam posterioribus agnoscere nullius est difficultatis) circuitus modum, accessionisq́; tempus prouidere possis: ex quibusdam scilicet diem, ex alijs etiam, quod artificiosius est, horam. Nam morbi species statim morē circuitionis denunciat. Verū tamen unus specie morbus, exēpli causa, pleuritis non semper ex eodē humore oritur, sed uarijs aliquādo generatur permistis, atq; ij quoq; uel omnino, uel saltē aliqua

ex

[Margin notes:]
Boni moris uniuersalia.

Particularia sup loco affecto, aut materia.

Tertium genus in duas sciditur differētias.

Crisis signa.

Crisis causæ.

Signa concoctiōis & cruditatis.

Ex ijsdem capitibus præcognoscitur tempus circuitionis, etiam hora accessionis.

ex parte circuitum immutant. exempli causa, non semper pleuritis aut pulmonia per tertium exacerbatur, ferè anticipat, ubi ex sanguine bilioso nascitur. nam si simplex sanguis fuerit, forte unica accessio erit: sin autē pituitosus, fortè magis quotidie exacerbabitur. Proinde momenta ac qualitates exteriorum rerum perpēdere oportet: singula enim suos humores generant, quare & ipsa hactenus modum circuitionis propius definiūt. Quippe unusquisque humor propriam accessionem obtinet. sanguis quidem, & ex eo synochus perpetuam, sed unicam: pituita, & ex ea quotidiana, quotidianam, bilis tertianam, melancholia quartanam. Cuius tu quidem rationem ex astris petere possis: sed mihi ex qualitate & quantitate humorum eam magis placet colligere. Frustra enim ex cœlis eius rei occultam causam quærimus, cuius occasio prope nos in terris existit. Certè non ob aliam causam, ut mihi apparet, sanguis unam ac perpetuā accessionem facit, quàm quia plurima eius in corpore conditio est. accedit & hoc, quòd ipse sanguis ad putredinem quàm maximè opportunus sit. Est autem & pituita ratione suæ humiditatis, ut in libro De temperamētis diximus promptior, quàm ratione caliditatis bilis: huc accedit, quòd etiā magis abundat, & propterea nō unā quidem, ac perpetuā, sed cum parua intermissione quotidianam parit. Proximo loco bilis succedit, & propterea tertianam facit, non autem quartanam. talem enim melācholia exhibet, cuius in corpore rarissima est portio. Hoc autē clarius intelliges, si quintanæ aut sextanæ naturam constitutionemq; animaduerteris. Non enim pro his quintum aliquem, aut sextum humorem reperire est, sed iuxta qualitatem aut quantitatem materiæ, hæc interualla fiunt: nam modicum, aut saltem tenacem, ac tardè putrescibilem humorem esse oportet, ex qua quintana: tenaciorem, ex qua sextana: atque ita lentam quidem, non tamen minus periculosam aut malignam febrem facit. Quippe ut harum materia tardissimè corrumpitur, ita etiam lentissimè concoquitur, ac prius ferè corpus tabe conficitur. Quòd autem huiusmodi longiora interualla potius materiæ conditionem, quàm speciem sequuntur, rursum in exemplo bilis est, quæ non semper tertianam unicā facit, sed in modum quotidianæ circuitionis duas: & quod rarius est, pituitam

Accessiones in pleuritide uariæ.

Vicissitudines paroxismorū se quūtur naturam humorum.

Sanguis copiosus, & ad putredinē maximè opportunus.

Secundo loco pituita.
Tertio bilis.
Quarto melancholia.

Allusio ad quintanā, sextanam.

Febres lente sæpe in tabē desinunt.

Bilis non sēper exacerbatur per tertianam.

tuitā ob breuitatem ipsius, tertianas accessiones imitari contingit, & ne ista mireris, fortè & continuæ ab intermittentibus eiusdē speciei differunt materiæ quātitate. Quòd enim in cōtinuis materia retinetur, in in-

Discrimē intermittentium, & continuarum.

termittentibus uerò excutitur, ex eo esse potest, quòd in intermittētibus minor est, in cōtinuis uerò copiosior: adeo ut natura eā propellere neque at. Constat ergo ex ijs satis primū ratione qualitatis, secundo uerò quātitatis accessiones immutari. Sed hoc minus. nā fieri potest, quòd tertiana aliqua ex copiosiore bile forsitā fiat, quàm quotidiana ex pituita. Ac de ijs omnibus in libris De crisibus diximus. nūc enim tantū dicere proposueramus, quomodo à circūstantibus nos cōditionibus primo die liceat formā

Lienosi ferè quarto die exacerbātur.

circuitus conijcere, prout scilicet hos uel illos humores gignunt. Ob eam causā & qui ex liene laborāt, ferè quatriduo affligūtur: uel quia sanguine melācholico exuperant, uel quia melācholia laborant, quæ quartanā circuitionē efficit: & quia pus suppuratorū ad pituitā quoq; uergit, & ipsæ

Suppurati quotidie.

quoq; suppurationes ex sanguine pituitosiore fiunt. Hinc & ipsius pituitæ circuitiones, quippe quotidianas magis seruant, ac ut hic refert, magis noctu quàm interdiu. Propterea mirum est, quòd Galenus hanc causam

Galeni incōstantia.

alibi ad cibum refert. Igitur ex specie morbi potes generatim diem circuitionis agnoscere, ex humore etiam magis. uerbi causa, pleuritis per tertiū exacerbationem patitur, maximè tamen euidenter, ubi ex bilioso sanguine oritur. Nā si ex sanguine simpliciter, obscurè: sin autem ex pituita, ferè quotidie. Hactenus tamen poßis de hora ipsa dubitare: tametsi enim pituita nocte, bilis meridie acceßiones suscitare solet, lubricum tamen id

Accidentia specialius horam accesſionis prænuntiant, quàm ipſi morbi.

est, & non nisi aliquando uerum. Igitur idipsum ex accidentibus, maximè autem ex cunctatione & anticipatione præcedentium paroxismorū coniectari debemus: quippe aut eodem tempore instat, aut iuxta proportionē cunctatur, aut anticipat, adeo ut uel ex ijs poßis sequentium in pro-

Excrementa obſcurè indicant horā accesſionis, diē potius.

cessu acceßionum horā prouidere. Nondum tamen uideo, quomodo ab excrementis horā acceßionis poßis colligere. mihi apparet, quòd diē ostendunt tantum, quatenus scilicet humorē peccantem definiunt. Possumus & hoc addere, quòd horam quodammodo indicant, quatenus tempora discriminant. nam in augmēto solet febris anticipare, in principio quamdiu

diu cruditas urget, cunctari. Superest, ut quod à Galeno affertur exemplum, expendamus. multa enim sunt in eo, quæ lectorem suspendere possent: nec parum ad similes euentus conferent, si quidem exactam illius rationem audiuerimus. Est autem primum, de quo dubitare poßis, cur ante octauum diem Hippocrates ipsi Anaxioni sanguinem nõ miserit. in primis enim diebus adfuisse Hippocrates uidetur, qui omnia tam diligenter quæ ab initio contigerunt descripsit: quippe & sexto die calefacientia adhibuit. credo quòd affectus ipsum hactenus suspensum habuit: adeo ab illis differt, qui statim hominem pleuriticum iudicant, & paruo morbo maxima & inepta remedia accõmodant. Non est minor altera quæstio, cur Anaxion suppuratus non fuerit, quando ante decimumquartũ diem non fuerit repurgatus: quippe in quinto dicitur, quòd pleuritici qui in quatuordecim diebus non expurgantur, suppurantur. Sed huic argumento in quinto respondebimus, ubi dicemus, quòd prælata sententia nõ requirit ante decimumquartum purgationis finem, sed initium. Quòd si de integra expurgatione Aphorismum illum in quinto intelligere uelis, uix ullos à suppuratione uindicabis: paucißimi enim hactenus expurgantur funditus. Sed de his omnibus copiosius ibidem. Nunc ad Anaxionem nostrum reuertamur, qui quidem undecimo die aliquid spuere cœpit, sed octauo die frustra tußiebat. Sicca enim adhúcdum tußis erat. Coniectatur ex eo Galenus, quòd uix ante uicesimumquartum eius sperari poterat iudicium, & post euentum facilis quidem ostentatio. sed est artificiosa eius ratiocinatio, atque ex naturæ sumitur consuetudine, quæ non statim, sed paulatim morbũ demolitur. Nec potest paucis diebus morbũ percoquere, cui plurimis diebus nullum signum concoctionis manifestè potuit imprimere. Sunt enim inter cruditatem, & manifestam concoctionem, multa discrimina. Est enim ante hanc debilis concoctio, parua, cruditas extrema, tale in proposito est nihil expuere. Si quidem igitur natura adeo segniter promouerat, ut uel octauo die sicca tußis permaneret: irrationabile erat ante decimumseptimum diem manifestam concoctionem expectare: adeo multi immutationis gradus sunt, quos præterire oportet, priusquam à summa cruditate ad manifestam concoctionem deue

Anaxiõis exemplum aliquot exhibet difficultates.

Prima difficultas.

Secunda difficultas.

Natura oĩa paulatim molitur.

nire est, quos non est uerisimile naturam posse paucis diebus absoluere, cui primis octo diebus non licuit uel minimum concoctionis momentum ostendere. Etenim undecimo primum die inceperat quid expuere, ex quo licebat uicesimoseptimo die plenam concoctionem sperare: atq; ita euentus ostendit. Quippe decimoseptimo, inquit, cœpit quid cōcoctum excreare: quòd si manifesta concoctio tantum temporis obtinuit, uerisimiliter neq; perfecta concoctio multo minori tempore parari poterat. Nam neq; manifestæ concoctionis unus modus, quemadmodum neq; cruditatis. Igitur crisis ipsius rationabiliter tricesimo duntaxat quarto die contigit. Non, per Iouem, quia perpetuo augmētum tantum temporis occupat, quā tum principium (nam hunc unum ex magnis erroribus esse diximus antea) sed quia motus morbi tardus erat: alioqui uigesimoseptimo iudicari poterat. quòd si multo tardior fuisset usq; ad quadragesimum, etiamnum potuisset prorogari. Verùm quia mediocris morbi motus fuit, rationi consentanea coniectura erat, potius tricesimo quarto, quàm uigesimoseptimo, aut quadragesimo die morbum iudicatum iri. nam ij ferè dies iudicatorij sunt à uicesimo. Quippe dicente Galeno tertio prognosticôn, atq; alibi, post uicesimum, pro singulis quaternarijs hebdomadas supputare debemus. Aliter multo suspicandum est, ubi sputum uel primo die procedit, uel secundo: quoniam hic nunquam manifesta concoctio ultra septimum, crisis ultra undecimum proferetur: sed aliquando septimo, aliquando nono, aliquando undecimo continget: si quidem eius morbi motus uelocißimus fuerit, septimo: si segnißimus, undecimo: si autem mediocris, undecimo die crisis instabit. Quinimo si ipso tertio die Anaxion expuere cœpisset, ex eadem coniectura, decimum quartum nunquam transcendißet: quamuis & nono & undecimo omnino iudicari potuisset, pro discrimine uidelicet motus ipsius morbi. I nūc ergo, & ex ijs de alijs iudica. singulorum enim rationem nouit, qui unius atq; alterius probè tenet. saltem nôs de his satis multa in hoc loco dixisse uidemur. quibus si quippiā desit, ex illis quæ in libro De crisibus diximus, licet supplere. Tamen Hugonis Senensis in hoc loco difficultatem præterire non possumus, qui nimus religiose in omnibus morbis materialibus quatuor secundùm cōcoctionem

Coniecturæ ratio.

Post uigesimū diē iudicatorij magis inuicē discedunt.

Hugonis Senensis difficultas.

tempora

tempora asseruit. Omitto enim synochum, siue continentem, qui ex sanguine est, ac nullam propriè concoctionem desiderat. quippe & ardentes continuæ, scilicet turgentes, quæ ex bile fiunt, aut mißione sanguinis, aut purgatione, aut aliter, in principio sæpe præcipitantur, quemadmodum circa commentum eius Aphorismi, Deiectiones non sunt æstimandæ multitudine. *dicemus. Igitur audacter dicere oportet, quòd non omnibus, sed quàmplurimis tantum, qui bene terminantur, contingant quatuor secundùm concoctionem tempora: etiamsi de ijs loquaris, qui à principio inuadunt: nam de ijs morbis, in quos alij concocti abscedunt, nulla debet oriri dubitatio. concoctā enim semel materiam iterum recoqui non est necessum. Veruntamen quia à principio existunt tumores, aut inflāmationes, tametsi ex sanguine fiunt, concoctionē euidenter requirunt. Licet sanguis, qui in uenis peccat, ac morbum facit, nihil tale desiderat. Forte discriminis causa est, quòd sanguis qui extra uenas elapsus est, magis quàm qui in uenis est corrumpitur, & difficilius difflatur. Certè paulo exquisitiore illi extra uenas, quàm in uenis concoctione opus est: uel ob eam causam, quòd hinc difficilius euacuatur. Igitur in hac Hugonis difficultate nihil reliquū puto: sed neq; in altera illa, quam hic mouet, quæstione multū hærebit, qui Galenū & Hippocratē legerit. Nā quòd signa mortis aliquādo uel à principio apparere possunt, ex ijs non tū est morbis, qui acutißimi & perniciosißimi sunt, quibus, utroq; authore dicente, statim à principio omnia mala uidentur.*

Non omnes morbi materiales quatuor obtinent tempora.

Morbi in alios abscedentes.

Cur sanguis extra uenas potius, quàm in ijs ipsis, cōctiōe eget.

APHORISMVS XIII.

SEnes facilimè ieiunium ferunt, secundo loco qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes, omniū minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt uiuidiores.

NON semper idē morbi terminus, eundem uictum requirit, sed alibi alium. Nam alius quatriduo inediam fert, alius mellicratum requirit, tertio uix modicus ptisanæ cremor sufficiet. Differentia uirium in causa est, quam ex multis alijs, maximè autem ex ætate & temperatura sumimus.

Quatuor ętates.

mus.atq; alibi quidem aliter diuiduntur ætates, hic Hippocrates uidetur tantùm distinguere in quatuor partes, in senes, consistentes, adolescentes, & pueros. Age nunc & cōpræhende pueros sub adolescētibus, ac erunt tantum tres. nam adolescentia tota illa ætas aliquando dicitur, quæ incrementum secundum longum recipit. Putat Galenus omissam iuuentutem, quæ inter consistentem & adolescentem media intercedit. Fortaßis sub consistente Hippocrates continuit, quia nec hic ullum incrementum corpori accedit. Videamus nunc, quomodo ex ætatibus, & temperatura, uires metiri, atq; secundùm eas uictum distinguere liceat. contrario enim modo hic quàm alibi de uiribus loqui oportet. Nam simpliciter iuuenes creduntur fortiores senibus, calidi frigidis, sicci humidis. hîc tamen econtrario, pueros iuuenibus, iuuenes senibus debiliores, calidos frigidis, humidos siccis dicimus. quippe licet plus roboris habeant, facilius per inediam concidunt: itaque plus alimenti, quàm illi, requirunt, siue sanitatis, siue ægritudinis tempus respicias. Non multum ab eo discrepat, quod Hippocrates nunc enunciat. nam qui facilè ieiunium ferunt, iydem minori alimento contenti sunt, exceptis saltē decrepitis. nam licet ij modicum alimentum expetant, tamen per accidens (quia id affatim excipere non possunt) in plures partes aut uicißitudines illis distribui postulant: proinde ne ij quidem ieiunium alacriter ferunt. nam & promptè famēt, nisi ad extremam fortè frigiditatem peruenerint, nec diuturnā famē citra magnum incommodum perferunt. Atque hic est in quo difficultas ieiunij cō sistit. Econtrario facile ieiunium ferunt, qui neque cito appetunt, neque multam corporis iacturā faciunt, licet longā inediam tolerent. tales sunt, qui bene siccum ac solidum corpus habent, nec admodum calidum. Nam calor est, qui difflat, ac promptius humidū, quàm siccum. Videte ergo an non rectè dixerit Hippocrates, quòd senes facilime ieiunium ferunt. tales dicimus quadragesimo ad sexagesimū plus minus annum. hinc fortè usq; ad uigesimumquintum deduces nunc consistentes, minus inediam ferunt adolescentes, omnium minime pueri: quippe puerorum substantia ad dissipandum ualde idonea est, unde & facile fament, & famē ægerrimè ferunt. Et quidem alterum ex altero sequitur: nam quod facilè fament, ex

Adolescētia largè dicta.

Iuuentus sub cōsistente ætate.

Senes in proposito fortiores habentur iuuenibus.

Decrepiti licet parum alimenti postulent, tamē ieiunium nō tolerant.

Ieiunij patientia atque impatientia, in duob⁹ cō sistunt.

Senes à quadragesimo usq; ad sexagesimum.

Consistens & iuuenilis ætas, à uigesimoquinto, usque ad quadragesimū.

promp

promptitudine difflationis est, & rursum quod ægrè ipsam famē tolerat, ex eius multitudine euenit. nunc ijdem sunt, qui & promptè & multum difflantur. Non facit hoc tantùm differentia ætatū, sed etiam temperaturarum. hoc innuit Hippocrates uno uerbo, ubi dixit, Præsertim qui inter ipsos sunt uiuidiores, aut uoraciores, aut animo propensiores. nam hæc omnia apud uarios interpretes inuenies: nec refert, quia omniū una est ratio, nam omnes ij calidiores sunt atque humidiores, itaque alijs ad difflationem promptiores. Vtraque ex parte nititur Hugo Senensis, perpetuitatem Aphorismi interrumpere, qui senem aliquē fortè ex natura frigidæ temperaturæ, sed substantiæ benè solidæ, in fine senectutis suæ, supponit duplo facilius quàm alium, quippe natura calidum & humidum in fine consistentiæ ieiunium ferre. non est enim dubium, quin hic, ubi intra paucos dies initium decrepitæ ætatis successerit, melius quàm prælatus consistens inediam feret: non enim subitò præteritur ea proportio, quam alter in fine senectutis habuit, ad eum qui in fine consistentiæ erat. Doleo, quòd in prioribus commentarijs super ea re tantum uerborum fuderim: non est enim dignus uindice nodus. adde quòd iniqua est Hugonis comparatio. non enim Hippocrates uarios senes aut consistentes, sed eiusdem indiuidui ætates inuicem confert. quippe negare non possumus, quin quidam sexagenarij melius quàm alij quinquagenarij ieiunium ferant. Non tamen idem melius tolerabit inediam decrepitus, quàm senex. Quòd si iactura corporis in senibus, quàm in cōsistentibus & iuuenibus difficilius reponatur, nec hoc quoque propositū redarguit: non enim tolerantia ex iusta detrimenti comparatione expenditur, sed ex difflationis modo colligitur. Difflantur uerò multo tardius senes quàm consistentes. Iam manifesta est ad Hugonis tertium argumentum responsio, quo humidum substantificū in senibus minus, quàm in iuuenibus admonet, atq; ob id citius absumi. Sed & hic more Neotericorum rem manifestam perplexis dubijsq; nominibus obscurat. Non enim alterius humidi difflationem oportet intelligere, quàm substantiæ corporeæ. Hæc autem in senibus multo pertinacior est, atq; difflatu difficilior, quàm in ipsis iuuenibus, aut consistentibus: quippe in his utcunq; humida

Qui facilè famen t, & difficile famē ferunt, ijdem sunt.

Calidi & humidi & prōptè & multū difflantur.

Hugōis quęsita obiectio.

Hippocrates non confert uarios homines inuicem, sed unius indiuidui uarias ætates.

Leuior obiectio.

Alia Hugōis obiectio.

Tenebrę Neotericorum.

est, in pueris autem humidissima, quocirca & hi præ omnibus alijs ætatibus superioribus, difficilimè ieiuniũ ferunt. Melior est circa alterã partem Aphorismi, Hugonis controuersia, in qua adfert Galenũ in octauo Therapeutices dicentem, quòd biliosi ægrius quàm quiuis alij inediam sustineant. adijcit rationem, quòd nulla promptius temperatura accenditur per inediam, nec unicum illis accidit incommodum, quinimo quibusdam suffusio suboritur, multis & uenter roditur, alij alia anxietate tentantur, plerique aut uomitu tentantur, aut nausea uexantur, & quasi hæc parua essent, etiam aliqui animo deficiunt: tam multa incommoda biliosi ex inedia incurrunt, non solùm ubi longam sustinent, ut Hugo distinguit, sed etiam ubi uel unicum, sed consuetum omittunt prandiũ. Nec ista uidetur Galeni commentatio esse, sed ex priori didicit Hippocrate. quippe & ipse in secũdo De ratione uictus in morbis acutis, quibusdam solito omisso prandio conqueritur suspendi præcordia, amaricare os, & cætera. Sed ex hoc Hippocratis loco facilius erit explicari, quàm Galeno: nam id simpliciter absque ulla comparatione scripsit, ac forsitan id nihilomagis biliosis, quàm alijs intemperaturis ueritus est: quoniam mea quidem sententia pleraq; hæc potius fortunatæ compositionis, quàm temperaturæ apparent incommoda, de quibus in secundo temperamentorũ latè diximus. Videndum ergo nunc, an aliqua ratione uel ab ipso Galeno nos asserere poterimus, certè simpliciter promptius sanguineus quàm cholericus famere apparet: constat id ex comparatione puerorum, quippe longe frequentius esuriunt, quàm iuuenes, etiamsi alimentum æquale acceperint. Idem supputat ipsa ratio: nam prima occasio famis est ipsa inanitio, seu difflatio: nunc citius difflantur humidi, quàm sicci, longa etiã inedia magis: quibus duobus difficultatẽ ieiunij definimus. Nescio ergo, an Galenus in octauo Therapeutices, satis efficaciter ex Hippocrate colligit, quòd biliosi difficilius quàm quiuis alij inediam ferant, aut etiamnum unicam in die uicissitudinem. Nam quòd serius quàm reliqui calidi etiam temperati fameant, nunc liquere potest. Est tamen uerum, quòd biliosi ex inedia facilius inflãmentur, atq; diariam ac cæteras febres incurrant, quàm sanguinei aut etiã tẽperati. Et credo quòd huc Galenus respexe

An biliosi ægrius ferant ieiunium, q̃ calidi & humidi.

Galenus. Hippocrates.

Eos cogitat, quibus liberalior meatus à felle ad uẽtriculum ascendit.

Biliosi serius famẽt, quàm sanguinei.

Respectus Galeni.

ſpexerit. Atq; hæc eſt altera Hugonis difficultas, in quam ipſe plurima uerba fundit: atq; hunc hîc omittamus: nã tã perplexæ ſunt ipſius ſuppoſitiones, tam uariæ illius concluſiones, ut quid tandem uelit, uix paucißimi poßunt coniectari, ſaltem pauci ex his poſſunt ueritatem ipſam agnoſcere, aut ipſam ab omnibus calumnijs aßerere: adeò religioſè, timidè, ac obſcurè de his diſſerit. Admirabilior apparet alterius loci, qui eſt in ſecundo De tẽperamentis, cõtradictio. hîc enim ex Hippocrate Galenus dicit, quòd qui amplas habent uenas, atq; hi ſunt calidi, melius inediam ferunt, quàm qui anguſtas, atq; hi rurſus ſunt frigidi. Melius eſt ergo laxitatem & anguſtiam uenarum intelligere, non eam quæ ex natura eſt, ſed quæ ſanguinis ſequitur copiam, & inopiam. etenim uenæ ex inopia ſanguinis contrahuntur, & rurſum plenitudine diſtendũtur. Ac de illis quidem nullum eſt dubium. nam qui uenas tumidas habent, non ſolùm longam inediam tolerant, ſed præterea phlebotomiam requirunt.

Hugonis perplexitas.

Controuerſia ex libro ſecundo De tẽperamẽtis.

APHORISMVS XIIII.

QVi creſcunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egẽt alimento, alioqui corpus abſumitur. Senibus uerò parum calidi innati ineſt, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguũtur. Hãc etiam ob cauſam febres ſenibus nõ ſimiliter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus eſt.

VTRA temperatior ſit, extrema adoleſcentia, an ipſa iuuentus, in libro tertio dicemus: quoniam de his alia in temperamentis, alia alibi dixiſſe Galenus uidetur. Veruntamẽ ubiq; in eo conuenit, quòd calor puerorum atque iuuenum eiuſdem ordinis exiſtat. Aßerit autem in ijſdem locis, quòd calor iuuenum ſit acrior, puerorum uerò ignauior & copioſior. Propterea eum nunc uehementer demiror, quòd non audet ſimpliciter calorem puerorum aut copioſiorem, aut abundantiorem dicere, ſed à qualitate ad ſubſtantiam ſeſe transferens, ipſam tantùm ſubſtantiam, tandem neq; calidãm illi commentari eſt ſatis, ſed præterea humidam adie-

An adoleſcẽtia tẽperatior iuuẽtute.

Galeni inanis religio, aut formido.

cit. Verùm quod mihi uidetur, difficilius poterit ipsius substantiæ uel calidæ, uel si uult humidæ, quàm caloris arguere copiam. Quippe spiritus & sanguis copiosior est in iuuenibus, quàm pueris. Hæc enim præcipua appellatur caloris substantia, quòd in ea calor innatus habitet. ac præstiterit naturalem, quàm innatum dicere, ne calidum innatum duntaxat quis putet id, quod nobiscum à natiuitate cœpit, phantasia nominis deceptus: liberalius enim innatum dicimus, quod secundùm naturam est, ac nondum igneum ac febrilem calorem conceperit. Ita enim latè oportet intelligere in commento, bene temperatam esse caloris innati substantiam. talis est melancholicus sanguis, biliosus, pituitosus, nedum tēperatus. Atq; hic, ne à proposito digrediamur, magis exuperat in iuuenibus, quàm in pueris. Videtur quoq; Galenus ipse idem uidisse, & ob hoc tandem calidum innatum, humidum intelligere, neq; ad solum sanguinem, sed totam substantiam sermonem transferre. Atque hæc commentatio nulla definitione eget. nam euidens est, quòd pueri plus quàm iuuenes humidæ substantiæ habent: in pueris enim non solùm sanguis, sed & tota substantia ferè humida est, è contrario in iuuenibus ferè arida. Sed non est uerisimile, quòd per calidum innatū, humidū innatum intellexerit Hippocrates: nam nomen nimis dissidet: denique non est humiditas, sed calor, qui alimentum conficit. Sed neque ea exquisita & extranea expositione opus est: etenim ut paulatim humor imminuitur, ita & ipse calor nonnihil in quibusdam, ut osse, & similibus, abbreuiatur. Hoc ferè est, quod in secundo libro De temperamentis diximus, in pueris plures reperiri partes calidas, in iuuenibus autem pauciores, sed acriores. Etenim in pueris ne os quidem expers multi caloris est, sed adhucdum ferè sanguinem redolet. Absque ulla igitur religione, dicere licet, quòd in pueris calida, nedum humida substantia copiosior sit. quòd si calida substantia fuerit, copiosior eodem argumento, & calorem ipsum in pueris quàm in iuuenibus multo copiosiorem esse decet. etenim se inuicem sequitur substantia & calor, qui in ea habitat. Neque fieri potest, quòd calor naturalis in pueris quàm in iuuenibus sit breuior, modò ipsa calida naturaliter substātia sit copiosior: adeò Galenū demiror, qui potius calorem, quàm

Non est calor innatus, qui à natiuitate est nobis infusus, sed & oīs alius naturalis.

Pueri procul dubio pl9 habent substātiæ humidæ, quàm iuuenes.

Galeni expositio suspecta.

Oīa in pueris adhuc recentē sanguinē spirant.

Vbi substantia calida est copiosior, ibi & calor copiosior.

quàm ſubſtantiam in pueris uereretur dicere maiorem: certè non uidetur eã differentiam Hippocrates uoluiſſe conſeruare, qui alibi calidum innatũ, alibi calorem ſcripſit. Quia igitur & calor ipſe, & ſubſtantia calida in pueris copioſior, quàm iuuenibus, alimentum quoq; liberalius debetur. nam calori ubiq; debet reſpondere proportio alimenti: is enim ſolus alimentum cõficit & requirit. Non tamen pueri ſimpliciter plus quàm iuuenes requirunt: nam omnibus uidentibus plus ingerunt. Sed quæ hîc dicuntur, omnia ſecundùm proportionem oportet intelligere. Nam in pueris atq; adeo adoleſcentibus non tantùm reſumitur id quod eſt difflatum, ſed etiam paulo amplius: contrà in ſequentibus ætatibus aut æquale, aut etiam minus. Itaq; iuuenes ſimpliciter, pueri uerò tantùm reſpectu difflationis atq; corpuſculi ſui plus alimentum expetunt. Poſſes nihilominus idq; meritò mirari, ecquid nutricatio & difflatio quæ ab eodem artifice calore fiunt, ita uariant. nec eſt in promptu cauſa. Nam ſi dixeris, quòd caloris multitudo ſit in cauſa, cur in pueris & nutricatio difflationem ſuperet? uerba tantum apparent, quoniam caloris multitudo nihilominus difflationem, quàm nutricationem in corpore humido promouere debet. Sin autem cogitaris, quòd difflatio etiam exteriorem cauſam ſequitur, ratione cuius in ſenibus nutricationẽ uincit, eadem & in pueris occurret. Fortè adferes, quod difflatio minoris negotij ſit, quàm nutricatio. & uidetur ratio bene conſtare in ſenibus, ſed iterũ fallit in pueris, in quibus maior uorſura, quàm iactura. Ne ergo quicquam abſurdè committamus, tria ſunt, quæ ad difflationem conueniunt: calor, humiditas, & quædã naturalis corporis impotentia. Et quidem ratione duorum priorum, tam in ſenibus quàm iuuenibus, ambo & difflatio & concoctio æqualia erunt. Verum tertia differentia efficit, ut in adoleſcentibus nutricatio, in ſenibus uero uincat difflatio. Etenim cùm calore naturali, qui in ſenibus obſurduit, omnia facta ſunt impotẽtiora, & tamen uel hîc aliquãdo, nedum in iuuenibus nutricatio difflationem uincit, utpote ijs qui & in ocio multo, animi tranquillitate, & delitijs uiuunt. Non minus alacris eſt quæſtio, ecquid calor naturalis alimentum in ſanguinem, ſanguinem in ſubſtantiam commutat: uerùm ipſam ſubſtantiam è contrario annihilat.

Hippocrates nunc calorẽ nunc calidũ aſſerit mai⁹.

Nutricatio & difflatio ab eodem calore fiunt, & tũ raro inuicẽ reſpõdẽt.

In pueris nutricatio maior difflatione.

In ſenib⁹ uincit difflatio.

Multitudo difflatiõis aliquãdo impotentiam ſequitur.

Calor ſubſtãtiã ſolidã difflat, & sãguinem in ſubſtantiam cõmutat.

atq;

atq; nolim hîc refutare nugas & tenebras ipsorum Neotericorum, qui seipsos ignorant, & quid dicunt, nesciunt. Nam certum est, quòd id ex uarietate obiectorum euenit: quippe & sol ceram colliquat, & lutum in durat: ita & calor noster pro opportunitate obiecti, humores quidem in substantiam nostram conuertit, substantiam uerò quia aliter immutare non potest, in aërem perdit: nulla enim in solida corporis substantia expectatur concoctio, sola admittitur difflatio. Ergo tam humiditatis incõstantia, quàm caloris copia, aliquam difflationis differentiam facit, magis tamen pro portione caloris, quàm pro ratione humiditatis, aut etiam difflationis, conuenit alimenti proportio: quippe & declinantia corpora plus difflantur, quàm restaurantur, & è contrario puerorũ corpora longe amplius restaurantur, quàm resoluuntur. Non est ergo tam uerũ, quàm uulgo dictum, Si ex corporibus nostris nihil deflueret, quòd nullo nutrimento opus eßet. quippe corpus puerile, ultra iacturam suam, etiam aliquid sibi adijci cupit, donec iustam quantitatem detinuerit. Non tamen ultra uim caloris, aut commoditatem corporis aliquid appetit, sed quantum sibi & uniuerso corpori satis est. Ergo Hippocrates multo melius ratiocinatus est, pueros plurimum appetere, ex eo quòd plurimum habent calidi, quàm (ut Galenus optasse uidetur) quia plurimum habent humidi: quoniam restauratio à difflationis modo sæpe discrepat, caloris autem nunquã. Igitur pueris plurimũ alimentũ conuenit, senibus autẽ parũ, senioribus uerò minimũ: quippe calor ipsis admodũ breuis est. argumẽto est, inquit Hippocrates, quòd rarò acutæ febres ipsis accidunt. neq; enim toties repetere oportet, quod simile promptè afficiatur à suo simili: quoniam uulgo notum est, quòd flamma fumo proxima est. Digreditur hîc, si rectè memini, Hugo Senensis, ad definitionem caloris febrilis, & eam quam cum calore naturali habet differentiam. sed & ipsius, & aliorum circa hoc argumentum sophismata alibi deteximus. Videor igitur mihi nunc, quæ ad hunc Aphorismum pertinent, dixisse omnia. Remoratur tamen nos nonnihil uetus ista quæstio, nunquid totum id quod à natalibus assumptum est ante mortem, sit difflatum: adeò ut ex integro nouum corpus subsistat. Et quidem mihi secus uidetur. Sunt enim quædam pertinaciores

Alimẽtũ magis sequitur proportionẽ caloris, q̃ difflationis.

Melior est Hippocratis collectio, q̃ Galeni expositio.

ciores partes, quæ ægrè difflantur, de quibus omnibus prolixè Neoterici. Vt ergo epilogo concludamus, quæ antè demonstrauimus, iuxta proportionem quidem corporis, pueri plus caloris naturalis, quàm iuuenes habent: proinde plus quoque alimenti exigunt, non quia humidi, sed potius quia calidi.

Sententiæ summa.

APHORISMVS XV.

VEntres hyeme & uere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimentis. Indicio sunt ætates & athletæ.

QVOD solida fiant ex aërea humiditate, secundùm illius hæresim dictum est, atque à nobis alibi redargutum. Tamen corporis nostri principia in tria licet distinguere, spiritum, sanguinem, & semen. Nam per aëream humiditatē semen in proposita Galenus intelligere uidetur, quòd ea in semine plurima sit, quemadmodū & spiritus. Tria similiter sunt, in quibus perfecto iam corpore natura seruatur, corporis substantia, sanguis, & spiritus. Ac substantia quidē ipsa fixa & stabilis manet, spiritus uerò & sanguis etiámnum locum subinde mutant, & subinde quidē ab intimo corpore sursum ascendunt, aliquando uerò hinc ad intima redeunt: hoc in frigore, illud in calore accidit. Itaque non hac tantùm ratione æstas corpori nocet, quia calore suo sanguinem accēdit: sed magis, quia fundit, & ab internis foras adducit, atque omnino quantitatē illius imminuit: contrà hyems qualitatem eius remittit, sed quantitatem spiritus & sanguinis restaurat, in quibus calor naturalis habitat. Rectè ergo ab Hippocrate dictum est, quòd hyeme & uere uentres natura sint calidissimi, hoc est, quòd plurimum contineant naturalis calidi, quippe spiritus & sanguinis. Nam & plus paratur, & minus resoluitur. & quòd minus quidem disijciatur aut diffletur, certum est. ex eodem autē accidit, quòd plus generetur: etenim mutuam inuicem præbent operam, hoc est, sanguinis multitudo auget concoctionem, & rursum concoctio ipsum

Principia nostra in tria licet distĩguere.

In tribus consistit uita.

Aestus duobus modis corpora offēdit.

sanguinem, sanguis autem ipsum calorem: unaquæque enim sanguinis particula suum affert momentum: tamen solidarum particularum naturalis calor etiam hyeme decrescit, quoniam similaris ipsarum humiditas paulatim contabescit: tantum autem necessum est minui calorem naturalem, quantum labitur ipsa humiditas. Scio scilicet, quòd tempore hyemis caloris acrimonia tollitur, quæ & ipsam habuit uim exiccãdi: uerùm naturalis partium siccitas manet, & duntaxat instrumentalis humiditas auget. Non uerebor similiter dicere, quòd similaris calor in corpore nostro paulatim expirat & declinat, sed instrumentalis tempore hyemis succrescit. Quid enim prohibet magis calorem, quàm humiditatem instrumentalem dici? Illud tamen est uerissimum, quòd huiusmodi qualitates instrumentales similaribus sunt ignauiores, nec rursus corporeis actionibus omnino inutiles. nam & caliditas ad cõcoctionem, & humiditas ad somni longitudinem plurimum cõfert: non enim propterea in hyeme dormimus prolixius, quia noctium nos longitudo inuitat, sed quia hyems refrigerat & humectat. At neque id concoctionem parum iuuat: etenim iam in uigilia calor latè per externa funditur, & duntaxat obiter, ac quasi aliud agens concoctionem obit: tempore autem somni intrò cogitur, atq; hoc ferè facit tantùm. Quòd ergo in hyeme & uere calor naturalis, humiditas quoque ipsa maior sit, quàm tempore æstatis, explicatum est satis. De uere proxima est ratio. facile autem nunc ex eo duces, quòd ijsdem temporibus plurimum alimenti competit: quia antè demonstratum est, quòd ubique alimentum oporteat metiri secundùm proportionem caloris naturalis: ipse enim omnium est artifex, & circuncisis alijs accidentibus ubique tantum conuenit nutrimenti, quantum potest concoqui & apponi. etenim difflationem non curamus. Veruntamen quòd uel hæc tempore æstatis sit melior, dicemus paulo pòst: nunc argumenta aliquot expediam oportet, quæ calorem naturalem in hyeme contendunt minorem. Talis est in primis pituita, quæ eo tempore maxime abundat: passim enim dicitur, quòd pituita imperfectæ cõcoctionis signum sit. Possem autem ego id argumentum multis modis tollere. Primùm pituita non arguit imperfectionẽ totius sanguinis, dũtaxat suijpsius: sæpe enim euenit, ut mediocrem san

Et calor & humiditas similares hyeme decrescunt.

Instrumentalis humiditas & caliditas crescit.

Vigiliæ digerunt, somnus concoquit.

Alimẽti proportio pro ratione caloris naturalis.

Pituita uidetur caloris naturalis in hyeme impfectionẽ prodere.

Pituita non arguit imperfectionẽ totius molis humorum.

ſanguinis copiam calor concoquere ſufficit, multum autem obtinere nequit: accedit quòd in hyeme multo plus aſſumitur, quàm æſtate: amplius nō ſedet hæc ratiocinatio. Sanguis imperfectius cōcoquitur hyeme, quàm æſtate, ergo calor naturalis eſt breuior: nam calorem naturalem duo demoliuntur, & frigiditas, & caliditas. Caliditas cōcoctionem corrumpit, frigiditas quodammodo imperfectam relinquit. Nunc ſubinde calor eſt maior, ubi concoctio quodammodo imperfecta, quàm ſuperflua. Videte in quàm paucis & facilibus ſæpe Neoterici hærent: neq; enim dicere poſſem, quantum illa ratione intricati fuerint. Denique pituita ſubinde arguit calorem remiſſum, non tamen ſemper diminutum, aut breuem. ita diximus, quòd hyems cerebrum & uniuerſum corpus refrigerat, & tamē calor intus abundat. etenim caloris copia augetur, ſed qualitas & acrimonia remittitur. Non minus impediti fuere in ea quæſtione, ecquid mulieres, & naturæ frigidæ, iuxta Hippocratem alibi, melius uiuunt æſtate, quum uel ipſis calor naturalis maior ſit hyeme. atque hîc quidem diſtinctionibus illis utuntur, Hactenus, & Quatenus. Audies enim eos dicentes, Quatenus naturâ frigidæ, melius uiuunt æſtate: quatenus autem calor illis maior, melius hyeme. Ita ſermonem perplexum relinquūt: neq; enim hinc colligere poſſis, utra tempeſtate ſimpliciter melius uiuant. Et certū eſt, quòd naturæ frigidæ (niſi extremè tales fuerint) iucundius uiuunt hyeme. Cauſa eſt manifeſta, quia calor naturalis, penes quem totius corporis officium, uno uerbo, uita eſt, in utriſque maior eſt. Igitur alterum in altera allata ſententia, oportet intelligere, uel quòd frigidæ naturæ collatæ cum calidis æſtate minus lædantur, uel quòd rarioribus obtineantur morbis. Nec ſtatim qui minus obnoxij morbis ſunt, melius ualent: etenim frigidi & ſicci minus opportunè ſeſe habent ad putredines, & ad multos alios morbos, quàm calidi & humidi: tamen nemo dixerit calidis & humidis feliciores eſſe, ac felicius uiuere. Ita & mulieres tempore hyemis alacrius uiuunt, ſed promptius in morbos incidunt. Manet ergo conſtanter (quod à principio diximus) calor naturalis maior in hyeme, quàm æſtate. Vnum ſolum uidetur abſurdum ſequi, ſed admodum graue, quòd uita noſtra, quæ admodum præceps eſt, immortalis ſit. non poteſt enim calor faci

Calor naturalis ſæpe maior, ubi imperfecta, q̄ ſuperflua fit coco ctio.

Mulieres melius uiuunt æſtate.

Perplexa Neotericorū ſolutio.

Frigidæ naturæ minus læduntur æſtate, quàm calidæ.

Abſurdum.

lè contabescere, qui in hyeme cum fœnore reuertitur, aut in hyeme clam
Dilutio. pati, qui uel priora redimit incommoda. Verùm potestate huic argumento antea respondimus, ubi calorẽ quidem instrumentalem per hyemem colligi diximus, sed similarem paulatim elanguescere: atque is est, iuxta quẽ uitæ nostræ filum dependet, tametsi alter illius uicem quandam suppleat. Videor mihi ea quæ ad hunc Aphorismũ pertinent, dixisse omnia, nam quòd caloris robur ac multitudinem sequatur felicitas operationum, omnibus in confesso est: de sola difflatione disceptatio manet, quòd tempore æstatis sudor copiosior sit: quippe & ipse Galenus hîc apparet hærere, & ad Dioclem confugere, qui sudorem omnẽ præter naturam ausus est dicere, & non nisi ab externo calore fieri. Verùm in eo ipse Diocles manifestè errat, quippe & ipse naturalis calor potens est substantiã difflare, & reliqua in sudorem uertere. Iam excrementum, quod in sudorem uertitur, non minus quàm quoduis aliud in corpore naturaliter colligitur. Nam nutricatio ipsa, quemadmodum & reliqua cõcoctio, sua excrementa habet, quæ nullo modo à natura uinci possunt, nec etiam insensibiliter difflari. Certè citius posis priorem concoctionem à fecibus, quàm nutricationem ab excremento, quod in sudorẽ uertitur, asserere. Nec putet quispiam me ista dixisse derisionis gratia, quoniam reuera eadem est ratiocinatio. Eiusdẽ coniecturæ & illi mihi uidentur fuisse, qui hypostasim in corpore temperatißimo tollunt: eadem enim fortaßis ratione urinã tollere debebant. Redarguuntur autem ex eo, quòd urina in tẽperato corpore sæpe plus sediminis habeat, quàm in bilioso: quippe & in hyeme urina plus sediminus ostendit, quàm in æstate, licet hic quàm illic melior sit concoctio: exquisitiorem ergo hæc concoctionem, non autem meliorem ostendunt. Ita & in æstate maiorem fortaßis, non autem meliorẽ difflationem dixeris fieri. quæ enim in æstate fit resolutio, partim fit calore interno expellente, partim externo elicente: hyberna uerò duntaxat interno expellente. Atque hanc quidem differentiam nimis confusè reddiderunt interpretes, quemadmodũ & pleraque alia, ubi difficultas. Sed & Neoterici commentatores hic mihi laborasse uidentur, hoc solum dicentes, quòd calor naturalis tantum quod innaturale, innaturalis uerò quod

natura

De difflatiõe disceptatio.

Dioclis error.

Vnaquæq; alteratio suum prodit excrementum.

In tẽperato corpore plus sediminis, q̃ bilioso.

In hyeme melior diffla tio, in æstate maior.

Interpretũ & commẽtatorũ confusio.

naturale, resoluat. Magis perplexum sermonem faciunt, quando ad illas particulas, Intantum, & Inquantum, Hactenus & Quatenus, uentum est: distinguentes quòd calor naturalis, inquantum naturalis, duntaxat in naturale dissoluat: nam ab utroque quod naturale est & innaturale resoluitur, saltem substantia corporis nostri à calore naturali, inquantum naturalis est, disijcitur: alioqui quomodo famem excitaret? Melius est ergo & ipsum Galeni locum adducere, qui sic habet: τὸ μὲν γὰρ πέριξ θάλπος, οὐ τὰ περιττὰ μόνον, ἀλλὰ καὶ πάνθ᾽ ὁμοτίμως ἐκκενοῖ, διαφορῶν ἅμα τοῖς περιττοῖς τῶν ἐν τῷ ζώῳ, καὶ τὰ κατὰ φύσιν ἐν αὐτῷ περιεχόμενα, κατὰ τὴν ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ὀνομαζομένην ἄδηλον διαπνοὴν, ἣν τὸ ἔμφυτον ἐργάζεται θερμόν. *Sed neque hæc uerba difficultate carent. quia hic ipse difflationem eorũ, quæ in corpore naturaliter continentur, calori interno tribuit. Hoc enim apparet dicere, quòd externus calor non nisi occasione cõiunctæ difflationis naturalis hoc faciat. Nodus est à nemine obseruatus: fortè Galenus similitudinẽ tantùm posuit, ut talis sit sensus, Et ea quæ in corpore naturaliter continentur unà dissoluens, iuxta uel secundùm modum difflationis à medicis insensibilis appellatæ. Fortè hoc uoluit dicere, quòd resolutio quæ fit tempore æstatis, mista est, partim ex naturali, partim ex non naturali. certè quæ secundùm naturã cõtinentur, & à calore naturali & externo siue innaturali difflantur. Apertior ergo & intelligibilior est differentia, quòd innaturalis quidem & externus præter excrementa & substantiã difflet obiter sine discrimine & spiritum & sanguinem. Sed calor naturalis, magis excrementa & substantiã. Cur autem id fiat, iusta ac difficilis mihi apparet quæstio: nam calor & spiritus multo magis ad difflanda idonea sunt, quàm solida: ac alij quidem id quod uolunt, possunt dicere: mihi uerò principalis causa uidetur, quã prius diximus, quòd natura perpetuò molitur de possibilibus: quod melius est, iuxta obiectorum uarietatem. itaq; sanguis quidam ab eo in substantiam mutatur. Cum uerò substantia nullum aliud præterea transmutationis genus admittat, reliquum est tantum ut diffletur. Atque hactenus de difflatione, cui dum Galenus ubique alimentum comparare intendit, in multas difficultates incidit. rectè tamen, sed clam insinuat, quòd non cuiuis, sed tantùm naturali difflationi respõdere*

An calor externus per se soluat ea, quæ naturali ter continentur in corpore.

Calor externus oĩa difflat sine discrimine, naturalis uerò magis excrementa & substantiam.

Substantia solidorũ, quia nullam amplius alterationem admittit, difflatur.

dere debeat: & quòd quæ in æstate fit, parũ naturalis existat. Verũ omnibus illis difficultatibus absoluitur, qui alimẽtũ (ut nos) potius calori naturali quàm difflationi accõmodat. Atq; is, ut ostẽsum est, maximè est copiosus in hyeme, nec est minus liberalis in uere. Quòd ergo in hyeme quàm uere maiori alimento opus sit, plenitudo in causa est: uer enim morbis ex plenitudine aßimilatur, qui non nisi parũ, & per longiora interualla alimentũ desiderãt. quod neq; Christianis philosophis fuit incognitũ, qui eo potißimũ tẽpore abstinentiã prædicauerũt: neq; id admirari oportet, quoniam quidam inedia non satis extenuantur: desiderant præterea, ut illorum plenitudo phlebotomia tollatur. Quapropter neq; hoc semper & simpliciter uerum erit, in uere plus quàm æstate competere: nam in uere natura pauco accessorio opus habet, in æstate autem multo. Nimis formidolose super hac quæstione Galenus uidetur differere, qui id tantùm respondet, initium ueris fini hyemis, & finem ueris initio æstatis similem rationem obtinere. non enim puto dicet, medium ueris medio hyemis similiter sese habere: quoniam multo plus mediæ hyemi debetur, quàm in medio ueris accipitur. Sed age, etiamsi in uere nulla humorum plenitudo esset, tamen simpliciter in hyeme, quàm uere, plenior cibus competeret, quòd in uere calor sit fusior, in hyeme uerò cõiunctior: neq; id minimum præstat ad concoctionem momentum. nam hac ratione noctu quàm interdiu melior fit concoctio. Non tamen in autumno plenius conuenit alimentum, quàm in uere. Nam licet forsitan in autumno calor magis cogatur: est tamen in uere multis partibus fortior. Sic igitur habent ad se inuicem ætates, temperaturæ, sic quoq; & anni tempora, quinimo & regiones eandem rationẽ seruant: neq; enim usquã ferè alibi quàm in frigida regione plus alimenti competit. ac de reliquis dicere non oportet. In temperata uerò regione licet calor copiosior sit, minus tamen in se unitus est, atq; ob id minus efficax. argumentum est, quòd in ijs regionibus neque tam fortes, neq; tam audaces, aut tam strenui inueniuntur, neq; tam uoraces. Hactenus ergo ætates cum temporibus anni, ac anni tempora cum regionibus consentiunt: illud unum dissentire uidetur, quòd calida & sicca tempestas sæpius alimentum repetit, calida autem & sicca tem-

pera

In uere inedia. Christianorũ ieiunium opportunũ.

In uere natura paucis eget.

Galeni formido.

Plus alimẽti fert uer, q̃ autumnus.

In tẽperatis regiõibus calor minus coactus.

Calidæ naturæ, & tẽpestatis differẽtia.

peratura atq; ætas rarius. Verùm huic anteà respondimus: neq; enim ob id calida & sicca tẽpestas frequentius alimentũ exigit, quia corpus sub ea citius appetit, sed quia uirtus celerius corruit: atq; hoc est, in quo ætas calida à regione & anni tẽpore differt. Est & alia differentia, quòd in ætate ac rursum temperatura calida & humida maius conuenit alimentum, quàm calida & sicca, minus tamen in tempore anni aut regione calida et humida, quàm calida & sicca. Discriminis causa est, quia corpora humida citius difflantur, quàm sicca: non tamen humidus aër magis difflat, quàm siccus. Puto nunc nihil superesse eorum, quæ circa hũc Aphorismum disputari solẽt, præter eam quæstionem, Ecquid fames sitim anticipat. uerum ad hunc locum parum pertinet, atq; eam latè contra Hugonem Senensem & Aristotelem alibi dedimus. Corpora calida & humida plus requirunt alimenti, quàm aër calidus & humidus.

APHORISMVS XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè uerò pueris, & alijs qui tali uictu uti consueuerunt.

TRIA sunt in arte curatiua axiomata. Primum est, quòd simile seruetur à suo simili. Secundum est, morbos curari à suo contrario. Tertium est, audacius ac liberalius corpus. ac particula alteranda est, quæ in dißimilem, quàm quæ in similem qualitatem incidit: ut si quid natura frigidius incalfactum est, liberius infrigidare licet, quàm quod ex natura calidum iam plus efferbuit. Hæc saltem nouißima duo, Hippocrates una sententia complexus est: non enim febris tantùm calida, sed & excellenter sicca est: oportet autem singulas accipere amicè potius, quàm morosè, atq; secundam duntaxat de morbo facto intelligere: quippe fiens morbus non suo, sed causæ suæ potius eruitur cõtrario: atq; hîc rursus nequaquam decet contrarium audire propriè, sed largè pro opposito. Quippe biliosus parum infra naturam calidus calidiore medicamento restituitur, licet nequaquam dicere poßis priorem effectum simpliciter frigidum esse. Iam calor naturalis per se multos morbos, etiam febres: attamen calor naturalis febrili propriè contrariari nequit, ac fortè calor naturalis causam

Tres medicorum dignitates.

Fiens morbus eruitur contrario suæ causæ.

Cõtrariũ, id est, oppositũ.

ſam expugnat, ſed aër qui pòſt ſuccedit, calorem attemperat, ſaltem potentiæ medicamentorum nequaquam propriè ſint contrariæ ipſis qualitatibus. Tot igitur de cauſis contrarium largè audire oportet pro oppoſito, hoc modo: calor naturalis innaturali repugnat, & immodicũ modico, & habitus priuationi. alij pro contrario effectiuè audiunt, quòd morbum tollit: atq; hi nugas ex dignitate faciunt: nam hoc modo accepta ſententia nihil aliud arguit, quàm quòd morbus curatur eo quod curat, quo nihil poteſt dici inanius: ſubterfugium credo maluerunt quærere, quàm expoſitionem dicere. Hoc tamen bene adiecerunt, de eo dignitatem intelligi, quod immediatè curet: nam quæ apponũtur, ſæpe ſimilia affectui ſunt. ſed in hoc eſt mirabilis eorum facultas, quòd alium affectum pariunt. Verbi cauſa, aqua frigida ſæpe calorem adducit. Tribus ergo definitionibus hoc axioma concludi debet, ut ſic audiatur, morbus factus curatur contrario, hoc eſt, oppoſito per ſe, aut quod parum refert, immediatè. nam quòd idipſum quoq; de ſimplici intelligere oporteat, non opus eſt dicere. Compoſitus enim morbus cõpoſita poſtulat remedia, nõ ſolùm ubi aqua inter cutem cum febre coniungitur, ſed etiam ubi pleuritis aut pulmonia cum ſputo ſanguinis ex pulmone complicatur: unde pthiſis timetur. ſicuti ulceri pulmonis aliquando pulmonia ſuperuenit. Id dico, ne putes paſsim in pleuritide curam geminari: fortè quia in ea ſputum cruentum excernitur. Sed neq; illud dictis repugnat, quòd innaturaliter humidus, qui in febrẽ inciderit, minus humectari debet: nã hic quoq; complicatus affectus eſt. Ex eo autem, quòd pueros febricitantes hæc ſentẽtia maxime humectandos cenſeat, nouiſsima illa dignitas inſinuatur, quòd audacius alteranda ſit particula, quæ in diſsimilem quàm ſimilem temperaturam incidit. Etenim pueri ſunt humidiores, quàm iuuenes. Quòd ſi pueri maiorem pituitæ copiam collegerunt, meminiſſe oportet, quòd factæ febris curatio hic præſcribitur, non autem fientis aut futuræ. Iam ſi ſeorſum ea uerba audire uelis, Præſertim pueris &c. tertiam ex eo autoritatem elicere poſſumus, quòd quæcunq; naturalia ſunt ſimilibus aſſeruanda. talis eſt per ætates temperatura, talis eſt regio, niſi admodum iniqua fuerit, talis eſt conſuetudo. De tempore uerò anni, licet Galenus ſimiliter de eo cenſendum

[Margin notes: Quorundã excuſatio. — Medicamẽtum, ſæpe cõtrarium clã præbet effectum. — Tribus uerbis oportet diffinire hãc dignitatem. — Pleuritis cũ ulcere. — Secunda dignitas. — Tertia.]

dum putet, mihi non sine ratione omisisse Hippocrates uidetur: quoniam potius contraria, quàm similia exigit. in causa uerò est, quia ut neq; unum & idē constanter est, ita minus nobis efficitur familiare. Sed & excessus illius plerunq; magnus est, utramq; ob causam, contraria potius quàm similia requirit. Nam & ætas ubi excessum habet, similia non amplius postulat, sed contraria. neq; enim senectus frigidis, sed calidis bene afficitur. quinimo consuetudo si admodum peruersa fuerit, mutanda potius quàm seruanda erit, ne id in temporibus anni fieri tantùm æstimes. Generaliter enim, si quid istorum malo fuerit, corrigi debet: si quid uerò probo, seruari.

Tēpus anni fere semper postulat contraria.

APHORISMVS XVII.

ET quibus semel aut bis, plurâne an pauciora particulatim oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, ætati, & consuetudini.

NON est satis scire, quantum unusquisq; singulis diebus expetit, sed præterea cognoscere oportet, nunquid ipsum totum unica uice, an pluribus conuenit. Colligitur autem id primò, & maximè ex caloris & humorum conditione: quippe ubi calor in uisceribus fortis, ac sanguis modicus, multum debetur alimentum & frequens: sin autem præterea sanguis bonus copiosus fuerit, rarum, & paucum. Et horum quidem differentia multa alia operantur, potißimum tamen ipsa temperatura, secundò ætas, regio, tempora anni, & consuetudo. maximè enim pro differentia temporum ac regionum, magis ætatum, calor naturalis atq; sanguis uariat, quemadmodum dictum est. Hactenus igitur in hyeme raro & multum alimenti conuenit, in uere paucum & rarum, in æstate uerò frequens & parum: quoniam & uires debiles, & magnam humorum penuriam ostendit. Sed & cæteris paribus consuetudo momentum aliquod obtinet: in eadem enim regione, eodem anni tempore, duorum qui uiribus sunt æqualibus, alter qui sæpius assueuit, sæpius alimentum requiret. Consuetudo enim altera natura est. Ergo econtrario qui longo tempore abstinen

Alimenti uicißitudines.

In hyeme rarũ & multũ. In estate frequẽs & parũ.

Iuxta consuetudines alimenti uicißitudines.

tiam facere didicit, longe rarius alimentum repetit, ac diutius inediam sustinet, quàm qui pleno semper uentre esse consueuit. Atq; hactenus quidem in sententia nihil difficultatis est. nam tam in ægris, quàm in sanis ex his quæ dicta sunt sumitur alimenti proportio & uicissitudo. Sed dum ad commentum ueneris, oritur difficultas non parua: quippe firmis quàm infirmis plus alimenti tribuit: & quod magis est pro quantitate corruptionis, cibum quoq; Galenus in commentario promouet. Duplex controuersia: nam prius infirmis uiribus plus tribuebatur, quàm robustis: & postea quoq; ab eodem autore scriptum est, atque ab omnibus citra controuersiam receptum, corpora impura quo plus nutrias, eo magis lædes. Duo hæc non parum difficultatis continere uidentur, tametsi nullum Oribasius in eis condignum nodum inuenerit. Senensis sua scrupulosa distinctione sententiam frustratur. neq; enim simpliciter corpora impura à quouis cibo lædi recipit, sed tantùm eo qui modum non seruat, ac ut ipsius uerbis utar, qui ultra id est quod regulariter recipi debet. Verũ & quoduis aliud corpus eo quod immodicum est offenditur, nedum impurum. Et quæ sit huius Aphorismi sententia, in secundo fusius dicemus. Non enim ijs corporibus simpliciter tenuissimus, nec rursus liberalissimus conuenit, sed qui uirtuti usq; ad finem conseruandæ sufficit. Quòd si iuxta consuetudinem ac etiam uires uictum ijs impuris corporibus præscribas, multo magis oberis, quàm proderis. Proinde tum ex hac allata sententia, tum ex alijs quæ prius dicta sunt, constat, quòd in ijs morbis atq; impuris corporibus eo minus dandum est, quo uirtus sit fortior. At nunc contrà Galenus in commento præcipere uidetur, ut pro fortitudine uirium cibum augeas, ac tantum scilicet offeras, quantum natura concoquere potest. Difficilis profecto nodus, & quod sciam, hactenus à nemine enodatus. Nam altera Hugonis solutio ridicula est, ubi dicit corpori impuro augendum alimentum nequaquam, inquantum est impurum, sed inquantum humores bonos paucos habet. Quid enim Hippocrati facies, si in eodem corpore promouendum ac diminuendum alimentũ præcipiat? Iam hic stat manifesta Galeni sententia, quòd pro uiribus cibus plenior offerri debet. Melius est igitur duplices morbos, ac præsertim febres

[Margin notes:]
Difficultas magna, an plus debetur firmis q̃ infirmis uiribus.
Duplex controuersia.
Mirabilis Hugonis cõpositio.
In corporib' impuris quo uirtus est fortior, eo min' conuenit alimenti.
Altera Hugonis solutio ridicula.
Nostra expositio.

bres partiri. Alij enim sunt, qui cacochymiam sequūtur, atq; in ijs, quo uirtus fuerit fortior, eo uictus debet esse parcior. Alij sunt, quibus inedia aut corruptio occasionē dedit, atq; in ijs econtrario quo uirtus fuerit fortior, eo uictus debet esse liberalior. Nūc quæ prius est allegata sententia, Corpora impura quo plus nutries, eo magis lædes. de his tantū dicitur, quibus aut uictus, aut alioquin infelix aliqua conditio multos in corpore crudos humores congessit. Reliquis uero qui ex inedia fiūt, in libro De ratione uictus in morbis acutis, Hippocrates omnino pleniorē cōsulit. Inedia enim plus in dies & horas colligit. quapropter liberaliore alimēto illi occurrere oportet: non enim morbo tantùm, sed causæ, si quando adhuc in corpore perseuerat, contrarium opponere conuenit. Non oportet autem hanc uiuendi rationem in morbis ex defectu obliuioni tradere, sed etiam ad illos morbos, qui ex corruptione fiunt, trahere: nec aliter horum corporum corruptionem, quàm qui ex defectu ægrotant à communi corruptione distinguere: quippe plurimum inter sese dissident, tum causis, tum modo, tum subiecto. Nam impura corpora de quibus est prælatus Aphorismus, insigniter biliosa sunt, pituitosa, aut melancholica, ubi scilicet propter magnum aut aëris, aut temperaturæ, aut uictus excessum, paulatim unus ex ijs omnibus humor accreuit, qui adueniente nouo cibo non concoquitur, sed potius hic in illum transmutatur. Hic ergo pro uiribus alimentum oportet subtrahere, atq; naturæ, dum peccantem humorem concoquit, frugalitate consulere. Fortassis & hic nonnihil natura inedia læditur, sed ab ea commoditate quæ concoctionem sequitur, eius iactura, hoc est, cibi desiderium redimitur. Atq; hi ferè sunt humores, qui temperamento corrigi nequeunt, sed post concoctionē expelli debent. Secus sanguinis dispositio sese habet. nam ubi corrumpi cœperit, eius integritas & alacritas restitui potest, non quidem medicamentis, sed probiore uictu. quippe & uinum quod iam acescere incipit, recentiore uino affuso in melius emendatur. Fit autem hæc corruptio in sanguine multifariam, aliquando plenitudinem sequitur, atq; hæc euacuationem potius quàm alimenti supplementum desiderat. Est ubi citra plenitudinem in hepate, aut in alio uiscere, aut fortè in ipso primùm sanguine leuiter aliqua caliditas

Morbi ex cacochymia parcū uictū amant.

Morbi ex corruptione aut inedia liberalem postulant.

Morbi ex inedia & corruptione eundem uictum requirunt.

Corpora impura.

Morbi ex corruptione sanguinis.

Comparatio cum uino qđ acescere incipit.

Corruptiōis multę causę.

aut humiditas contrahitur, ratione cuius, cito uniuersus sanguis dispositionem quãdam corruptioni proximam init. Tale aliquid fortè in peste, & iterum in ijs qui morbilli appellãtur, euenit. Multum ergo differt hæc dispositio, à uulgata aliorum humorum impuritate. nam hæc non nisi quædam cacochymia est: de qua uerò nunc loquimur, corruptione in sanguine, serpit adeo ex his tribus corporibus, quorum aliud ex defectu, secũdum ex corruptione sanguinis, tertium ex impuritate simpliciter laborat, hoc tantũ cacochymicũ dicere poßis. ac de eiusmodi corporibus tantum prælata sententia est, Corpora impura quanto plus nutries, tanto plus lædes. Ita & ille Aphorismus antea dictus est, ubi morbus peracutus est, extremos statim habet labores, & extremo statim tenuißimo uictu utendum est: non de omnibus morbis, sed tantùm ex plenitudine aut cacochymia dicitur, quippe morbis ex defectu aut sanguinis citra plenitudinem corruptione, pro fortitudine uirium debetur alimentum. Oportet autem corruptionem liberalius audire, quàm ipse in secundo Aphorismorum fecit, in commento eius Aphorismi, Vbi cibus ingestus. atq; etiam pro initio corruptionis accipere: quippe qui omnino corruptus est, recentiore alimento restitui non potest, sed euacuationem desiderat. neque enim corruptionem eam quæ iam febrem efficit, sed eam quæ postea febrem minatur, atq; iam dispositionem quandam corruptioni uicinam iniuit atq; concepit, hac ratione medicamur. Ac fortè sunt, qui non satis intelligant ex corruptione febres succendi, qui nescio quomodo eas quas inedia parit, accipient. Euidentior enim ibi qualitas est, quæ sanguinem putredine afficit, quàm quæ tempore inediæ, in bilem sanguinem transmutat. Vtroq; igitur in loco plenior uictus conuenit. hic enim inediam resarcit, & ibi quod semicorruptum est, in benignum iterum reducit: non aliter quàm uinum, quod corrumpi cœpit, affuso recente meliorescit, atq; temperatur. Quapropter parum in Hippocratem oculati fuerunt Parienses, (de quibus Guaynerus scribit) medici, qui pestilentibus morbis, tenuißimam præscripserunt dietam, non ob aliam rationem, quàm quia de genere acutißimorum morborum essent, & Hippocratem, dum scriberet, morbis peracutis extremè tenuißimus uictus compe tit,

Triplex morborum differentia.

Corruptio duplex.

Febres ex inedia & corruptione.

Quidã pestilentib⁹ febrib⁹ describũt tenuissimum uictum.

tit, de omnibus acutis audiuerunt. Melior enim erat ipsius Guayneri, atque alterius sectæ ex Auicenna persuasio, qui contrà plenum illis indulserunt. Dixit enim ille eos ferè solos demum euadere, qui uiriliter bibunt ac comedunt. Veruntamen & ij suam inscitiam ostenderunt, quum non haberent quod Hippocrati responderent. neq; enim obseruauerunt, quòd Hippocrates in primo Aphorismorum tantùm de morbis ex plenitudine & cacochymia loquatur. Quanquam hoc ipsa res clamet, aliam morbis ex plenitudine atq; cacochymia, aliam ex defectu & sanguinis modici corruptione uiuēdi rationem competere. & ego illum omnino insanire putarem, qui eandem in utroq; genere obseruarit. Ex tali morborum genere puerorum morbilli sunt, & uariolæ: quòd si morbilli quoq; ex genere eorū sunt, qui corruptione sanguinis consistunt (quēadmodū mihi uidetur) nimis frequens peruersusq; erit illorum error, qui iuxta Hutteni simplex decretum, omnibus huiusmodi morbo affectis exquisitam dietā præscribunt, atq; diuturna inedia discruciant. neque scio, quomodo tam multis & ad unum omnibus ea Hutteni sententia placere potuit, quoniā pleniore contrà indigent. Quòd si exquisitæ eiuscemodi abstinentiæ pauci succumbunt, ob eam fortè causam euenit, quòd ea corpora plerunq; pleniora sunt, saltem non admodum inania: itaq; cōditione corporis subinde pensatur, quod morbo detrahitur. alioqui frequentius illos redargueret experientia: quanquam non statim omne medicamentū, quod importunum est, interimit sæpe fortis natura & morbum & malum medicum contemnit. Sed neq; hic admodum iactari experientia debet: quoniā plurimos ex ijs in hydropisim, atrophiam, ulcera, cæcitates, & alia incommoda incidisse uidimus, siue hoc ex inedia, siue medicamentis parum æquis acciderit: adeo ut incommoda quæ illius curationem sequūtur, sæpe inueniantur morbo ipso grauiora. Omitto nunc multo plures suspitione laborare, quàm ipsis morbillis. quā pleriq; medici atq; chirurgi nō tam demunt, quàm promouēt, turpis lucelli gratia, ut quos suspitione tantùm leuarunt, à grauißimo morbo assertos iactent: nam siue in articulis laßitudo, siue in corpore leuior scabies, lingua aspera, fauces ulcerosæ, & plane quicunq; uel incognitus uel difficilis morbus fuerit, morbi Gal-

Melius Auicenna liberalem illis indulget.

Variolæ & puerorum morbilli ex sanguinis corruptione.

Morbilli ex cōtagiosa uenere.

Hutteni iniquum consilium.

Sæpe natura & morbū & medicamentum uincit.

Incommoda quæ curationē morbi gallici sequūtur sæpe ipso morbo grauiora.

Temeraria multorū coniectura.

lici suspitionem subire solet, & quod magis est mirum, etiam de ijs audēt suspicari, quorum urina integra ostenditur. Sed non potest tam grauis aliquis citra consensum uniuersi corporis, aut citra putredinis alicuius in urina notam morbus subsistere: nam ipsa est quæ super uniuerso corpore significat. Hæc præter propositum dicta sunt, ut posthac desinant à quauis uel leuissima causa hunc morbum suspicari: multo magis, ut medici uel chirurgi priusquā eiuscemodi medicamenta accommodent, morbum suis symptomatibus expendant. Nam parū est morbū male ac obiter definire: sed pessimū est, leuibus morbis grauia medicamenta adhibere: quanquam ego (postquam in hunc campum descendi) ne in hoc ipso morbo extremis illis unguentis opus puto. Magis præter rationem mihi uidetur, ut huiuscemodi morbo expurgationem per os uulgus medicorum moliatur. screatu enim tantùm ea rectè exeunt, quæ in capite continentur. nam quorsum argento uiuo, aut similibus unguentis saniem erumpentem retrudimus? melius esset sudoribus, atque adeo ipso balneo materiam euocare: quippe usitata est autoritas, quò natura uergit, eò ducere conuenit. Euidenter autem hic morbus sese per cutem expurgare nititur. quòd si uniuersalibus uel hic à principio euacuationibus opus sit, & hic quoque malo sanguinem mittere, quàm uentrē mouere, certe nullus minus quàm longis illis sputaminibus opus esse mihi apparet. Sed forsitan in quodam seorsim opere De symptomatibus atq; generali methodo illius morbi dicemus. Hæc enim tantùm per affinitatem rerum diximus, cùm id tantùm dicere intendebamus, quòd in morbis ex cacochymia atq; plenitudine pro robore uirium diminuenda alimonia, in alijs uerò qui ex corruptione aut defectu augenda: non enim in spiritu & sanguine tantùm natura habitat, sed illius robur in solidis atque internis uisceribus moratur. Quare his bene se habentibus, uirtus constare potest, tametsi spiritus & sanguinis desideretur copia. Ergo ut finem faciam, de his morbis præsens sermo est, qui ex corruptione aut inedia fiunt. hi enim ut sani, eo plus postulant, quo uiribus magis constant. contrà alij minus. At de his satis. nam tum in hac, tum in præcedentibus nihil condignum Oribasius adfert. Quippe & idipsum quod dicit, poma in fine prandij, sed in prin

Leuiori morbo non cōueniunt grauia remedia.

Iniqua medicamenta.

Multiplex error in uulgari curatione morbillorū.

In morbillo Gallico non cōuenit mouere per screatum.

In morbo Gallico potius conuenit phlebotomia q̄ purgatio.

Leuior occupatio.

Mirabilis Oribasij distinctio.

principio cœnæ tantùm assumenda, unum ex ijs est, quæ præter alia demiror.

APHORISMVS XVIII.

Aestate & autumno cibos difficilimè ferunt, hyeme facilimè: secundùm locum uer habet.

VIDETVR hic Aphorismus dictus in eo, qui prius erat positus. si quidem enim uentres hyeme & uere copiosius alimẽtum expectabant, consequens est, quòd æstate & autumno difficilius ferant. Galenus ut hoc excuset, in prius dicta sententia audit alimenti multitudinem, hic uerò eius uicißitudinem, quasi ita dixisset Hippocrates, quòd non solùm minus fertur alimenti tempore æstatis, & autumni, sed etiam quòd idipsum in plures uices debet distribui. Vtriusq; eadem causa est, caloris naturalis imbecillitas. Affert secundam differentiam, quòd prior Aphorismus tantùm respexit sanos, hic uerò etiam ægros. Atq; libens nunc omitto, quòd hoc commentum potius procul quæsitum, quàm in uerbis inuentum. Præterea uereor, ne etiam sit falsum: etenim in hyeme, uere, uirtus fortior, econtrario in æstate & autumno debilior. Iam antè dictum est, quòd in morbis eo plus alimenti conuenit, quo uirtus est impotentior. etenim à uiribus, in sanis & in ægris contraria sumitur iudicatio discriminis causa: quia in morbis nequaquam tantum exhibemus, quantum possit concoqui, sed quantum sufficit uirtuti. Visa est autem Hugoni Senensi post suam suppositionem suspecta Galeni commentatio: quare quod de alimento dicitur, ad errorem transfert, ut talis sit sentẽtia, Hyeme & uere melius fertur iniquus cibus, quàm autumno & æstate. Verum id ut longè ab Hippocratis & Galeni mente recedit, ita falsitate non caret: falsum enim est, quòd ægri hyeme melius ferant errorem plenitudinis, quàm æstate: non etiam est uerisimile, quòd Hippocrates uoluerit potius errores conferre, quàm iustitiam uictus docere. Fortè quis uelit ad morbos ex defectu aut corruptione refugere. nam in ijs econtrario tanto copiosius alimentum conuenit, quanto ipsa uirtus est fortior. Sed non est uerisimile, quòd Hippocrates hos solos morbos respexerit. Deinceps

Galeni distinctio.

Commentũ Galeni suspectum.

Hugonis expositio improba.

Coniectura inanis.

horum

horum respectu plus requirit autumnus & æstas, quàm hyems aut uer. Melius est ergo hunc Aphorismum ad sanos referre, & quasi exemplũ prædictæ sententiæ accipere: in qua dicebatur, Et quibus semel aut bis, plurane an pauciora particulatim afferre oporteat, considerandum est. Sed neq; hoc inconueniens erit, in eodem libro eandem sententiam bis repeti ob aliarum rerum affinitatem. Sic enim statim repetitur, qui de accessionibus sequitur, & nouissimè qui de purgationibus est. Itaq; nullum etiam periculum est, si bis dictum concedamus: ueruntamen prior expositio melior est. Huic sententiæ per modum auctarij licebit addere, quòd tempore hyemis & autumni solidius quoq; alimentum toleratur, atq; ut Celsus dixit, hyeme pane multo uti licet, in æstate uero uix carne, certè holeribus magis famem fallere decet. Addemus autem & illud, quòd non solùm tempore hyemis plus alimenti ferimus, sed etiam citius famemus & appetimus. Videtur huic obstare, quod sæpius in æstate, quàm hyeme alimentum repetimus. Sed ne hoc quidem propositum nostrum redarguit. nam & id ob eam causam euenit, quia tempore hyemis multum ingerimus affatim, tempore æstatis paucum paulatim. non enim natura hic unica uia multum tolerat. Ergo copia uicissitudines comparat, imo superat: adeo quòd duabus uicibus sumitur in hyeme, longè plenius sit eo, quod pluribus uicibus ingeritur in æstate. neq; ob id frequentius partimur in æstate, quia plurimum cibum æstas postulat, sed quia uix medicum in uua uice tolerat. manifesto argumento est: quia si æqualem quantitatem utraq; tempestate sumeremus, non solùm æquali, sed etiam multò frequentiore hyeme, quàm æstate, esset opus alimento. Verùm quia aliter licet, melius est ad seruandam negociorum opportunitatem, aut semel, aut bis affatim ingerere. Hanc etiam dũtaxat causam respexisse natura uidetur, cùm perpetuam illam uoracitatem, quam alijs animantibus ingenuit, in nobis mutauit. Iam quod antè credo diximus, Vt modicus calor alimentum multum non tolerat, ita multus calor modicum alimentum contemnit, ac quodammodo corrumpit. Sicuti autem ex temperaturis anni, ita etiam ex ætatibus, temperaturis, regionibus, uictu quoq;, similia discrimina captare oportet. singula enim

Nostra opinio.

Auctariũ nostrum.

Solidius alimentum conuenit in hyeme.

In hyeme citius fames redit, quàm in æstate.

Copia in hyeme comparat uicissitudines in æstate.

Sicuti modicus calor, nõ tolerat multũ alimentũ, ita neq; multus paucum.

enim istorum, prout uires adijciunt, corpus implent, inaniunt, uel corrumpunt, non parum momentum ad immutandum uiuendi ordinem afferunt.

APHORISMVS XIX.

IIs qui per circuitum accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

QVAM Galenus distinctionem de duplicibus accessionibus in undecimo commento omisit, forsitan hic apposuit. quanquam ut ibidem dicebamus, non admodum nobis placuit, quoniam erraticæ febres tametsi nullum ordinem seruant, circuitum tamen habent. Veruntamen parum refert, an quis nostram, an Galeni potius ibidem accipiat commentationem: quoniam pro claritate sermonis magis quàm ueritate hæc est controuersia: utraq; enim uera est. Quid uerò Hippocrati hic in mentem uenit, ut de his nunc tantum diceret, qui per circuitus accessiones facerent, coniectari non possum. facilius enim illi erat de omnibus simpliciter pronunciare. Raro enim in accessionibus cibus uel consulendus uel permittendus est, sed quàm longissime ab ipsa accessione distrahendus, saltem ab ipsa statim declinatione exhibendus. Siquidem ergo more Galeni per iudicationes accessiones audiamus, iam hic Aphorismus prius satis explicatus est. Verùm nomẽ iudicationis uim patitur, nec minus distrahitur, ubi secũdo à Galeno pro statu accipitur: ut talis sit Aphorismus, Qui per circuitus accessiones habent, ijs nihil oportet dare in ipso statu, sed subtrahere adiectioni ante statum. Iam difficile erit coniectari, ecquid Hippocrates idem iterum repeteret. nam prius de statu dictum est, quòd in eo nihil dare conuenit. Fortè uerò id fecit, quia prius de alimenti uicissitudine, pro singulis diebus disseruit, à quibus dies iudiciales in singulis morbis eximi uoluit. Cur igitur de his tantùm, qui per circuitus exacuũtur, dixit? & id fuit quod nos antè dubitabamus. Eadem erit redargutio, si quidem iudicationes propriè pro crisi audiuerit. Omitto, quòd aduersatiua coniunctio inter cõtraria intercedere solet, ac aduersa potius quàm

Duplex expositio.

Obliqua nominis expositio.

Paruæ coniecturæ.

diuersa, at quæ precor cōtraria ipsa distinguit? si quidem ita audiuerimus ijs qui per circuitus accessiones habent, in accessionibus nihil dare oportet, sed subtrahere adiectioni ante iudicium. Eadem ratione, gratia carebit, si iudicationes pro statu audiueris: si uerò pro accessione acceperis, sententia quidem congruit, sed nomen nullo modo conuenit. Neque enim usquam alibi pro accessione iudicatio accepta est. Ergo satius est hunc Aphorismum expungere, uel (ut mihi tandem uisum est) non quidem de accessionibus, sed de solis iudicationibus intelligere: ut talis sit sententia, Iis qui per circuitus accessiones habēt, nihil oportet dare ante iudicationes, neque cogere, imò adiectioni subtrahere ante iudicationes: hoc est, oportet id quod prius indultum est auferre, atque tollere. Nec est ignaua hic sententia, sed maximè efficax, ad ostendendum id, quod prius diximus, quòd ante statum, maximè ante crisim, alimentum sit paulatim diminuēdum, à principio uerò usque ad statum paulatim promouendum. Vnū hic obest, quòd iuxta hanc interpretationem uacet ea adiectio, Qui per circuitum accessiones habent. nempe id generaliter uerum est in omnibus: sed & hæc quoque sententia potestate dicta est antea.

Nostra expositio.

APHORISMVS XX.

QVæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamētis, siue aliter irritando, sed sinere debes.

NON desideratur medicamentum post perfectam crisim: quippe ut in libro De crisibus cōtra Neotericos diximus, nemo in declinatione uniuersali (nisi ob externum errorem) mori potest. atque in hoc discrepat declinatio particularis ab uniuersali. nam in declinatione particulari nō nisi pars, nec quæuis, sed tantùm leuior euicta est: in uniuersali uerò totus morbus separatus est. non potest ergo morbus uincere, ubi natura uicit. Veruntamen & id Neoterici exemplo duorum in duello sese mutuo conficientium nituntur ostendere. quæ similitudo præterquàm quòd rudis, etiam iniqua est, quemadmodum in libro De crisibus ostendimus. neuter enim uicit, ubi uterque simul interijt, aut letale saltem uulnus acceperit.

In declinatione uniuersali nemo moritur.

Differentia particularis declinatiōis.

Neotericorū iniqua similitudo.

Quòd

Quòd si hoc exemplum te delectauerit, potius in principio uel augmento, quàm in decliatione reperies. In omnibus enim letalibus simul cum natura morbus ipse intercidit. uerbi gratia, ubi calor febrilis statim cum calore naturali perit, uel tenuiore materia putrefacta reliqua crassescit, quæ ad putredinem parum idonea existit. tale aliquid & inflãmationibus, quæ suppurãtur, & magis quæ in scyrrhum permittantur, contingit. Non est autem huiusmodi motus declinatio, sed uia quædam ad interitum. moritur enim æger plerunque in principio atque augmento, raro autem in uigore. Attamen aliquando, ubi natura à fortitudine accidentiũ supprimitur, uel ob imbecillitatem crisim obire grauatur. Nam licet maioris sit uirtutis, onus aliquod conferre, quàm eijcere, ac morbum concoquere, quàm expellere: tamen aliquando natura morbũ concoxit, quem extrudere nequit. Atque hic est ferè unus in statu morientium modus, sed raro id accidit. magna ex parte ipsa per se crisim aggreditur, & perficit, & uincit. Quoniam dicente Galeno, post perfectam concoctionem, hoc est, in ipso statu, nunquam malam aut imperfectam crisim uidit. Igitur & eo tempore, quo morbus iudicatus est, & quo iam iudicatur, omni medicamento abstinere opus est, phlebotomia dico, scarificatione, ac alio quouis medicamentoso irritamine. Atq; id quidem de integro iudicio accipere oportet. Est autem perfectum iudicium, quod præcessit concoctio, in die contemplabili, quod fit in statu, atq; maximè tempore ipsius accessionis, siue par, siue impar dies fuerit. Adijcit Galenus, & per eã maximè partem, qua tales morbi iudicari solent. Nam per aliam partem ardens febris, per aliã rursum pulmonia ac pleuritis abire consueuit. Veruntamen id signum infidele est, ac per eãdem partem diuersi morbi iudicari possũt. Proinde hoc appendice opus non est. Imo si cõpendio uelimus dicere, mortalis ferè crisis in principio, imperfecta & periculosa in augmento, perfecta in statu accidit. Quoniam ut antè diximus, nunquam ullam malam crisim Galenus uidit, quæ post concoctionem in statu uenit. Euenit autem magna ex parte in posteriore status parte. qua de causa in secundo Aphorismorum paulo liberalius simpliciter & generatim in statu quietem consulit. Quòd autem in principio prohibeatur, alia est causa, materiæ cruditas, de quo

Raró æger moritur ĩstatu, plerunq; in principio aut augmẽto.

In crisi & ante crisim medicamẽta importuna.

Perfecti iudícij descriptio.

Omnis crisis bona in statu.

 postea.

In solo augmẽto cõpetit purgatio. postea. Proinde in solo augmento concessa est purgatio, atque id unicum tempus est, quod Neoterici omiserunt. nam alij in principio, alij in statu, alij etiamnum in declinatione, purgandum constituerunt. nemo tamen, quod sciam, augmenti meminit: quare si uel ex proposito importunissimũ purgationis tempus eligere uoluissent, peius aberrare nequissent. Sed de ijs omnibus copiosissimè in quodam seorsim opere. Huic tamen addere oportet, quòd neque statim uel in ipso augmento ante statum perpetuò mouere competit: quoniam subinde natura sibi satis constat: argumentum est, quòd & ultro plures euanescunt morbi, quàm interimunt. Quapropter non dicet postea Hippocrates simpliciter, cùm morbi inchoant, moue: sed cum finitione, si quid uidetur mouendum. Id dico propter eos, qui ad purgandum admodum præcipites atque liberales sunt, adeo ut nihil aliud faciant. Atque hæc hactenus. melius est enim ad sequentem transire sententiam: quoniam in hac neque Hugo Senensis quicquam difficile aut perplexum adducit, quod enodatione opus habeat, tam est manifesta. Quapropter illos satis mirari nequeo, qui contra expressam hanc sententiam, quotidie etiam in declinatione medicamentum audẽt exhibere. Sed scio cur id faciãt, naturæ laudem sibi uendicare uolunt, scilicet ut aliquid fecisse uideantur, id agunt, & ita saltem leuiore aliquo medicamine naturæ illudunt, ac sua laude frustrantur. Atque hos fortè ut indoctos contẽnes. Sed quid de celebrioribus quibusdam hodie scriptoribus dices, qui sanguinem in principio mittunt, & in declinatione purgationem obeunt? Quidam ex ijs etiam idipsum autoritate Galeni nituntur astruere, in octauo Therapeutices, ubi Galenus hiera medicatur declinantes uentriculi inflammationes. Mirum quòd tanti uiri ob tantillã contradictionis phantasiam à stata autoritate defecerint. nam in omnibus rebus atq; cõtradictionibus ita facere oportet, ut recepta semel axiomata seruẽtur inuiolata. Quòd si quid nobis aliquando occurrere uideatur, nõ statim à proposito delabamur, sed certo sciamus hoc aliò relatum, quod sursum deorsum uerisimilibus coniecturis oportet inquirere, ac demum inueniemus, in quod impegimus. Ita in proposito quoque tandem intelligemus illũ impropriè loqui de declinatione inflammationum, ubi dolor subsedit, sed materia

Raro natura medicamentũ desiderat.

Neotericorũ fluctuatio.

Neotericorum periculosus error.

Galenus uidetur medicari in declinatione.

In omnibus difficultatibus cautio.

Nostra huius loci expositio.

teria resistit. Quòd si in principio purgare liceat, augmento, statu, atq; declinatione, nõ erit res medica admodũ difficilis. Est ergo uerisimile, quòd unum aliquod tempus sit illi propriũ, nec inuenietis opportunius, quàm augmentum.

APHORISMVS XXI.

QVæ ducere oportet, quò maximè natura uergit, per loca conferentia eò ducenda.

QVANDO Brissottus, Fuschius, ex hac sententia uoluerũt phlebotomiam in pleuritide semper in eodem latere astruere, indicauerunt se potius hos & similes Aphorismos legisse, quàm intellexisse. nam licet illinc quàm maximè fieri deberet, nusquam minus quàm ex hoc loco ostẽdi posset: non est enim hæc sententia de reuulsione, sed deriuatione. Plura super hac re in elencho diximus, cui nec Leonardus Fuschius, nec eius farinæ quisquã alius respondere potuit. Ac poterat is aduersus huiusmodi sufficere, propter temerariam tamen quandam alterius hæresim, corolarium adiecimus, in quo non minus breuiter quàm clare utriusque sectæ superstitionem ac errorẽ deteximus. Nunc his tantùm licet adijcere, quòd motus naturæ duplex sit: alter quo morbũ expurgat, alter quo morbũ parit, atque ad aliquem destinatum locum, materiam per fas & nefas deponit. Possumus etiam dicere, quòd alter motus ipsius morbi: atque hũc quidem reuellere in cõtrarium oportet, tantum abest, ut inuitari aut promouere liceret. Reuellitur autem materia, quando in eundem ferè locum reducitur, unde defluere cœperat. Siquidem ergo à superiore ad inferiorem delabitur, dicente Hippocrate, ad superiorem retrahi iterum oportet, & econuerso: prompte enim dum adhuc fluit, licet reuocare: ob eandem causam, si quidem à dextra in sinistram, fortè pleuram, sanguis effundatur, ad dextrã retrahere oportet: nam ita & qui deinceps illinc cursurus erat retinetur, & qui iam medio, ut ita dicã, itinere fertur, suspenditur, aut reuocatur. Et quidem ubi corpus plenum existit, fortè à singulis partibus influit, ac in sinistram (si ita sit) pleuram undiquaque humor concurrit, non solùm à dextris, sed inferioribus ac superioribus partibus. Siquidem

Simplex error Brissotti.

Corolarium de missione sanguinis.

Duplex humorũ mot⁹.

Reuulsionis natura.

In corpore pleno undique humor irruit.

ergo ex me quæsiuerint, cur hic potius à dextris, quàm ab inferioribus aut superioribus reuulsionē moliar. Causa est, quia siue ab inferiore, siue à superiore materiam reuoces, ne obiter in ægram partem incidat, est periculum, cuius omnino securus es, si ad dextram partem retraxeris. Eadem de causa ubi uterus, hepar, ren, inflammatione tentatur, ad superiores partes potius, quàm inferiores, sanguinem trahere consueuimus. frequentius enim à superioribus quàm inferioribus partibus grauantur. ita & pleura. Veruntamen si aliter contigerit, atque fluxus ipse ab inferioribus partibus cœperit, ut ubi menses cohibiti hos morbos pariunt, missis superioribus inferiores uellicamus. Constat ergo, ac nunc satis manifestum est, quod reuulsionis est in eandem partem trahere, à qua fluere incœpit. Nam ut simplex reuulsio, motui ipsius morbi occurrat, est necessum. Verùm ubi nec ab inferioribus, nec superioribus, aut etiam à dextris in sinistram aliquid effatu dignum effluit, ac tantùm à proximis partibus sanguis decurrit, siue quia corpus modicum est, siue quia materia magna ex parte defluxa, hinc dicente Galeno composita est actio, ac simul conuenit materiam influxam ex proximis elicere, & proximam abducere. ita quidē nunc malo dicere, quàm reuellere. Est enim potius quædam auersio, quàm in contrarium reuulsio, si exquisitè loqui uelimus: quanquam & Galenus, & alij nonnunquam sic loquantur. Est ubi tota impacta hæret, atq; hic sola euacuatio locum habet, uulgus eradicationem appellat. Atq; hæc quidem euacuatio nullam sibi partem præscribit, sed in ipso loco obitur. Reliqua partium situm aliquando naturæ motum sequitur. Et quidem situm partium alibi: præsens uerò Aphorismus motum naturæ docet imitari, non quidem quemuis, sed qui morbum expurgat. Hac de causa Hippocrates mihi adiecisse uidetur, Per loca conferentia. non enim pleura morbum expurgat, sed concipit. Fortè etiam loca intermedia intelligit: nam tametsi natura per destinatam partem morbum expurgare uelit, tamen semper obseruare oportet, nunquid partes intermediæ, integræ sint. nam si laborant, alia auertere opus est. Est & alia fortuna: esto inflammatio multa in imis partibus hepatis, quam natura laborat expurgare per uesicam,

Securior reuulsio in corpore pleno, per transuersum q̄ longū.

Postquam ex uniuerso materia defluxit, satius est ex proxima uena materiam delapsam eruere, & influentem auertere.

Eradicatio in ipsa parte obitur.

Euacuatio aut naturæ motū aut partis situm imitatur.

Per loca conuenientia.

Prior exceptio.

Posterior exceptio.

sicam, si multitudo fuerit, periculum est, ne impingat: itaque anticipantes periculum, multitudinem prius abducimus per uentrem, aut phlebotomiā. Idem aliquando facimus, ubi multa materia in cutem imminet. Si quidem igitur natura semper per proximam partem morbum abijceret, nulla difficultas esset: sed aliquando aliò uergit, & à proxima parte, sæpe ad remotiorem decedit. non enim tota pulmonia, pleuritis, per sputum expurgatur, aliquando per nares effunditur, aliquando per sudorem finitur, aliquando etiam, sed rarius, per urinam expurgatur. Ita si febris ardens semper expurgaretur per uentrem, facilis esset imitatio: nunc autem aliquando abit per profluuium sanguinis, sæpius per sudorem: atq; hunc quidem à principio imitari non licet: quoniam à principio ferè latet, ac non nisi in fine quò inclinat proditur. Iam si à principio uel maximè conspiceretur, periculosa imitatio esset. non enim in febre ardente, quæ postea per sudorem finietur, licebit à principio sudorem ciere, aut urinam, aut similem euacuationem facere: sed oportet statum expectare: nec enim temere aut præmaturè licet eam uellicare, & quasi officij sui admonere, sed duntaxat in tempore. Igitur hæc sententia (ut apparet) tantùm eas euacuationes dirigit, quæ negligenter à natura in statu fiunt. Possumus tamen secundò & ad eas euacuationes, quæ in principio & augmento fiunt, hanc sententiam explicare. Nam uel à principio aliquando quorsum natura uergat, coniectari licebit. Primùm ex specie morbi. nam ardentem sudor, inflammationes multas finit fluxus sanguinis è naribus. Secundò idem captamus & ex alijs quibusdam argumentis, quorum multam copiam Hippocrates in libris Præsagiorum dedit. Primum id procul ex temperatura, & ex ætate, arguitur. Quippe ibidem scripsit, quòd in iunioribus fluxus sanguinis potius, quàm alia euacuatio, in quibusdam morbis expectandus est. Idem dixit in quarto Aphorismorum, Medicari æstate superiores, hyeme uero inferiores. ubi ex temperatura quoque alia discrimina posuit, tandem adijciens, melancholicos plenius inferiores. nam quòd hac uel illac purgandos præcepit, non ob aliam causam est, quàm quia hac uel illac humores natura euadunt. Sic in nostro Septentrione uomitiuis utimur raro: alibi autem frequentius. Sunt autem

Natura sæpe inclinat in partē distāti orem.

Non licet omnem naturę motum, à principio imitari.

Temeraria anticipatio.

Sæpe à principio apparet quò morbus inclinat.

Signa futuri motus.

tem hæc omnia signa tantùm coniecturalia. proximiora uerò ex ipsis præsentibus habentur symptomatibus, de quibus est totus propemodum tertius De crisibus liber: ubi ostenditur, quomodo ex illis naturæ motum possumus prouidere. Capita autem rerum, quemadmodum & fere omnia alia, ex Hippocrate desumpsit. Quippe idem senex in quarto Aphorismorū dixit, Si quis nō habens febrē abstineat à cibo, & cordis morsum patiatur, & oris amaritudinem, purgatione per superiora egere signignificat. & statim pòst, Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari inferius significat. Ex ijs ergo uel in ipso augmento spectare licet, quam pro natura euacuationem moliri decet. Longius & multo clarius, idipsum datur in morbis longis: nam multi sunt, quibus à principio uenter aut uesica initium excretionis ostentat. Sunt enim quædam morborum species, quæ unam ferè ac perpetuam sibi euacuationis speciem uendicant. Nam ut alios omittam, morbus Gallicus uulgariter appellatus, per nullam ferè aliam partem se expurgari patitur, quàm per cutem. Veruntamen tum has, tum similes per accidens aliæ euacuationes uniuersales anteire debent. sæpe enim materia copiosior est, quàm ut illac à principio expurgari poßit, & frequenter impingit. Quòd autem hic purgationes ferè incommodæ sint, primùm ratione colliges, quia morbus ex sanguine, imò ne sanguinis quidem mißionem nisi aliquando postulat. Potes id discere exemplo morbillorum, & uariolarum, ut uulgo dicũtur. nam uel Barbaris attestantibus, ut quisq; hic plures euacuationes patitur, ita periculosius habet. Causa est manifesta, quia naturam quam adiuuare decebat, in contrariam partem reuocant. Fateor tamen, quòd non statim quoduis naturæ exemplum imitari liceat, sed quod affatim incidit. propter urinam dico. propemodum enim in omnibus morbis uel à principio morbosus humor in urina ostentatur. Nunquid igitur ob hoc in singulis morbis medicamenta, quæ urinam cieant, exhibebimus? Ego quidem illum insanire putarem, quoniam, ut dixi, non quemuis, sed consertum tantùm humorum fluxum sequi oportet.

Signa motus naturæ præsentiora.

Morbus Gallicus expurgationem amat per cutē.

Morbus Gallicus, morbilli, et uariolæ ferè eandem in genere expostulāt curationem.

Singuli morbi ferè aliquid expurgāt per urinam.

APHO

APHORISMVS XXII.

Concocta medicari atque mouere, non cruda, modo non turgeant: plurima uerò non turgent.

IN definitione concoctionis, siue ut Neoterici appellant, digestionis, nequaquam tantum mihi immorandum uidetur, quantum Hugoni Senensi apparuit. Nam in proposito concoctionem extenuationem appellamus. audio quòd quidam aliud de concoctione sentiant, & tantùm benignis humoribus eam tribuant. Sed ridenda est horum superstitio potius, quàm redarguenda. Egent autem ea humores morbosi omnes, pituita, melancholia, atque etiam cholera. nam & ipsa dum morbum facit, saltem se ipsa craßior existit. Igitur peßimè faciunt, qui eam inspissant, atque cogunt ante purgationem, uerentes ne sua subtilitate exclusionem naturæ frustretur. Nec est idoneum exemplum eorum, quæ ex pectore educuntur: non enim spiritu excipiuntur, quæ à medicamento deorsum præcipitantur, sed tantùm attrahuntur. attrahuntur autem procul dubio facilius tenuia craßis, quemadmodum Galenus in sua introductione ostendit. Quòd si quid præ tenuitate ac subtilitate, uim purgantis medicaminis contemneret, maximè id spiritus, secundo loco pituita serosa, esset. at in præcocibus purgationibus, atque uiolentis, ferè solus spiritus excernitur. Sic & serosus succus ubique promptißimè ducitur, neque quicquam eius subtilitas prohibet, ut per urinam descendat, sed & per sudorem & per spirationem abit, atque eo commodius, quo ipsum est tenuius. Fortè timent, ne sua subtilitate in corpus rapiatur, atque à uenis longè à purgatione abducatur. Mirabilis profectò religio. neque enim ultro humores eò rapiuntur, sed tantùm acrioribus medicamentis atque uocatis diaphoreticis eò adducuntur. Iam si bilis incrassata, melius per uentrem abeat, tenuis tamē promptius per sudorem. quid ergo in principio febris acutæ facies, ubi naturæ motum ignoras? num quid dubius incrassabis? Contendant ergo posthac bilem debere ad purgationem craßiorem reddi. Nunc hoc unum audite, quomodo aliquando quidam me confundere arbitrabantur. clamabant etiam alia per con-

Concoctio, extenuatio.

Ridiculi qui concoctionē tantùm putant humorū benignorū.

Cholera attenuationis eget.

Occupatio.

Cōfirmatio.

Periculosa ubiq; incrassatio.

Ridiculū & nimis imperitum argumentum.

coctionem excrementa quotidie euadere craßiora: quippe urinam procedentibus singulis ferè morbis craßiorem fieri. Actum ergo putabat, quoniam illo argumento euidentißimè demonstratum arbitrabantur, concoctionem aliquando incrassationem esse. At ego tum magis risi, quàm alibi, quòd non intelligerent, ob id excrementa, utpote urinam fieri craßiorem, quòd materia in uenis magis extenuatur. propterea enim in principio urina communiter tenuis & subtilis est, quia uenæ impactæ non nisi quod tenue est sinunt effluere: quemadmodum in inflammationibus uisitur, ubi non aliter, quàm ibi, procedente tempore, excrementa euadunt craßiora, dum meatus liberantur; & materia craßißima extenuatur, adeo ut non solùm quod liquidißimum est, iam nunc poßit effluere, uerùm etiam paulo craßius. Ob eandem causam & in senibus urina tenuis, quamuis sanguis in his crassus sit admodum, & pituitosus. Quòd si omnino huic argumento credebant, non debebant tantùm bilem, idq; rarißimè admodum præscribere incrassandam, sed & quemuis alium humorem: quia ferè in omni morbo urina euadit spißior, idq; usq; ad ipsam declinationem. Itaque & pituitæ & melancholiæ inspissandæ erunt. Nunquid hæc est insania? Verùm de his in libello dicto satis, ubi & hoc ipsum argumentum illorum (si rectè memini) adduxisse uideor: quemadmodum & illud, nunquid melancholia & pituita concocta sint craßiora semper bile cruda. Atque id quidem Hugoni Senensi uidetur, mihi uerò contrarium apparet: alioqui enim præcoctiones omnes præuiæ temere fierent, atque citra omnem neceßitatem. Hippocrates in morbis acutis, utpote febribus biliosis, raro inter initia purgandum monuißet. magis ociose Galenus, hysopo, & origano, & similibus materiã potius incidi, quàm purgari commonuisset. Nam qui ultro ac promptè sequitur, nulla extenuatione opus habet. Hoc argumentum in libro de opportunitate auxiliorum refellimus, priusquam uel in hoc Hugonis dubium incideremus. Melius ergo facerent Neoterici, si Galenum tum ex duodecimo libro Therapeutices, tum ex alijs locis nobis obijcerent, ubi tum in collo, tum in utero tenues humores cogit, & inspissat. Verùm neque ex ijs locis multum proficient. Nam id potius molitur Galenus, ubi

Ferè eo excrementa euadũt crassiora, quo ipsa principalis materia fit tenuior.

Vrinæ senũ tenues.

An melãcholia concocta sit tenuior bile cruda.

Alia obiectio.

humores ipsos uult sistere, quàm dicere, in aliquibus etiam locis satis est acrimoniam obtundere. Iam non omnes eadem egent elaboratione. difficile enim extenuatur melancholia, pituita: promptius, ipsa cholera. Iam nec ipsius bilis species eundem laborem præstant, sed uitellina maiorem, flaua, ac pallida minorem. atq; hinc quoq; illud est, quòd ex ea morbi sint breuiores. Aliqua tamen extenuatione uel ij humores indigent, & hoc Leonardus Fuschius ignorauit, qui cum Raze (si quidem rectè memini) bilem quàm primum, sed admodum licenter, ante concoctionem præcipitat. Ostendit hic error hominem parum in literis medicis uersatum, & qui potius aliena consueuit transcribere, quàm Galeni cõmentarios diligenter expendere. Nam si uel parùm sequelam fuisset secutus, statim intellexisset, quòd huiusmodi biliosos morbos absq; principio facit, qui concoctionis atq; cruditatis ordinem in illis contẽnit. Quòd ergo omnes humores priusquam expurgari poßint, extenuari debent, iam dictum est. Ferè etiam ipsa causa dicta est, ubi id quod crassum est, ostendimus difficile medicamentum sequi. quod si uehementer facere coneris, pro purgatione corpus colliquatur. Crassum, sed non malum exemplum grauedo præbet, per quam licet craßiores, quàm ubiuis alibi mucci abire poßint, tamen hic quoque dum fortiter atq; præcociter muccum emungere tentas, sanguinem elicis. Multo magis in alijs partibus uirtutis robur, atq; ipsum præsertim spiritum, per importunas purgationes dißolues. Tunc dolores fiunt in uentre, uellicationes, tormina, & omnino pro diuersitate fortunæ diuersa incommoda: mouetur enim potius materia, quàm abdicatur: & si fortè ad spinalem medullam fertur, ut debilior est, paralysis sequitur, siue per clysterem medicamentum inijciatur, siue imbibatur. alibi etiam multo grauiora facit: id enim nondũ dictũ est, quòd ubi materia ad stomachũ ruit, & fumus cor ferit, syncopã sæpe irreparabilem facit. Contingunt autem hæc nõ solùm ubi materia cruda tentatur, sed etiam dicentibus Neotericis, atque illorum autore Auicenna, ubi cõcocta est. Sed uentre duro medicamentum accipitur, & propterea clysteribus magis hæc incommoda tribuimus. quippe uentrem durum potius clystere, quàm alio medicamine mouere cõsueuimus. Sed ubi tuto eo uti uo-

Solutio.

Morbi ex bile breuissimi.

Error Razis & Fuschij.

Omnis humor prius attenuari debet, quàm expurgari.

Incommoda purgationis ante concoctionem.

Pericula purgationis ubi uenter induruit.

lumus, stercoraria aut remollitiua tantùm oportebit ijs immiscere, trahẽtibus autem medicaminibus atq; purgantibus abstinere. Igitur ante omnem purgationem duo obseruanda sunt: prius ut uenter molliatur, deinceps ut humor concoquatur. Excipit ab hoc sermone cum multa ratione humores turgentes, ac quínam ij sint, oportet inquirere. Neoterici uarie eos distinguunt. Primùm sub turgente materia (ipsi furiosam appellant) uenenosam comprehendunt: atq; adeo ipsum uenenum siue recens fuerit assumptum, siue spatio temporis in corpore natum. Secundò sub hoc etiam humorem pestilentem continent. Ac de ueneno primùm dicamus. nam nimis importunè hic mihi uidentur uenenorum mẽtionem facere: quoniam uenenatos humores non quidem purgatione, sed amuletis quibusdam tollimus, nisi fortè recens assumptum fuerit: id enim subito uomitu expelli conuenit: liquidum enim existit, ac nulla in eo cruditas accusari, aut concoctio expectari debet. Videtur autem hoc solum illorum esse commentum, qui curationem uenenorum nunquam legerunt: sed in omnibus malis ad purgationem tantùm confugiunt. Maius in his est inscitiæ argumentum, quòd pilos tanquam uenenum, in sedibus ostentent. nam quid de ijs pilis sentire oporteret, alibi diximus. Sunt enim plerunq; in abscessibus contenta, aut fortè per adustionem nata: quemadmodum & nos aliquando uidimus quandam particulam eiectam, sericum pannum dixisses, nisi quòd inter singulos fere filorum ordines, capillum ex coma muliebri uidisses intertextum. Sed ad amuleta reuertamur, quæ potius ueneni uim extinguunt, quàm ipsum attrahunt aut propellunt: adeò misera est recentiorum contentio, quorum quidam ipsum amuletum ad se attrahere uenenum, quidam econtrario propellere contendant. Proinde ij quidem intrò sumptum laudant, foris appositum uituperant: econtrario illi foras appositum commendant, intro sumptum damnant. Faciunt, ut multa intelligendo, nihil intelligant. Et mihi quidem utraq; pars desipere uidetur. nam amuletis alexipharmacis utrobiq; & foris & intus utiliter utimur, quòd potius uirtutem ueneni frangunt, quàm ipsum educunt. Quòd si quædam apud P. Æginetam applicita foris attrahere, aut intus sumpta propellere uideantur, idipsum potius fit

uir-

Duo obseruanda ante omnem purgationem.

Turgẽtis materiæ inquisitio.

Neotericorũ expositio.

Venena tolluntur alexipharmacis, aut uomitu.

Pili excreti.

An alexipharmaca coueniat bibere, an foris apponere.

Alexipharmaca uenena potius frãgũt q̃ attrahunt.

uirtute confirmata expellente, quàm medicamento trahente aut propellente. Neque hæc adeo præter propositum dicta sunt, sed ut cognoscamus naturam uenenorum nequaquam more ipsorum humorum medicamentis purgantibus attrahi, duntaxat saltem magna ex parte alexipharmacis frangi. Ob eandem causam hic quoq; frustra de humore pestilente mentionem faciunt: nam is quoq; alexipharmaca, bolum armenum, aut similia requirit, aut certè potius sanguinis mißione, aut cucurbitulis, aut similibus attrahentibus remedijs, loco applicitis, quàm purgatione indiget. Nā ut alibi ostendimus (& ex anthrace constat) in corruptione sanguinis morbus pestilens consistit. solis autem reliquis tribus humoribus purgatio conuenit. Est tamen ubi sanguis ut bilis turgere deprehenditur. quippe (ut uel hic rursus à Galeno incipiamus) turgentes appellantur, instabiles, nusquam consistentes, sed nunc huc, nunc illuc incumbentes. Cognoscimus autem id ex eo, quòd nunc hic, nunc illic grauitatem, punctionem, & aliam quandā anxietatē sese sentire aiunt. ita & ex ijs qui pestilentia correpti fuerunt, quidam simile quid perpeßi sunt. Ergo præ cæteris humoribus id potius sanguini contingit, maximè autem bili: etenim hæc maximè subtilis & mobilis est, & sequax: contrà ignaua melancholia ac pituita, nec facilè locum quem semel insedit relinquit, atque ad alium locum discedit. Nescio igitur quid Neotericis in mentem uenit, ut utrunq; hunc humorem inter turgentes ponerent: nam si ita sit, cur ergo Hippocrates, quòd plurima non turgent, asscripsit? Sed & ipsa distinctio, quam hic adhibent, quàm ipsa res peior est, ubi inquiunt hos humores quantitate turgere: nam quantitas efficere potest, ut locum distendat, sed efficere nequit ut locum mutet. quinimo econtrario quo ipse humor est copiosior, eò segnior. Nec ista tantùm eò spectant, ut cognoscamus quæ materia turgeat, & quæ constet: sed longius, ut cognoscamus quam materiam ante concoctionem licet rapere, & quam oportet relinquere. nam parum esset Neotericos tantùm in nomine delinquere, nisi in ipsa re errorem committerent, ac materiam quæ concoctionem desiderat, præcociter expurgarēt. Vt ergo illorum errores dedoceamus, & abusus tollamus, satius est iuxta Hippocratē & Galenum, morbos ipsos

Humor pestilens medicamenta non sequitur.

Turgētis humoris definitio.

Bilis frequētißimè turget, deinde sanguis.

Neotericorum error.

Mala distinctio.

perstringere, in quibus ipsa materia turgere possit, aut ante cõcoctionem medicamento decedere. atq; id quidem faciemus in tertio ab hoc Aphorismo: quoniam locus ijs ipsis erit opportunior. Nunc ad hunc nostrum Aphorismũ redeamus, qui uetat purgare cruda, & tantùm ducit concocta. Primùm autem talia uidentur in augmento. Proinde multum ab hoc Hippocratis decreto recedit, omnium fere eorum, qui à multis seculis fuerunt, opinio, qui statim in morbi principio purgationem exhibent, ac quod magis mirabile, in patrocinium suum ipsum Hippocratem uocant, quòd secundo Aphorismorum scripserit, Cùm morbi inchoant, si quid uidetur mouendum, moue: cùm uero consistunt, ac uigent, melius est quietem agere. Non est dubium, quin hæc controuersia maximorum ferè errorum, qui in re medica contigerunt, causa fuit. nam ut Neoterici has sententias componerent, statim distinctiones quasdam futiles excogitarunt, quæ medicationem aut purgationem in minoratiuam, ut uocant, atq; eradicatiuam distinguerent. atq; deinceps ita aiunt, quòd Hippocrates hic eradicatiuam uetet, in secundo autem minoratiuam consulat. Procul dubio magis nomina, quàm res distinguunt: & tamen huius diuisionis prætextu, in utroq; morbi tempore, hactenus purgare, nemine contradicente, liberum fuit. Mirum profectò, quòd tantus abusus à nemine redargutus sit, adeo prompta est eius commentationis refutatio. Nam si eradicatiuam appellant, quæ funditus morbum extirpat, & naturæ nihil reliquũ facit, hæc nusquam ne in statu quidem conuenit: tyrannis enim est, quoniam contrà omnis medicatio est minoratio. Quòd si per eradicationem intelligant materiæ morbosæ particularem expurgationem, per minorationem uerò uentris lenitionem: frustra id in secundo Aphorismorum Hippocrates monuit. nam hæc ubiq;, nedum in principio, conuenit. Sed neq; hac distinctione sese ipsos, aut opera sua asserent. nam ipsi in principio, non solùm uentrem ipsum leniunt, abstergunt, sed medicamine, quod morbosum humorem trahat, utuntur. Magis eos laudo, qui nullas excusationes quærunt, sed ex professo ita faciunt, atq; idipsum falsis autoritatibus astruere moliuntur, ac præterea rationibus fulcire. Aiunt enim, quòd in principio euacuatio plus boni, quàm mali efficiat: econ

Obliqua & peruersa cõfirmatio.

Neotericorũ periculosa distinctio.

Abusus magnus & diuturnus.

Omnis medicatio minuit tantùm. Vbiq; uẽtrẽ lenire competit.

Quæsita ratio.

econtrario in augmento (mera uerba sunt) plus mali quàm boni afferat. Atq; ij procul dubio maximè errant: non enim solùm in eo delinquunt, quòd minorationem male principio attribuunt, sed quòd eradicationem ex hoc loco in statu obeunt. Nam contrà scripsit Hippocrates, quòd in statu quiescere oportet. Scio quid illos decepit, concoctionem duntaxat in statu quærunt. Quis quæso putasset illos tam simplices, ut in augmento cõcoctionem ignorarent? Manifestatur enim in augmento, sed perficitur in statu. Hactenus ergo tam in statu, quàm in augmento facere liceret, sed prohibet in statu accidentium turba. Nam ut ibi quoq; dicitur, in statu accidentia sunt fortiora, in augmento minora. Igitur ex tribus morborum temporibus, ad purgationem, duo elegerunt tempora importunissima: quod uerò erat maximè idoneum, non solùm omiserunt, sed & quibusdam falsis autoritatibus & rationibus repudiare uoluerunt, adeo ut si ex proposito & studio uoluissent, de ijs peius cõiectari non potuissent. Ita quidem nobis uidetur. ac poterat talis ac tantus hactenus error dissimulari, nisi ad plurimorum uitam & perniciem spectaret. Nunc ergo, cur turgentem licet crudam materiam purgare præcipiamur, audiamus. Duplex enim huius causa mihi uidetur: altera est, quia si cunctemur, periculum est, ne fortè fortuna ad aliquod principale uiscus rapta interficiat subito: altera uerò ex promptitudine materiæ sumitur, quæ nõ admodum concoctionem desiderat: non enim quæuis materia turget, duntaxat ea quæ subtilis egregiè est, ac ultro mobilis, adeo ut medicus duplex, ad euacuationem huius materiæ, potius quàm alterius, compendium obtineat, humorum mobilitatem, & naturæ impetum. Qualitas enim ipsius materiæ paulo molestior est, quàm ut constanter locum aliquem seruet, & ideo in uenis fluctuat, ac in omnem partem nutat, uacillatq;. Hæc eadem mihi causa uidetur, quòd materiam quandiu ad locum aliquem destinatum rapitur, quamuis crudam, licet purgatione reuellere. Sic biliosam Hippocrates retrahit in principio pleuritidis, sic materiam quæ ad caput impetu fertur, atq; apoplexin inchoat, clystere reuocat. Id Manardus non intellexit, sed ex his & similibus Hippocratis atque Galeni locis, persuasus absq; ulla religione materiam tam crudam, quàm

In statu oportet quiescere.

Concoctio in augmẽto manifesta, in statu perfecta.

Error periculosus non dissimulandus.

Duplici de causa materiam turgentẽ debemus euacuare.

Materia turgens facile sequitur.

Reuulsio nõ expectat concoctionem.

Manardi ignorantia.

quàm concoctam, in quadam (ut audio) epistola, purgare audet. Idem Neoterici, mira audacia, tam in frigidis quàm in calidis moliuntur morbis, qui aliquem locum obsident: ueruntamen ij paulo quàm ille religiosius. nam rationem aliquam prætexunt, dicentes non quidem propriè, sed impropriè materiam hic turgere, nec rursus coniunctam, sed antecedentem. Itaq; non solùm ut nos quamdiu materia fluit, sed etiam ubi materia fluxit: & si uerum fateri uelint, usq; ad finem ipsum hos morbos sine ullo temporum discrimine sollicitant: nec solùm uerbis, sed & operibus à nobis discrepant. nam fluxa materia, fortaßis uel uincula, ægrum magis fatigant, quàm iuuant: certè clysteres nullo modo hoc tempore possunt iuuare: potius expedit ijs, quæ capiti circumponantur, & naribus, aut ori infunduntur, materiam in cerebro medicari, extenuare, purgare. Fefellit illos puto, & Manardum, quòd nõ rectè purgationem à reuulsione distinguerent, atq; eandem materiam fluentem & turgentem æstimarent. atque in hoc quàm maximè aberrant. Non enim materia turgere dicitur, quæ iam à uenis ad locum alium destinatum rapitur, sed quæ subinde locũ mutat. Peccant secundò, quòd in ijs morbis, uel post influxum, materiam aliam in loco affecto coniunctam, aliam in uenis antecedentem separant. Nam ut in quarto Aphorismorum dicemus, nulla alia materia in uenis fluctuat effatu digna, sed circa ipsum locum fixa atq; impacta manet. Atque ijs quidem cõdonandum. sed quid Brissotto & Fuschio facies, qui ueterem medicinam se gloriantur reducere, & in his aberrant, adeo ut contra Galenum inflammationes & similes morbos inter turgentes numerent? Certè similes mihi uidentur ijs, qui plura ingerunt, quàm concoquũt: nam & ipsi plura mihi uidentur legisse, quàm penitus intellexisse.

Neotericorũ friuola distinctio.

Delapsa materia.

Inanis omnis reuulsio.

Alia materia fluẽs, alia turgens.

In inflammationibus tota materia circũscribit.

Malè Brissottus & Fuschius inflammationes malè turgẽtes morbos numerãt.

APHORISMVS XXIII.

DEiectiones non sunt multitudine æstimandæ, sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant, atque ubi ad animi defectionem usque expedit ducere, faciendum est, si æger poßit tolerare.

DEIE

DEIECTIONES, quemadmodum in secundo Aphorismo huius libri diximus, frequentia potius damnantur, quàm multitudine. Imo inter cætera, quæ purgationes malas ostendebant, præcipuum erat deiectionis breuitas, tantùm abest, ut illas multitudo redarguat. Respõdere enim debent affectus magnitudini, siue humoris delinquentis quantitati: uidelicet ubi parum exuperat, parum: ubi autem multum, multum deijcere conuenit. Secundum, quod in Techna dictum est, Immodicæ repletioni immodica euacuationis phantasia expedit. ad naturam enim relata, immodica euacuatio, nunquã toleratur. Sed neq; reliqua frequenter conuenit: nam in sanis non nisi raro tanta copia exuperat: quòd si quando ut in athletis euenit, melius eam est paulatim deriuare, quàm affatim præcipitare: longum enim morbum ut subito tollere non potest præcipitata expurgatio, ita uires deijcit, quas omnino fortes seruare expedit. Ergo in solis acutis conueniet, nec rursus omnibus: neq; enim in apoplexi, morbo comitiali, & similibus, sed duntaxat calidis, atq; ijs præsertim, in quibus copia humorum uberior, & uires magis liberales. Hic enim usq; ad animi aliquando deliquium, uel quod magis est, usq; ad syncopen euacuationem facere expedit. Verùm ut hæc paulo luculentius intelligantur, altius definitionem deliquij & syncopes oportet repetere. Est autem commune utrique, quòd cordis affectum sequitur, ratione cuius cor utcunq; afflictum, ad se spiritum & sanguinem rapiat. Dicitur autem defectus animi potius, quàm cordis, quòd cordis imbecillitas ex animi defectu cognoscitur, atq; eius ratione statim omnes uires animales, sensus, motus, intellectus cõcidunt. Dicitur rursum potius animi, quàm animæ deliquium, quòd uires animæ collabantur ex affectione animi. Nam citra caloris naturalis societatem (qui per defectum animi retrahitur) omnis alia uirtus ignaua est, & nisi sanguis & spiritus ad cor retrahatur, neq; syncopa, neque animi deliquium fiet. Proinde neq; pusillanimis animo deficit, dum modicè sanguis mittitur, sed dum cohibetur. Hactenus ergo deliquium animi & syncopa conueniunt: sed differunt inter sese modo & affectus magnitudine. Quippe deliquium animi aliquod adhuc momentum sensus & intellectus retinet, syncopa uerò nullum, sed tum intellectus, tum ipse

Deiectiones frequẽtes & paucæ malæ.

In lõgis morbis & sanis nulla conuenit effusa euacuatio.

Deiectio usque ad syncopam duntaxat conuenit in morbis acutis, ijsq; calidis.

Ratio deliquij & syncope.

Deliquiũ animi potius q̃ animæ.

Omnis uirtus ignaua citra caloris naturalis societatem.

Quare pusillanimes potius deficiũt animo postea quã sanguis missus, quàm quando mittitur.

sensus quodammodo concisi apparent. Et quidem malum aliquando ex alijs partibus oritur, aliquando in ipso corde residet. hoc quidam cardiacam, illud syncopam appellare maluerunt. Non minus affectus uariant, qui hæc symptomata inuehunt. inter reliquos insigniter numeratur immòdica & affatim facta euacuatio. Nunc ergo cur potius affatim has euacuationes moliri debeamus, quàm in plures uicissitudines partiri, dicamus. Atq; erit qui in causa putabit esse ipsius morbi præcipitationem: atq; aliquando quidem esse potest, interim tamen morbi præcipitatio nihil impedit, quo minus uno aut eodem die bis, ter sanguinem modicè detrahamus: sed non erit similis aliquando utilitas. Cuius quidem, quemadmodum multorum aliorum, rationem primus inuenit Galenus, qui hoc pacto uniuersum corporis habitum, maximè refrigerari dixit. quomodo autem id fiat, inquirendum est. nam difficultatẽ exhibet, & nihilo plus corpus refrigerare uidentur duæ libræ humorum affatim, quàm particulatim eductæ. Galenus ratione defectus animi putat corpus refrigerari. at id maiorem difficultatem exhibet. Nam per syncopen non uidetur refrigerari ipsum cor, ubi febris habitat, sed duntaxat externus habitus. Etenim ut in syncopa sanguis externa relinquit, ita uiscera, adeoq; ipsum cor magis inuadit. Longo tempore hic nodus male me habuit, tandem lux quædam mihi affulsisse uidetur. Nam tria in syncopa maximum ad refrigerandũ momentum afferunt: ac primum quidem quòd calidi humores abducũtur, commune est, siue paulatim, siue affatim ducantur. Secũdum ipsi syncopæ peculiare est: nam plus refrigerat hic repentinus ille motus, quàm successiuus, quippe & magnus motus flammam extinguit, paruus contabescentem accendit. Fateor tamen, nec negare possum, quin recurrẽtibus ad cor humoribus ipsum nonnihil incalescat: ueruntamen non oportet hic subsistere, sed sanguinem iterum affatim ad exteriora regurgitantem sequi: atque hic est præcipuus motus, qui primùm cor, & ita deinceps uniuersum corpus recreat, ac refrigerat: itaque paruum illud incommodum duobus commodis redimitur. Accedit huc & aliud commodum, à nemine, quod sciam, annotatum. Est autem illud, quod in ea regurgitatione, uiscera ipsa, quæ uel ab inflammationibus, uel aliter ipsis obsessa fuerũt humori

[Margin notes:]
Syncopa animi defectu grauior.
Euacuatio usque ad deliquiũ animi, affatim facta, plus refrigerat, q̃ eadem paulatim.
Breuis disceptatio.
Galeni ratio occulta.
Syncope tribus modis refrigerat.
Repentinus & mult⁹ motus subinde refrigerat, paru⁹ magis accendit.
In syncope duplex motus.
Euacuatio usque ad syncopam sæpe inflatiões tollit.

moribus, plerunque liberantur. etenim fluxus fluxum prouocat, & quasi impetu quodã tota ferè natura ad exteriora regurgitat. Nunc ergo Auerrhoim audiamus: non enim ipse hactenus talem euacuationem commendat, sed grauiter accusat, & in omnibus eiusmodi euacuationibus, plus boni putat decedere, quàm mali. hoc ex ipso defectu animi colligit: nam consueuit corpus malignorum humorum deiectionem lætissimè tolerare, ac tantùm bonorum frustrationem indignari. Denique naturæ exemplo nititur redarguere, quæ usque ad syncopen nullam unquam euacuationem promouet: atque hic mihi nimis imperitus uidetur. Nam si uel parum in opere medico esset uersatus, uidisset aliquãdo tales à natura euacuationes, usque ad syncopen fieri. Alteri obiectioni partim antè respondimus, partim nunc respondebimus: quippe quòd solùm malignus humor hic abit, antea est dictum. uerùm cur syncopa sequitur, dictum est nõdum: ac reuera difficultatem habet. Nam neque syncopa, neque defectus animi alia ratione euenit, quàm ipso corde uel per se læso, uel aliunde incommodo, illi per consensum communicato. Igitur occasiones malorum oportet distinguere: quod si feceris, fortaßis inueniemus quasdam ex ijs tam obiter cor afficere, ut nullum periculum minetur. & potest qui uelit illas ex libro de arte curatiua ad Glauconẽ numerare. nobis satis est principales ipsarum differentias dicere. Grauißimæ sunt, quæ intẽperies magnas cordis sequãtur: non uacant etiam periculo, quæ ob uehemẽtiam doloris excitantur: periculosa admodum, quæ ob superfluam euacuationem succedant, & ferè mors sequitur. Alia est syncopa aut defectus animi, quam sola pusillanimitas inuehit, & nihil periculi habet. Est & alia syncope, quæ subitam omnem, atque affatim factam sequitur mutationem, ac talis mihi uidetur, quæ nunc auditur. Nam defluxum potius quàm effluxum bonorũ humorum comitatur, & quod quis minime fortè expectabat, talis euacuatio bene fertur: quod facilè inuenies, si quidem paulo pòst pulsum apprǽhenderis. Nam ex ijs & alijs quibusdam, statim uirtutem respectu morbi, inuenies fortiorem, in quo nec alibi consistit, quod ipse facilè ferri dixit. Ergò temere, atque impotenter Auerrhois hunc Hippocratis Aphorismũ reprǽhendit. Raro tamen tanta euacuatio conuenit, duntaxat in febribus

Auerrhois hũc Aphorismũ non fert.

Auerrhois ratio.

Natura aliquando affatim euacuat.

Difficilis responsio.

Diuersæ syncopes causę.

Syncopa in his euacuationibus potius sequitur bonorũ humorũ defluxũ, quàm effluxum.

Euacuatio usque ad syncopam sæpe bene fertur.

ardentibus, & maximis doloribus. Iam neque in his omnibus id licet facere, sed duntaxat quibusdam. nam qui in dolore colico has integras euacuationes moliretur, potius ægrum interimeret, quàm referret. Proinde de solo dolore ex acuta inflammatione, idipsum intelligit. Talis euacuatio, teste Galeno, præsentissimũ adfert remedium. nam & febres egregiè refrigerat, inflammationes extenuat, dolores alleuiat. tanto est admirabilius, quod Auicenna in alio quodam loco in magnis doloribus eas reformidat.

Soli dolores ex inflammationibus talẽ phlebotomiam expostulant.

Neque putes istam tantùm Auicennæ fuisse inconstantiam, quoniam & Galenus eandem contradictionem exhibet. Viderunt hanc cõtrouersiam & ipsi Neoterici: sed maluerũt ij ipsos nodos rescindere, quàm expedire.

Galeni loca phãtasia uerborum contraria.

Proinde ut alibi, ita hic quoque uanam quandam nominum distinctionem excogitarunt, atque in altero quidem loco prædictos autores regularem curationem fuisse meditatos, in altero autem irregularem distinguunt: atque hoc pacto rem uidentur mihi facere magis perplexã. Relinquit enim lectorem dubium, qui regulari operatione hoc dicit omittendum, regulari uerò faciendum: clarius dicerent aliquando, sed admodũ raro, eousque euacuandum.

Perplexa & inanis Neotericorũ distinctio.

Etenim dolores duplices sunt. Sunt qui uires egregiè infirmant, sunt qui integras uexant: atq; hîc quidem integras euacuationes moliri licet, illic autẽ quàm maximè cauere. Alia huic, sed minor, succedit quæstio, quando in his doloribus ipsa purgatio, quando rursus sanguinis missio conuenit: nam id quoque Galenus in commento discernendum notat. nec est difficultas magna, sed ex affectuum pendet differentia: quippe ubi inflammatio & dolor ex sanguine, sanguinis missione utendum est. Est autem aliquãdo inflammatio ex bile aut sanguine admodum bilioso, atque in illis locis, unde promptè purgatio obitur: atq; hic potius purgatione utendum.

Dolores respectu uiriũ duplices.

In defectis uiribus temeraria omnis euacuatio.

Breuis difficultas.

Nascitur ex eodem loco alia difficultas, an potius in principio, an augmento huiusmodi purgatione sit utendum. Mihi autem uidetur, quòd potius in principio talis cõuenit reuulsio: ueruntamẽ, si hæc omissa fuerit, in deriuatione oportet rependere. Eadem in febribus adurentibus distinctione est opus: nam si ex bile fuerit, purgatione: si uerò ex sanguine, ut synochus, phlebotomia potius utendum est. Nõ tamen hic inquirendum, nunquid in principio, an potius in fine talis phlebotomia cõpetat.

Purgatio usque ad syncopam potius in principio competit.

petat. nam in principio adhibetur ubique utilius. Est tamen hoc commune tam inflammationibus, quàm adurentibus febribus, quòd non semper, neque passim tales euacuationes competant: sed uiribus constantibus, ac regionibus temperatis. nam in intemperatis aliquando nulla phlebotomia, aliquando modica tantùm admittitur. hoc est quod dixit Galenus, ubi regio intemperanter calida uel frigida cum tempore anni consentit, nullam omnino euacuationem sanguinis corpus sustinet. Ac diu is locus me perplexum habuit, nec fuit ullus alius, quem magis sum admiratus, quòd Galenus in alio loco huic manifestè contradicere apparet, ubi non solùm mittit sanguinem ob sanguinis multitudinem, sed & propter morbi magnitudinem. Iam nemo est in nostro Septentrione, qui in peripneumonicis, pleuriticis, aut aliter acutè febricitãtibus, uel tẽpore hyemis phlebotomiam omittere audet: sed sæpe tam exiguum sanguinem mittat, ut uix conferre credam: & si uera fateri uelimus, potius talis est, quæ medicũ uindicet à calumnia, quàm ægrum à morbi iniuria. Quid enim conferrent tres aut quatuor sanguinis detractæ unciæ? Reuera dũtaxat ad hominũ imposturas hæc fiunt, adeo nihil refert talem aut nullam facere. Iam neque ego Galenum audio per totam hyemem phlebotomiam prohibentem, ubi regio consentit: solũmodo illic, ubi uehemens & summus excessus illius lacessit. Ideo fortè & Auicenna in febribus magnæ inflammationis nullam phlebotomiam euacuatiuam admisit, sed ut quidam cõmentãtur, euacuatiuam tantùm. Ergo ubi febris aut inflammatio in tempestatem calidam & regionẽ similem inciderit, nulla mihi omnino phlebotomia tolerari apparet. uerùm ubi consentiente regione, tempore, ætate, ad magnitudinem prouenit, etiamsi sanguis quàm minimè abundet, sanguinem abducere conuenit. Atque hæc quidem ad Aphorismum sufficere uidentur. Restat ut id ostẽdamus, quòd tales affatim euacuationes aliæ spontaneæ euacuationes sequantur. id enim Galenus in commento testatur. & mihi quidem difficilis ratio apparet. nam qui commentantur uirtutem hoc pacto solui, potius eas integras euacuationes damnant, quàm commendant. ergo potius confortata natura eueniunt. Et hoc quoque mihi uidetur. Nã cũ maiori ex parte suo onere exonerata fuerit, facile quod

Vbique melius cõuenit phlebotomia in principio.

Euacuatio usque ad syncopam tantũ conuenit in regione temperata.

Locus Galeni mirabilis.

Phlebotomia parua cõtemnenda.

Sentẽtiæ Galeni definitio.

Suspitio sup loco Auicennæ.

Galeni commentum obscurum.

Excusatio peior quàm accusatio.

reliquum est excernit: nunc quidem per uomitum, nunc per aluum, nunc etiam per sudorem. Magnum quidem hoc est argumentum eius rei, quam antea diximus: quòd hæc syncopa nequaquã sequitur effusionem bonorum humorum, sed ipsam insolentium, secus nunquam natura secundam euacuationem faceret. Quòd tamen ex necessitate ista debent succedere singula, nondum collegi. aliquando tamen ita euenit, & in hoc alia oritur difficultas. nam quum ista ferè in principio fiant, dubitari potest, nunquid morbus in principio terminari possit. atq; huic antè respondimus. Nam quòd principia morbi intercipi possint, certum est: nisi alioquin reuulsiones & similia in principio adhibeantur frustra. Igitur de morbis iam penitus consistentibus & firmatis tantùm intelligimus, quòd quatuor obtineant ex ordine secundùm concoctionem tempora: nec iterum perpetuò, sed magna ex parte: nam est ubi morbus concoctus, licet raro, in alium euariat.

Posteriores à natura euacuationes, priorem usq; ad syncopã arguunt impfectam.

Morbus in principio bene terminari potest.

APHORISMVS XXIIII.

IN acutis passionibus rarò, & in principijs medicinis purgantibus uti oportet. & hoc cum præmeditatione faciendum.

SATIS hinc constat, quòd in solis acutis purgatio concoctionem anticipare potest. huic subscribit in commento Galenus, ubi ait, quòd in morbis longis semper concoctionem expectare oportet. Nescio igitur quid Auicennæ in mentem uenerit, ubi diceret, Et ego quidem in febre quotidiana non diligo expectationem digestionis, sed oportet ut ex ea euacuetur aliquid. Ferendus erat, si ipse multam rerum experientiam habuisset, qua Hippocratis & Galeni dogmata refellere potuisset, nunc uerò ipsius sequacibus dicentibus, hominẽ quidem multæ fuisse rationis, sed paucæ experientiæ, non uidetur mihi homini inexercitato contemptis illis duobus medicinæ luminibus, Hippocrate scilicet & Galeno, fides tã leuiter adhibẽda. Magis Neotericorũ turbã miror, qui nõ solùm in phlegmatica febre (quod ipse dixit) sed etiã in alijs id facere audẽt. In phlegmaticis enim febribus fortassis dignitas Auicennæ seruari poterat, quòd hic multus serosus

Clara Galeni & Hippocratis dictio.

Audax Auicẽnæ facin⁹.

Auicẽna pl⁹ ualuit ratiõe q̃ experiẽtia.

Licentia Neotericorum maior quàm Auicennæ.

rosus succus plerunq; abundat, quem in principio præcipitare licet, non tamen in alijs idipsum morbis tentare licebit. Quòd si hāc expositionē audire nolint, sed & ad alios morbos eundē canonem transferre uelint, quomodo Auicennam cum Hippocrate component, ipsi uiderint. Scio rationem quam adducunt, sic inquiunt, Vbi humor crudus plurimus & natura debilis, periculum est, ne subito æger stranguletur, nisi materiam minuere anticipes. adeo nihil est tam falsum, cui nullam rationem possis prætexere, sed subito tamē perituram. Nam certum est, quòd tales purgationes naturam potius attenuent, quàm exonerent. quoties scilicet, dicit Galenus, quòd in principio nihil bene euacuari est possibile. Et ut hunc illorū casum perstringam, audiant precor quæ Galenus scribat in quarto De sanitate tuenda. Vbi sanguis bonus (inquit) modicus, & humores crudi plurimi, neq; phlebotomia, neq; purgatio competit. Rationem adijcit, quòd in hoc loco purgatio nihil effatu dignum educit, sed magis impingit, ac pro eo tormina, animi deliquia facit. Ipsi hunc totum locum diligentius possunt legere: mihi enim non uacat pro tantilla re ipsum adducere. Quòd ergo in morbis longis nunquam purgatio ante concoctionem competat, satis constat. Sed neq; in omnibus acutis purgatio ante concoctionem admittitur, sed quibusdam tantùm: nam ipse Hippocrates dixit, Qui inflammationes in principio soluere tentāt, corpus colliquant. itidem & paulo antè Galenus uetuit eos, qui in aliqua parte fixi sunt, aut medicamine, aut alio auxilio ante concoctionem tentare. Nescio igitur, cur ij ipsi in apoplexi perfecta, aut iam cōsistente materia, nihil aliud quàm clysteres moliuntur: uel ob eam causam eos criminari licet, quòd concoctam in capite materiam, clysteribus nunquam tollent, duntaxat eam quæ in medio corpore eò inclinat, clysteres reuocant. Est & alia causa, cur raro in inflammationibus purgationes conueniunt, quòd plerunq; ex sanguine fiunt. Iam si ex bili eueniant, non statim in quouis loco. non enim in capite pleura aut similibus locis purgationi cedent, sed tantùm in hepate atque uisceribus uicinis, atque id post concoctionem tantùm. Tam uarius est hic Neotericorum error & abusus. Ergo non nisi in acutis febribus, ubi nullus locus affectus est, purgatio ante cōcoctionem fertur, nec quidem

Improba Neotericorū ratio.

Vbi sanguis modic⁹ & uitium multū, nulla cōpetit euacuatio.

Tantùm in simplicibus febribus conceditur purgatio.

Clysteres materiam fluentem ad cerebrum reuocare possunt, illapsam elicere nequeunt.

In paucis locis conceptas inflāmatiōes purgationē postulant.

Diuersæ Aphorismi particulæ.

Omnis purgatio in febribus acutis periculosa, aut saltem suspecta.

Hodie purgationes nimis frequentes.

Noua difficultas.

Variæ cōmistiones, præsertim frigidorum, uim exoluunt solutiuorum.

Occupatio.

Multa exte-nuātia solutiuis calidiora.

quidem omnibus, sed ubi ipsa materia turget. Nunc ad Aphorismum redeamus, qui primò in omnibus febribus præsertim acutis omnem purgationem, ut uidetur, reformidat. neque enim nisi cū summa religione exhibet, caliditatem fortis febris ueretur, quæ per medicamenta prompte accēditur, quoniam & ipsa quoque calida existunt, si non energia, tamen potentia: nam reliqua medicamēta, quæ Benedicta appellantur à ueteribus, Neoterici putant incognita. Atque id nescio quàm sit uerum. Nam si casiam ignorauerunt, tamen pruna, epipetrum (quod forte nunc Veneueris capillum uocant) uiolæ, capnium, serum lactis, & similia, illis usitata fuerūt. Sed credo hæc debiliora, quàm quæ in morbis acutis, aut etiam longis, antecedentem materiam alacriter trahere possent: id enim solis uehementioribus obtingit, quorum caliditas in his ipsis morbis suspecta fuit semper. atq; ob id ferè dixisse inuenitur de purgationibus locutus Hippocrates, non febricitantibus: quemadmodum id quarto Aphorismorum sæpe occurrit. adeo à recentioribus differt, qui nihil aliud, etiam in febribus, quàm decoctum solutiuū quatuor uicibus continuis exhibent. At tu fortè non minus miraberis, quòd tantopere Galenus illorum purgantium caliditatem reuereatur: nam admistis alijs frigidis, quemadmodum nunc ferè fit, illorum caliditas temperari potuit. Nunquid modum huiusmodi compositionum ipse Galenus aut Hippocrates ignorauit? Non est uerisimile, sed eas nō laudauit: quemadmodum ipse in Therapeutice docuit, quòd huiusmodi numerosis commistionibus uires potius confunduntur, quàm temperantur. tanto magis eos miror, qui nunc nullum modum seruant, sed compositis composita ac innumera inter sese simplicia miscent: non enim dubium est, quin id sæpius faciant, ut extraneam potius & nouam, quàm bonam compositionem describant. De quorum errore alibi. Nunc autē de medicamentorum purgantium caliditate dicere proposueramus, quorum alacritas ferè exoluitur & uitiatur, quando cum frigidis temperātur, calidorum societatem potius amant, ut in singulis propè cōpositionibus Galeni uidere est. Minus ueretur incidentium caliditatem, origani dico, tragorigani, hyßopi, & his similium, sæpe multis solutiuis calidiorum, quòd horum usus plus

prod

prodesse quàm obesse potest: semper enim extenuatio, quam ijs molimur, utilis est, ac sine aliqua procedit corporis perturbatione. Purgans uerò medicamentum non incalefacit sola potentia, sed & corporis sollicitatione, siue humorum motu, caliditatem in corpore excitat, præsertim ante concoctionem in principio. Proinde & hic quoq;, quemadmodum alibi, magna ex parte lætius fertur purgatio in augmento, quàm in principio. Quocirca Hippocrates insolẽtiore quodã modo hunc Aphorismũ scripsit: uidetur enim hoc dicere, quòd in acutis generatim morbis, potius in principio quàm augmento medicandum sit: atq; id falsum. Ergo sic hanc sententiam obseruare oportet, & in partes scindere. Prima in acutis morbis, utpote calidis, purgationem cauet. Secunda nequaquam in augmento purgationem tollit, sed aliquando in principio permittit & consulit, non quidem semper, sed ubi periculum urget. hoc est quod dixit, & hoc cum præmeditatione faciendum est. Ista autem meditatio nihil aliud exquirit, quàm an materia turgeat. hoc est, quod idem Hippocrates in quarto Aphorismorũ scripsit, ubi inquit, Medicari expedit in ualde acutis eadẽ die, si materia turgeat. adiecit, Tardare enim in talibus malum est. quippe conditiones quas Galenus hic refert, non minus debẽt obseruari in augmento, quàm in principio. nam siue inflammatio, siue hulcus in intestinis fuerit, aut aliud impedimentum, non minus in augmento atq; statu, quàm in principio purgationem prohibet. Sed & medicamentorũ caliditas, potius in augmento quoq; quàm in principio medicamentum suspectum facit. Quando ergo Hippocrates cum quadam religione acutos morbos in principio purgari præcipit, nihil aliud quàm si materia turgeat obseruauit. Prius autem satis ostendimus, quòd in his solis acutis morbis id contingeret, qui citra alicuius particularis loci affectum consistunt. Proinde nescio quid illi in mentem uenit, qui prius hunc uersiculum scripsit,

Colica cum synocha, frenesis, squinantia, pestis,
Materias crudas euacuare iubent.

Videtur mihi hæc commentatio primùm propter praxim orta: nam dum in inflammationibus præcoces purgationes, ante concoctionem

Ratio. Solutiuũ duobus modis incalfacit.

Partium sententiæ explicatio.

Galeni commẽtatio suspecta.

Nostra opinio.

Erroris occasio.

scilicet fieri uiderunt, ne ab Hippocrate aut alijs discederent, duplices morbos turgentes uidentur excogitasse. Et cùm hæc distinctio quibusdam non satis tuta appareret, præsertim ijs qui morbos longos turgentes formidabant dicere, alteram adiecerunt, qua purgationem in eradicatiuam & minoratiuam diuiserunt. Atq; ijs duabus distinctionibus aduersus omnem obiectionem tanquam muro obmuniti, & opus medicum & ægrorum salutem paucis uerbis turbauerunt. Neque hic autoritate Galeni terrentur, dicentis, palàm in omnibus morbis longis debere expectari concoctionem, quia tantùm eradicatiuam, ab eo ante concoctionem damnari contendunt: uerùm non solum eradicatiuam, sed & minoratiuam in morbis longis ante concoctionem hi duo seniores magistri uetant: nisi fortaßis minoratiuam appellent, quæ modice uentrem remollit, ac simul seorsum succum abducit. de illa enim nulla est cõtentio, quin in omnibus ante concoctionẽ admittatur. Sed manifestum est, Neotericos nihil minus quàm de illa minoratione loqui, qui medicamentis attrahentibus in principio palàm utuntur. Iustius ergo fecissent, si purgationem hoc loco in euacuationem & reuulsionem fuissent partiti. nam & nos antè diximus similes Aphorismos de euacuatoria tantùm scriptos esse. Sed neq; hæc commentatio illorum potuisset patrocinari erroribus: quoniam purgatio reuulsoria non nisi fluente materia administratur, ipsi uerò nullo fluxus respectu usque in finẽ idẽ faciunt, ac etiã dum stabilito morbo eam sæpe resumunt. Iam talis purgatio reuulsoria non in omnibus, sed tantùm his qui cum inflammatione aut simili affectu sũt, conuenit: ipsi uerò uel maximè idipsum in simplicibus febribus (ubi nulla reuulsione opus est) faciunt. Itaque neq; illorum abusus, neq; commentatio excusari potest. Sed quemadmodum sæpe aliàs diximus, in ijs solis qui turgent acutis, materia ante concoctionem rapienda est, nec excusatur hæc præcox purgatio, per materiam, quæ in primis paroxismis accenditur. nam hæc per febrem quodammodo restatur, certè minor relinquitur, quàm quæ purgationem desiderat. deniq; naturæ minus molesta est, & iam quodammodo per putrefactionem in aliam naturam uersa. quare seorsum nulla expurgatione indiget, sed simul cum alio tandem humore

Duæ friuolæ Neotericorũ distinctiões.

Purgationũ altera reuellit, altera deriuat.

Multiplex error.

Breuis occupatio.

more pulchre decedit.

APHORISMVS XXV.

SI tale purgetur, quale oportet, res bene cedit, & facile fertur.

HOC Aphorismo, quasi coronide, claudit primum librum. dictus est autem hic Aphorismus antè, neq; nunc illius enarrationem oportet repetere: nam promptum est eam ex præscripto loco quærere: quippe eadem est ipsius commentatio, quamuis quòd nunc asscribitur, sit alia ipsius occasio.

APHORISMOR.

LIBER II.

APHORISMVS I.



IN QVO morbo somnus laborem facit, mortale: si uero iuuat, non mortale.

ALIQVANDO, sed raro, in principio accessionis sitis lacessit, dum fortè in uentrem multa bilis irruit. Eodem modo putat Galenus in principio accessionis somnum accidere, dum fortè fortuna cerebrum multa pituita obtinetur. Et re uera in pituitosis ita contingere potest. Sed interdum idem symptoma in biliosis euenit febribus, in quibus somnus magis sequitur spiritus & sanguinis retractionem, quàm fortunatam in cerebrum defluxionem. Quippe duos in principio accessionis febrium intermittentium motus cogitare oportet. Altero è uenis materia in habitum corporis excutitur. Altero (atq; is iam dictum sequitur) spiritus & sanguis ad interiora reuocatur, natura acrimoniam atq; molestiam humorum incumbentium dedignante. Atq; hæc quidem reuocatio, si quidē

Raró sitis in principio febris.

Causa somni in principio febris.

Duplex motus in febriū principio.

fortis fuerit, somnum ineuitabilem facit. Repugnare utriq; symptomati oportet. nam siue in principio superbibas, siue indormias, febrim proro-gas, & consistentiam eius moraris. Quippe potus materiei putrefactio-nem differt, somnus uerò materiam quæ affatim foras excuti cœpit, intrò refert, saltem retinet. Atque hæc de febribus intermittentibus. Nam ne-que rigor, neq; horror, aut similes annotationes uidentur in ijs, quæ ipsis respondent, continuis: non enim in ijs foras materia ruit, sed intrò occul-tè disponitur. Nihilo secius & hic quoq; somnus offendit: non tantùm in primis, sed & omnibus sequentibus exacerbationibus. quoniam cõiun-cta materia, quæ in harum principio ab antecedente superari cœpit, per somnum quodammodo compingitur. Quòd uerò in principijs ipsarum in flammationum somnus egregiè noceat, palàm experientia arguit, & Ga lenus in commento docuit, ubi inquit: Si qua uerò inflammatio fuerit cir ca uiscera, rationabile est ipsam augeri. Durius est quod sequitur, dum ait: Etsi humores aliqui ad uentrem fluunt, non æquè atq; in alijs somnis concoquuntur, sed plures fiunt incocti permanentes. Nam si illos simpli-citer crudiores per somnum reddi autumat, sermo falsus est. est autem ue risimile, quòd duntaxat plures concurrere intelligat. Atque ij sunt præ-cipui casus, quos Galenus ab hoc Aphorismo excipit. Accedunt & ij, qui peste laborant: quippe & ex ijs multi dormituriunt: credo quòd cor-de patiente spiritus & sanguis ad interiora regurgitant, atq; ea ratione per accidens somnus urgeat, non sine periculo: nam materiam malignam ac pestilentem, quam foras rapi oportuit, intrò reuocat. Eadem ratione & in cachecticis breuis somnus aliquando offendit, quòd ab habitu no-uam materiam potius introducit, quàm interiorem concoquit. Econtra-rio in sanis excrementa potius in habitum leuat, atq; dissipat. argumen-to sunt, qui interdiu meridiantur, aut nocte media exurgunt: oscitant e-nim, & pãdiculantur. Interim & qui ante cibũ dormiunt, magis quàm qui meridiantur, detrimentum corporis incurrunt. Causa mihi uidetur, quòd somnus quando non habet quod concoquat, spiritum, in quo uires nostræ habitant, difflat. Huic attestantur, quos aliquando conqueri au-dias, somnum sese ipsis potentiorem: nimirum ut in alijs per somnum ui-

Somn⁹ & potus in principio paroxismi febrẽ prorogant.

Etiam in prĩcipio exacerbationis continuarũ somnus offendit.

Somnus in principio exacerbationũ inflãmatiõis ipsam auget.

Sermo dur⁹.

Somnus uehemẽter nocet in principio pestis.

Rarus casus.

Somnus ante meridiem nocet, & post ipsam.

res

Somnus aliquãdo uires frangit.

Somn⁹ à missione sanguinis egregiè refrigerat.

res firmantur, ita econtrario in huiusmodi franguntur. Sed & hoc obseruandum est, quòd quosdam somnus offendat statim à missione sanguinis. ausint quidam dicere, quòd ab eo tempore facti sint imperpetuũ somnolentiores: fortè quòd talis somnus egregiè infrigidet, aut quia motus ad interiora geminatur. possem afferre noctem eam, quæ crisim præcedit, atq; discretionem humorum non sine aliqua corporis tempestate sequitur. De his casibus in hoc proposito Galenus nihil scripsit, sed de somno in principio paroxismorum intermittentium, atq; adeo in ipso initio inflammationum dixit: quòd licet molestus, mortalis tamen non sit. Adijcit, quòd non quidem propriè, sed communiter hic somnus noceat. Forsitan per communem læsionem intelligit eam quæ per accidens euenit. hoc & ipse demum explicare uidetur, ubi in his locis somnum per se nouum afferre incommodum negat: sed duntaxat utilitate uigiliæ carere declarat. & re uera ita est: nullum enim nouum priuatio affert incommodũ, sed duntaxat boni desiderium. Adeo miror, quòd Galenus hoc attribuere apparet soli somno in principio accessionum. nam neq; in statu, ne in declinatione quidem quicquam per se mali aut boni præstat, sed ijs quæ tempore somni fiunt feruntur accepta. Occurret autem hic primùm humorum retractio. fortaßis præstaret humorum in somno unionem aut retentionem, quàm retractionem dicere. nam neq; Galenus in commento somnum per retractionem fieri dicit, sed id duntaxat adfert, quibusdam philosophis & uigiliam & somnum fieri, secundùm caloris naturalis commotionem. Et de eo quidem problemate statim. Nunc cur molestus somnus sit in declinatione suspectior, quàm in principio, aut alijs prædictis casibus, facilè est colligere: etenim in prioribus casibus nunc humorũ multitudinem intro refert, nunc foras citat: in declinatione uerò nõ nisi corrũpẽdo offendere potest: nũc multo periculosius est humores corrũpi, quàm intrò referri. Itaq; alibi duntaxat somnus malũ prorogat, aliquando etiam finẽ & crisim futurã enunciat: in declinatione uerò periculum significat. nam nisi morbus cõcoquatur, nihil illi bene euenire potest. Neque principalis huius corruptionis causa somnus est (nã somnus potius cõcoqueret) uerũ aliquãdo materia tam maligna est, ut ne per somnũ qui-

Somnus per se nihil facit.

Quid in somno fiat.

Somn⁹ in declinatiõe molestus nõ est, nisi qui materiam corrumpit.

Occupatio.

Pessimum signum.

dem eius corruptio cesset, sed incorrigibilis resistat. Atq; id propemodum morbũ natura superiorẽ significat, in quo ferè uno consistit morborum omniũ mortaliũ caput. Rectè ergo Galenus distinxit, quòd somnus laboriosus in declinatione, nõ autẽ principio letalis existat. Nã in principio materiã cõiunctã detinet, in declinatione uerò antecedentẽ corrũpi significat. Et tamẽ Hugo quærẽs quod obijciat, duos febricitantes fingit, Socratem quotidiana, Platonem tertiana, utrunque autem dormientem in statu, sed citra periculum: Socratem quidem grauiter, sed Platonem duplo grauius. ac tunc sic secum cogitat: non enim in duplo deterius signum esset nocumẽtum factũ ex somno immediatè pòst in Socrate, quàm nunc: ergo immediate post hoc non esset ita malum signum nocumenti somni in Socrate, sicuti nunc est in Platone. sed nunc in Platone non est signum mortale, & tamen immediate post hoc erit nocumentum in declinatione. ergo non omne tale nocumentum in declinatione erit mortale. Credo quòd Oedipus ipse hæc non acciperet. Forsitan ita uult dicere: Esto, ualde grauiter dormiat Socrates in statu, grauius Plato in duplo. pergat autem dormire Socrates in finem usque declinationis, somnus hic erit minus molestus: utpote qui ex suppositione grauis erat: nõ tamen erit letalis, imo minus periculosus, quàm somnus Platonis in statu. Nescio quid ijs rebus Hugo facere uelit. nam hic quemadmodum ubiuis alibi, externa accidentia oportebit circumscribere, sed neque illud obtinebit, quòd Socratis somnus in declinatione, quàm Platonis in statu, molestior erat. Nam licet in statu talis erat, in declinatione iuuare incipiet, nisi materiam corrumpere pergat. nam is quocunque tempore appareat, mortalis existit. Proinde temporum distinctio ad hunc Aphorismum parum confert, nisi quatenus causam molesti somni discriminat. Est autem ex ijs quæ dixi manifestum, quòd in alijs temporibus uarijs modis somnus offendere possit, sed in declinatione non nisi uno modo, scilicet corruptionem promouendo, officere queat. Itaque molestus somnus in declinatione mortalis. Non tamen iucundus semper salutaris: non est enim necesse euicta fortè aut emota parte morbi, forte etiam diffiata, totum morbum in tuto esse. Veruntamen si ne partem quidem morbi natura euincere potest, totum nunquam

Hugonis obiectio.

Hugonis nugæ immẽsæ.

Temporũ distinctio causas discriminat.

Molestus sõnus in declinatione est mortalis, nõ tamen iucundus est securus.

am exuperare ualebit.

APHORISMVS II.

VBi somnus delirium sedat, bonum.

LICET tempore somni calor naturalis sit fortior, tamen eius qualitas noctu quàm interdiu est remißior: quippe motu nonnihil intenditur: atque hæc est prima ratio, cur somnus delirium sedet. Secundò, ut breuior somnus caput onerat, ita mediocris alleuiat, & quæ sunt in uniuerso corpore, nedum capite, potenter extenuat: sic quoque materiam putridam, à qua delirium pendet, sufficienter diffiat. Obscurè ergo dixit Galenus, prius somnum illum, qui uindicat à labore, non nisi inquantum ad talem affectum attinet, fortasse delirium, bonum esse, atque securum. Fortaßis etiam otiosè hoc ab ipso dictum est. Nam quòd nemo ab eo delirio, quod nunc sedatum est, moriatur, uel pueris etiam manifestum est. Melius est ergo simpliciter hoc signum bonum audire, non tamen certum. non enim poterit morbum superare, si fortè partem illius concoxerit, aut expulerit. Quippe altero morborum accidentia deleri contingit, uel quia materia expellitur, uel quia concoquitur. Atque erit, qui uelit eadem ratione priorem Aphorismum infringere: nam neque illic necessum est totam materiam deinceps corrumpi, si quidem pars eius per somnum corrumpatur. Sed hic multum intereſt. Nam ut quis conualescat, totam materiam euinci oportet: at subinde uitium unius partis sufficit totum hominem corrumpere. Iam natura concoctione particulæ morbosæ sæpe obtunditur, at morbus uincendo non grauatur, quin magis grassatur. Animaduertere autem oportet, quòd Galenus in commento delirium non uidetur duntaxat intelligere ipsum symptoma, sed ipsam cerebri inflammationem. Est tamen uerisimilius, quòd Hippocrates symptoma intellexerit.

Somnus deliriũ sedat, quia refrigerat & dissipat.

Sermo parũ acris.

Occupatio.

Leuis animaduersio.

APHORISMVS III.

SOmnus & uigilia utrunque, si modum excesserit, malum.

QVOD somnus & uigilia sint sensus communis, omnes consentiunt.

Somn. & uigilia sensus cõmunis opera.

tiunt. Sed in definitione ac substantia sensus communis pauci cõueniunt. Etenim quidam cum sensu tactus idem illi subiectum definiunt, quidam unum ex uentriculis cerebri illi comparant, amplius quidam illius officij esse dicunt, diuersa sensibilia inter sese conferre, ac præterea de his quæ sensum subeunt iudicium ferre. Ac quòd sensus supra se non reflectatur, est mihi cum physicis commune. & illud magnum est testimonium, quòd in somno iudicamus nos uidere, sentire: quanquam nullus sit sensus hoc tempore, qui agat. Proinde neq; tempore uigiliæ hoc iudicium acceptum fertur sensui, sed interiori alicui potentiæ, & ut mihi quoque uidetur, potius phantasiæ, quàm sensui communi. Proinde somniare uidentur, qui insomnia ad sensum communem referunt. nam errores earundem uirtutum sunt, quarum legitimus usus. Ferè enim insomnia circa species earum rerum sunt, quæ aliquando fuerunt, quasi præsto essent: atque hunc errorem in excitatis sensus discutit. Proinde ut insomnia, ita uerum ac legitimum de diuersis sensibilibus iudicium, ad phantasiam pertinet. Sic quoque si sensus communis, dicente Galeno in libro De symptomatibus, symptomata sint, ueternus & immodica uigilia, somnus & temperata uigilia, erunt eiusdem iusta officia. Nã si male cõcoquere, sit uentris symptoma, bene coquere ipsius munus erit. Hoc & reliquum physicorum uulgus uidetur clàm (licet non animaduertat) asserere: qui tam somnum quàm uigiliam sensu communi refert acceptam. Proinde ego quidem sensum communem nihil aliud puto, quàm potẽtiam quandam cerebri, quæ spiritus creat, atque ad subiectas sibi partes dispensat: quod cùm facere intermittat, somnus existit: adeò ut somnus nihil aliud sit, quàm operationum animalium quædam priuatio, aut si mauis intermissio: non quidem tactus solùm & gustus, ut quidam putauerunt, sed uisus atque auditus, & aliarum operationum animalium, nec rursus omnium, sed quàm plurimarum. etenim spiritus ac multæ aliæ operationes uoluntariæ, tempore somni manent. Id in auibus multis manifestum, quæ rectè dormiunt. & ne ab hominibus digrediamur, decubitus ipse citra uirtutem animalem fieri nequit: ut omittam eos, qui in somno obambulant, scalarum ac graduum discrimina tenent. nam & hos uideree, st uerisimile. uerùm id

De sensu cõmuni uaria disputatio.

Insomnia plerunq; ipsius phantasię.

Somn⁹ & uigilia sensus cõmunis opera.

Nostra definitio.

In somno pleræq; operationes animales feriantur, non tamen omnes.

In somno quidam obambulant, uident, scalas scandunt.

rarius

rarius est. frequens autem somnium: nam spiritũ animalem, cuius medio obeuntur operationes, promptiorem habent potentiæ interiores, quàm exteriores. Itaq; sensus & motus tẽpore somni feriantur: quia citra ipsius spiritus adminiculum obiri nequeũt. Hoc est, quod Galenus in libro De symptomatibus ait, quòd quis profundè uel minus profundè dormit, ex eo est, quòd plus aut minus affluit. Proinde ut uel interiores uel primariæ potentiæ excitentur, non satis est ipsum spiritum in uentriculis desidere, sed in ipsa cerebri substantia oportet elaborari. Atque eo maximè redarguũtur, qui primarias facultates in uentriculis collocant. si quidem enim hic habitarent, tempore somni multo alacrius, quàm in uigilia sui specimen ederent. atque id apertè falsum est. Ergo deinceps quid sit quod spiritum retineat, ordine uideamus. Physici eum, qui antè defluxerat, sursum reuocari ac retrahi putant. & quòd in effectibus ijs, quibus cor consentit, spiritus & sanguis interiora repetat, satis constat: ita & in timore, tristitia, & alijs animi affectibus, nedum corporis, certum est. Sed quid spiritum tempore somni, uel etiam paulo antè reuocet, nemo coniectari audet. Solus Hugo Senensis cerebri frigiditatem asserit spiritum attrahere. scio non ob aliam causam, quàm quia cerebrum ferè hoc tempore frigidius fateri debet. Proinde uerisimile, quòd & omnem aliam qualitatem eius rei causam dixisset, modo sic affectum cerebrum deprædhendisset. Nam quod ad frigiditatẽ attinet, certum est quòd nulla alia qualitas minus ad attrahendum est idonea. Nec tamen aliam ullam eo tempore inuenies auctam. Proinde uerisimilius est ob eam causam, tempore somni exteriora frigere potius, quia influxus caloris naturalis, ex interioribus uisceribus cessat, quàm quia is qui in exterioribus erat, intrò regurgitat. Nam exteriora, semel beneficio interiorum destituta, facilè detepescunt. atque hoc est in quo fallũtur Neoterici, qui putant exteriora non posse detepescere, nisi qui præfuit calor, retrahatur. at contrà eos cogitare oportuit, exteriora calorem & uim suam ab interioribus recipere. Et in uigilia quidem membrorum motus continue nouum spiritum & sanguinem aduocat. dum uerò tempore somni feriari incipiunt, paulatim in ipsis calor perit, ac spiritus decrescit. Proinde ego spiritum tempore somni po-

Spiritus animalis tẽpore somni recreatur.

An spiritus animalis in somno retineatur, an reuocetur.

Audax Hugonis facin*.

Frigiditas minime idonea ad attrahendum.

Motus calorem foras uocat, ignauia intus retinet.

tius dicã retineri, quàm retrahi. Attestantur his causæ somni ferè omnes. In primis naturalissimus somnus est, qui exercitium sequitur, adeò ut Galenus eos alibi irrideat, qui somnum desiderant, & tamẽ exercitium detrectant. Ferè enim ij soli iucundissimè dormiunt, qui legitimè exercentur. Scio quòd iustum atque opportunum exercitium humectet, uerùm ea ratione somnum facit, quia spiritum animalem exoluit, citra suspicionem tamen. Nam licet nonnihil spiritus eo exoluatur, postea cum fœnore reponitur. Iam melius est, spiritum nonnihil extenuari, quàm perpetuis uigilijs aut etiamdum immodicis corpus ac cerebrum inflammari, exiccariq;. Palàm ergo est, quòd somnus ab exercitio nequaquam fit per spirituũ retractionem, sed illorũ detentionem aut exolutionem. Huc accedit, quòd ignaui quidam perpetuò dormituriunt: nam exercitium quod spiritum à cerebro ad inferiores partes deducere solebat, detrectãt. itaq; uel in ijs spiritus potius detinetur, quàm retrahitur. Ita & alij quidam citra necessitudinem ullam, ex sola ignauia sese ad dormiendum componunt. Quòd si quidam in somni principio sese retrahant, non est hoc ex eo, quòd spiritus retrahatur, sed quòd nobis labi uidemur. Fortè autẽ hoc nobis accidit, quia spiritus externa membra relinquit: certè nulla retractionis occasio in ijs subesse apparet, sed ipsa ignauia ad detinendos spiritus sufficit. Etenim motus spiritum & sanguinem ad se prouocat, et naturam quodam modo auarã uellicat, & quasi sui muneris admonet. Quod dixi de motu corporis, de motu animi intelligo. nam & hic magna contemplatio, sublimis meditatio sæpe somnum aduocat, nimirum & ipsa spiritum animalem abbreuiat. addo, quòd anima dum uni uehementer ex omnibus intendit, reliquorum obliuiscitur, ac tandem etiam in hac parte, uel laßitudine, uel recreatione soluitur. non enim in his tantùm somnus obuenit, sed & uenere exolutis, & aliter iucunde perfrictis. Hanc ratiocinationem Hugo Senensis non intellexit, & propterea ridicula quædam de hoc somno dicit, qui in se inuicem uentriculos cerebri cõtrahi suspicatur. Eodem puto modo laborauit in definitione somni uoluntarij, qui ex ignauia cœpit, ac torpor quodammodo existit. At nobis paratum est dicere, quòd tam motus animi, quàm corporis, atque etiam

Duobus modis exercitiũ somnum conciliat.

Leuior occupatio.

Cur ignaui semper somnolenti.

Frequens in somno accidens.

Magna contemplatio sæpe somnum adducit.

Ridicula Hugonis opinio.

tiamdum uoluptas spiritum exoluat, quies uerò detineat. Lubens hinc ad internos & quasi materiales somni causas abeo. nam hæ multo manifestius somnum per detentionem spirituũ fieri declarant. Exempli causa, humiditas quæ fortè à uentre leuatur, fortè in cerebro oritur, & somnifera est, nequaquam spiritum retrahit, sed tantùm intercipit, & ne ad inferiora deriuetur, impedit, dum extrema uentriculorum occupat. Qua autem occasione spiritum deferri, eadem & iterum referri prohibet. Sed neque frigiditas rursus, quæ soporem quendam facit, spiritum quidem reuellit, sed extinguit. Ac de his quidem satis. Nunc quid somnus longior, aut etiamnum uigilia significet, considerandum est: neque id fieri potest, nisi primùm inter qualitates, quæ prima, quæ secũda somni causa existat, definiuerimus. Videtur enim Galenus alibi alia dixisse. etenim in alijs, ac præsertim quarto De prædictione ex pulsibus, ut primam causam uigiliæ siccitatem, ita primam causam somni humiditatem statuit. hic uerò ea omissa frigiditatem incusat. Ex hoc loco Hugo Senensis mihi uidetur erroris occasionem traxisse, ut simpliciter frigiditatem primam causam somni statueret. sed falsus est. Non enim ipse somni primam causam frigiditatem statuit, sed somnum longum cerebro refrigerato fieri dixit. Atq; id excusari poterit. nam licet in somno longo ferè semper frigiditas copuletur, interim humiditas maiorem partem sibi uendicat, uel ob eam causam, quòd humiditas spiritum impedit, frigiditas uerò extinguit. Hæc certè mihi causa uidetur, cur humiditas prima, frigiditas uerò secunda somni causa, ab eo dicatur. Accedit & altera, quòd somnus ex sola humiditate fieri potest, syncera autem frigiditate nunquam. Ita in febribus acutis apparet: non enim omnes peruigiles manent, & tamen diuersæ corporis partes, nedum cerebrum, incalescunt. Hic Hugo Senensis iterum turbatur, ac pro uerbis suis certat, quando sententia cedere cogitur. Nã quia pertinaciter prius asseruit cuiuslibet somni primam causam frigiditatem, occurrentem nunc caliditatem, detrectat caliditatem appellare, mauult frigiditatem ex caloris naturalis desiderio comparatam dicere. Itaq; modo liberè loquatur, non solùm frigiditatem, sed & caliditatem (res ridicula) causam somni statuet. Melius dixisset, & hic ipsum cerebrum nonnihil

Humiditas cerebri spiritum animalem retinet.

Prima causa somni humiditas. Secunda uerò frigiditas.

Hugonis error.

Humiditas spiritũ intercipit, frigiditas extinguit.

Causæ somni in febrib⁹ acutis.

Puerile subterfugium.

refrigerari, cum alijs uisceribus comparatum. saltem quòd humiditas eò perlata concrescere possit, alibi dictum est satis. Atq; hæc est, quæ somnũ etiam longum committit. Vbi uerò profundus sopor quodammodo est potius frigiditas, quàm humiditas, huius causa existit: frigiditatem enim, non autem humiditatem, sopor semper requirit. est enim ubi cum frigida & sicca, quippe melancholica materia coniungitur. Eius quod de somno & sopore diximus, contrarium in uigilia & delirio est intelligendum.

Profundi sõni causa frigiditas.

Nam & uigilia citra caliditatem ex siccitate sola: delirium uerò ex caliditate sola fieri potest. rarum enim ex sola aut superuenienti siccitate hoc ipsum symptoma est. Vt ergo ad enarrationem Aphorismi ueniamus; si somnus in longitudine modum excesserit, humiditatis excessum significat: si uerò in profunditate, frigiditatis. Oportet autẽ & hîc externa accidentia circuncidere, & nisi uehementius aliquod exercitium præcesserit, distinguere. Sic & uigilia, si solito longior fuerit, siccitatem: si uerò pertinacior, caliditatem arguit. Huius quoq; causa ex prædictis nota est. Nam siccitas meatus aperit, humiditate asserit, spiritibus cõmeatũ præbet, idq; tantùm. caliditas præterea eos incendit, atq; omnẽ humiditatẽ absumit. Hæc immodica somnus & uigilia indicant, atq; malum geminant. Superest quem longum, quem breuem somnum appellamus, definire: atq; id quidem statim faciemus, si modò quod de catalepsi Galenus in commento docuit, obiter explicauerimus.

Delirij prima causa caliditas, secũda siccitas. contrario modo se habet uigilia.

Aphorismi breuis enarratio.

Differẽtia inter caliditatẽ & siccitatẽ.

Nam catoche, catalepsis, rariores apud Barbaros morbi, apud Græcos etiam parum inter se discreti: quippe differentia ipsorum nominum lubrica est, adeo ut sæpe catochen pro catalepsi inuenias: atq; id quidem condonari potest. Veruntamen ubi ex proposito illorum quæritur differentia, distingui debet, & utrunq; suo more definiri. Atq; id parum mihi obseruasse uidetur Paulus Aegineta: nam ubi catochen propriè dictam redderet, palpebras distrahit. Galenus uerò alibi, & in libro De pulsibus ad tyrones, catochen partim conniuentibus, partim inconniuentibus oculis describit. Amplius Paulus Aegineta in catoche spiritum aufert, at Galeno in catalepsi ac catoche secundùm naturã seruatur. Certè in catoche longè maiorem, quàm in apoplexia difficultatem exhibet. Proinde satius est nos primò præcipuum locum affectum inquire

De catoche & catalepsi aliquot difficultates.

Differẽtia inter Galenum & Paulum.

quirere. non enim satis est generatim cognoscere, quòd hæ affectiones omnes cerebri ipsius sint, sed oportet specialius ex Galeno audire, quòd in apoplexia & cerebri corpus & uentres ambo patiantur, in sopore uerò & morbo comitiali uentres præcipue. deniq; in sopore magis prior, in catalepsi uerò & catoche magis posterior. Atq; unde id Galenus coniectatus sit, quis dubitet. nunquid ex eo quòd in sopore magis sensus, in catalepsi uerò & catoche magis offensus sit motus? Hæc certè unica est inter utriam prioris & posterioris partis differentia. Difficilior est alterius discriminis, uel differentiæ coniectura, qua in epilepsia uētres, in apoplexia magis cerebri ipsius corpus pati existimat. ac de eo alibi, copiosißime autem in libris De locis affectis. Nunc deinceps inquirēdum est, in quo catoche, catalepsis, sopor, à se inuicem differant. Et quidem soporis discrimen à catoche nomenclatura Latina, qua uigilans sopor dicitur, satis manifestè dirimit: quippe ex eo constat, quòd in catoche permixta sint symptomata soporis & uigiliæ, nimirum & humores inuicem miscentur. Igitur Arabici suum subet male definiuerunt ex humore pituitoso. nam certū est, quòd id loco catoches supposuerunt, aut certè catochen omiserunt. Rursum catoches & soporis à catalepsi manifesta est differentia, quippe in catoche ferè, ut in sopore, tam motus, quàm sensus est quædam impotentia: in catalepsi uerò unus omnium ferme membrorum more mortuorum rigor. Causam huius putat Aegineta materiam frigidam & siccam, in posteriore cerebri uentriculo impactam. Sed hæc definitio manifestè falsa est, quoniā huiusmodi melancholicus succus nihilo secius, quàm pituitosus in hoc posteriore uentriculo, aut apoplexiam, aut certè epilepsiam committit. Forsitan ergo citra materiam, catalepsis ex sola frigiditate & siccitate posterioris partis cerebri cōtingit, ac per consensum uniuersos neruos inuadit. Hoc & Neoterici uidentur mihi indicare, qui congelationem eodem modo finiunt, quam ego apud illos nomine catalepsis accipio: saltem tam catalepsis, quàm congelatio in eodem statu hominem detinet, in quo occupat. Proinde mirandū, quòd Galenus oculos apertos in eo definiuit. Forte hoc tantùm discernit, quòd in sopore concludūtur, in catalepsi nōnunquàm manent aperti. Hæc sunt, quæ ego eruta cuperem ab ijs qui ho-

In apoplexia uētres & cerebri corp⁹.

In sopore & epilepsia uētres.

In sopore prior.

In catalepsi & catoche posterior uētriculus.

In catoche permista uigiliæ & soporis symptomata.

Catoche & subet idem.

In catoche impotētia & flacciditas. In catalepsi uerò rigor.

Aegineta falsus est.

Catalepsis forte eadem cū Neotericorū congelatione.

Difficultates uariæ.

die methodos, imo citra methodum generales omnium morborum curationes scribunt. Nam ueteres transcribere, & cum ijs aliquando Neotericos committere, maioris est negotij, quàm ingenij, & transcribentis potius, quàm commentantis opus. Certè catalepsis hactenus nobis incognitus morbus est. ita & uniuersi corporis tetanos, qui à catalepsi (ut mihi apparet) ferè sola differt mentis integritate. Nam, licet inæqualiter, tam in sopore, quàm in catalepsi ac catoche mens ipsa ac sensus exoluitur. Atq; hæc de prædictis morbis ob affinitatem eorum, quæ in hoc commẽto dicta sunt. Nunc somnum, quod antè pollicitus sum, metiri oportet, & quis longus, & quis breuis, obiter definire. Primùm autem mediocrẽ oportet describere, qui in temperatis, prout communiter dicitur, corporibus, est septẽ ferè horarum: in calido & sicco corpore pauciorum: in frigido etiamnum plurium. Quod nequaquam temere, sed ex ratione concoctionis acceptum est. Nam tanto tempore somnum morari conuenit, quanto prima concoctio perficitur: non enim pro ea quæ in hepate fit natura aliàs sex aut septẽ horas relinquere debuit, quia hic calor naturalis per se sufficit. Ergo tãtus somnus sufficit, qui concoctioni in uentre respondet. Neque ita sese facultas cerebri uentri atque epati comparat, quia sic competere intelligit: non enim intellectum poßidet, neque ita semper contingit: sed quia in conformi corpore, tanto tardius spiritus in cerebro frigido regignuntur, quanto stomachus frigidus tardius concoquit. Nec id magis mirum est, quàm quòd stomachus non solùm sibi, sed & uniuerso corpori satis appetit. Etenim prima natura sic partes inter se comparauit. Iam longitudo somni multitudinem uaporis sequitur, hæc autem rationem cibi: itaque sese inuicem ferè imitantur. Igitur unumquenque somnum ad suam naturã æstimare est, & ex illo ratiocinari. Non enim solito prolixior tantũ malum signum est, sed & causa. excessum namque humiditatis significat, atque nonnunquam frigiditatis. parit autem maiorem, idque duobus modis: quippe difflatione sua calorem naturalem diminuit, & longa membrorũ requie, calor naturalis in ipsis flaccescit. Contrà longa uigilia siccitatem, sæpe etiam caliditatem significat, atque utranque qualitatem auget. scilicet longa fatigatio spiritus resoluit, corpus incalfacit & desiccat. quippe uires

Catalepsis à tetano differentia.

Mediocris somnus.

Tempus sõni & concoctionis fere inuicem imitantur.

Proportio quædam concoctionis cibi & uaporũ.

Somnus diuturnior & signum malũ & causa.

Longioris uigiliæ incommoda.

uires animales agendo fatigantur, naturales uerò & uitales operando instaurantur. Laudatur ergo somni ac uigiliæ uicissitudo, atque utriusq; mediocritas, ut operationes naturales uicissim atque animales administrentur. Tanto magis Galenum demiror, qui in fine commenti uigiliam mediocrem, hoc est, paruam intelligit, quasi nulla simpliciter uigilia mediocris esset. Profectò nihilo probior hæc excusatio, quàm illorum obiectio, qui nullam uigiliam moderatam putant. Quorum uera esset astructio, si quidem somnus perpetuus bono esset. At quis unquàm ita insaniuit? Itaq; uel ego ipse totus in hac parte cœcutio, uel Galenum cum illis delirare puto. Atque ex hoc loco facile est uidere, quàm nullum sit tam eximium ingenium, quod non aliquando præ labore confundatur: nisi fortè id ab alio fuerit asscriptum uel uitiatum. Certè antiqua translatio obiter hunc locũ præterit. Videretur mihi dictio melior, si pro uigilia, insomnia legeretur. Græce enim legitur ἀγρυπνία. ut hic esset sermo, Omnem somnum longum quidam appellant soporem, adeò ut nullum somnum longitudine excedere contendant. Ita econtrario quidam insomniam solius excessus nomen putant, utpote quòd fortassis perpetuam iuxta illos insomneitatem significet. Et quidem priorem criminationem satis Galenus absoluit, qui somnũ omnem æquo longiorem, soporẽ esse negat. Ita dicere licebit, quòd insomnia quoque non sit perpetua absque somno uigilia (quippe hæc perniciosa et letalis) sed insomniam aut uigiliam, dicimus operationum animalium uicissitudinem. Atq; hæc quidem aliquando temperata est, & iusta: aliquando diuturnior. Sed huic iterum excusationi obstat illa dictio, quòd mala interim bona dicuntur, maioribus comparata. Quid ergo huic loco faciam nescio. mirum est, quòd tam multi commentatores hunc locum præterierunt.

Animales operando fatigantur.

Naturales ac uitales recreantur.

Admirabilis Galeni dictio.

Insania.

Galeni delirium.

Leuior coniectura.

APHORISMVS IIII.

NOn satietas, non fames, neque aliud quicquam quod modum naturæ excesserit, bonum.

NATVRA nostra quandiu bene affecta est, in mediocritate ferè omnium sita est, liberaliterque ad omnia se habet. Hinc est, quòd sani nihil

Natura temperata ad oĩa promptè sese habet.

nihil grauatim admittunt, sed delectantur omnibus, nunc pisce fruuntur, nunc carne, nunc cereuisia, aqua, nūc uino, eoque rursum albo, rubro, & nigro. At qui ægri sunt, uix alterum extremorum ferunt. Itidē inter male natos quidam carnem fastidiunt, quidam piscem, quidam butyrum. In omnibus si quid præter consuetudinem eueniat, ægritudinem prænūciat, & siue color, siue odor, siue aliud accidens in corpore innouatum fuerit, suspicionem saltem morbi annunciat. Imo quod magis miraberis, si quispiā solito promptius audiat, illustrius uideat, nec is quoque modo subito euenerit, à malo abest. Nam hæc omnia naturam à pristino habitu recessisse ostendunt, nec stare, sed ad intemperamentum aliquod properare, tātum abest, ut fames præter solitum aut satietas malum non indicet. Nam ex maximis ista sunt accidentibus. & satietas quidem aut repletionem, aut caliditatem significat, aut etiam extremum frigiditatis excessum. Fames uerò econtrario aut uehementem inanitionē, aut iterum frigiditatis plurimam uim. nam frigida intemperies donec ad extremum deuenerit, ferè famem auget, tandem uerò irreparabiliter aufert. Decrepiti in exemplo sunt, qui in principio edaces fiunt, ac deinde omnia fastidiunt. Loquimur autem in his duobus Aphorismis de spontaneis eiusmodi accidentibus. Nam ex ieiunio fames, aut ex crapula satietas potius morbos parit, quàm indicat. Itaque nunc non expedit dicere, utrum magis perniciosa sit extrema satietas, an extrema inanitio: nempe de his in priore libro magis opportunum fuit dicere. Reliqua fortè circa illū Aphorismum, Vbi fames est, laborandum non est, enarrabimus. Sed non est mala Hugonis dubitatio, an magna illa plenitudo, quæ satietatem parit, morbus sit. etenim appetitum lædit, quanquam ad nullum genus morbi statim facilè referri poßit: & propterea mihi magis causa morbi, quàm morbus apparet. Ita uulgò dicimus morbum ex plenitudine. Ferè enim plenitudinē aut frigiditas, aut caliditas sequitur. Sed quandiu corpora ipsa neutra sunt, tā tisper ipsa intemperatura latet. Veruntamen plenitudo neque neutram neque ægram dispositionē facere potest, donec aut intemperamentū, aut ulcus, aut uitiū aliquod in formatione fecerit. Potest tamē sine detrimēto corporis, aliquantisper appetitus diminui: quoniā corpus habet, quod illi suffi

Intemperati. Quicquid præter consuetudinem etiam in melius euaserit subito suspectum est.

Satietas unū ex tribus significat.

Decrepiti edaces.

An plenitudo sit morbus.

sufficiat. non enim appetitus diminutio ubiq; intemperamentum arguit, duntaxat ubi intemperamentum sequitur: alioqui aut perpetuò ægrotare, aut famere oporteret. Hoc igitur est, in quo ego ab Hugone dissentio, qui morbum plenitudinem non grauatur admittere. Oribasius autem nihil, quod non admodum puerile sit, adiecit. itaq; quicquid illius est, meritò possumus præterire.

APHORISMVS V.

SPontaneæ lassitudines morbos prænunciant.

NOMEN lassitudinis unum quidem est, sed uarios interim affectus significat, communiter eo nomine inaudiuntur affectus, qui immodicum exercitium sequuntur. Sunt autem apud Galenum tertio libro De sanitate tuenda, tres aut quatuor eius generis. Aliquando lassitudo significat istorum affectuum principium. Sic dixit Cornelius Celsus, quòd legitimi exercitij terminus est lassitudo citra fatigationem. Magna est differentia, quia hæc lassitudo sola quiete castigatur, atq; recreatur, priores apotherapiam desiderant, unctiones, frictiones, balnea, quæ in tertio De sanitate tuenda describuntur, & lassitudines laboriosæ appellantur. Sunt autem præcipuè tres, tensiua, ulcerosa, phlegmonosa. Succedunt ijs lassitudines spontaneæ, quæ (ut nomen arguit) per se citra ullum laborem eueniunt. & iterum tres numerantur, & quod mirum est, eadem nomina obtinent. Differentia est, quòd phlegmonosa laboriosa simplex est. spontanea uerò composita. Causa discriminis est, quia differentia laboriosarum lassitudinum ferè sumuntur penes diuersitatem locorum, sed spontanearũ penes differentiam humorum. Nunc humores duplices sunt. aut enim quantitate peccant, talis sanguis est: aut qualitate, tales sunt reliqui tres humores: & hi quidem ulcerosam lassitudinem faciunt, plerunq; autem hæc lassitudo ardentem prænunciat. nam & ex pituita aut melancholia rara ualde. Sed neq; ex bile potest fieri tensiuus labor, quia acrimonia grauitatem obscurat, tantùm ex sanguine. Qua de causa nequaquam quatuor simplices numerantur, sed tantùm duæ. Duo enim humores, si quam faciunt lassitudinem, ulcerosam faciunt. Tanto erit difficilius dicere, ex

Lassitudo uaria significat.

Lassitudo citra fatigationem.

Lassitudines laboriosè apotherapiã desiderant.

Lassitudines spontaneæ.

Lassitudo phlegmonosa, laboriosa, simplex.

Spontanea composita.

Plenitudo & humorum uitium sæpe coniũgũtur.

quo humore phlegmonosa laßitudo. nam ut apparet, plenitudo, & aliorũ humorum uitium, simul committi nequeunt. Nunquid ergo Galenus sine ulla neceßitate manifestè falsum dixit, aut plenitudinem cum cacochymia malè coniunxit? Absit. præsertim cùm id non obiter, sed multis uerbis in quarto De sanitate tuenda astruxerit, ex quo libro, maximè autem ex libro De plenitudine, constat, quòd plenitudinem non solùm uocamus boni ac temperati sanguinis in toto abundantiã, sed etiã pituitosi, melancholici, ac biliosi. Non est autem impoßibile, cũ hac plenitudine alterius quoq; humoris committi uitiũ, fortaßis bilis. Nã, ut diximus, hæc præcipua est, quæ & morbos acutos & ulceris sensum cõmittit. Proinde tensiua laßitudo synochum absq; putredine, phlegmonosa uerò synochum cũ putredine præsagire apparet. Plura super hac re in quarto Aphorismorum dicemus: quoniam neq; Galenus neq; alius quisquam ante illum, quod sciam, hunc nodum, unum tamen ex maximis, explicuit. Attamen nemini non occurrere potuit. Forsitan & Auicenna propter huius loci ignorantiam, quædam uel obscurè uel malè de phlebotomia præcepit. atq; hæc alibi. Nunc autem indicasse satis est ultra Galenum, quòd qui per lassitudinem phlegmonosam iudicantur morbi, maximè ex sanguine bilioso fiunt. Minantur autem & reliquæ duæ suum malum, sed quæ in tertio sanitatis tuendæ describuntur, ferè securæ sunt, adeò ut has sanorum symptomata dixerit Galenus: si quidem aliquod in sanis symptoma inueniri poßit. Sed de nominibus contentionem dimittere oportet, atq; res ipsas duntaxat inspicere. nam propriè loquendo fortaßis neq; spontaneæ laßitudines symptomata sunt: quoniam neutra hæc sunt corpora, nec dum ægra: sola tamen quantitate differunt ab ijs, quæ in ægris reperiuntur. atque hac de causa aliquando eas inter symptomata numeramus, atq; ad actiones læsas referimus. Nondum tamen Hugonem intelligo, qui per actionem læsam aliquando simul & corpus & uirtutem intelligit, nam laßitudo manifesta, motus symptoma est. Grauius peccat, ubi in definitione ægri corporis omnes operationes uult lædi: Totum, inquit, aggregatum in communi. ita enim ipse appellat. Mirum profectò, si aliqua sit ægritudo, in qua omnes simul oblæduntur. Quòd si omnis ægritudo ta

Aliquando plenitudo cũ uitio humorum coniuncta est.

Lassitudo phlegmonosa ferè febri ex sanguine bilioso arguit.

Laboriosæ lassitudines.

Hugonis mirabilis expositio.

do talis sit, omnem ægritudinem esse letalem necesse est. Multa alia absurda cōmittit, tum hic, tum alibi, ubi potius uerba respicit, quàm rē ipsam attendit. Nam laßitudinem potius sensus, quàm motus symptoma cogitat. Atq; hic forsitan excusari poterat: quoniā sensum in sua definitione accipit, nec impedit quicquam per unum nomen duo denotari symptomata. Sed quid, quòd phlegmonosam laßitudinem simpliciter simplicem appellat, atq; ulceris & tensionis sensum ab ea aufert? nunquid hoc est planè Galenum contemnere, obscurare, uel saltem non intelligere? Hoc tamen ipse bene adiecit, non omnem dolorem, sed tantùm grauem ac constantem arguere morbum. Habet autem hoc ex tertio Technæ libro.

Intolerabilis error.

APHORISMVS VI.

QVicunque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorē non sentiunt, ijs mens ægrotat.

NIMIS breuiter uidetur mihi Galenus hunc Aphorismum perstrinxisse. Nam si paulo altius rimemur, occurret difficultas non una. Primùm enim de dolore continget dubitatio, an unquam sentiatur. Secundò quid per mentem intelligat, animum, intellectum, memoriam, sensum: diuersa enim translationes tradunt. Neque uideo, quis tandem sensus illius erit: si quidem pro libidine unum nomen toties mutare licebit. Quocunq; autem modo accipiatur, nō minus est tertium dubium, quomodo istarum potentiarum labor dolorem obscuret. Ac de primo quidem uaria & cōfusa apud Neotericos inuenio. Tribus autem opinionibus præcipuis (quasi non sufficerent) adiecit Hugo quartam. Nulla autem ex omnibus hactenus mihi probanda uidetur. Quippe quarta, quam Hugo Senensis apposuit, & secunda, dolorem quidem, non sensus tactus, sed uirtutis appetitiuæ uel phantasticæ (nam ipsi has uirtutes, ut ferè alias, quas non cognoscunt, inter se confundunt) paßionem dicunt. Differentia tamen est inter has duas opiniones, quòd quarta, quàm Hugo præ alijs duabus opinionibus potiorem habuit, etiam in qualibet parte corporis phantasiam ponit: adeò homo de phantasia phantasticus est. Sed neq; secunda mihi commendari potest: quoniam dolor, dicente Galeno, alterius symptoma

An dolor sentiatur.

Interpretum uarietas.

Tertium dubium.

Opinionum uarietas.

Secundùm quosdam dolor affectus uirtutis phātasticæ.

Hugōis opinio ridicula.

Dolor ad phantaſiã nihil pertinet.

eſſe non poteſt, quàm ſenſus tactus: itaq; nihil ad phantaſiam ſpectat. Neq; multo melius ad appetitũ referes: nã neq; hunc in ſingulis partibus

Dolor nihil habet cõmune cum appetitu.

reperire eſt, niſi fortè per appetitũ naturalẽ quandã potẽtiã intelligas. Verũ hæc nihil cõmune cũ dolore habet. nõ enim ſenſu fruitur. itaq; neq; dolore moleſtatur. Sed neq; de uno aliquo ex reliquis appetitus ſpeciebus id intelligi poteſt. Nã alius in hepate, alius in ſtomacho, alius in corde habitat, de quibus in Techna, ubi oſtẽdemus nullũ appetitũ in cerebro dominari, niſi quis uolũtatẽ appetitũ forte appellet. Siue autẽ ſic, ſiue aliter quis dixerit, patet appetitũ nullã rationẽ ad dolorem obtinere. Ergo otioſa eſt hæc doloris ad appetitũ cõparatio. Videtur melius ſe habere tertia, quæ dolorem ſenſationem quandam, aut ſenſum definit. Ita enim obiter Gale-

Dolor nõ eſt ſenſus, aut, ut loquũtur, ſenſatio.

nus, non ſolùm Neoterici deſcribere uidentur. Veruntamen ſi propè inſpiciatur, nihil minus abſurditatis continet. Nõ enim quis ſe ſentire ſenſum poteſt dicere, ſed dolores. Bene ergo quidam dixerunt, omnes has locutiones improprias, utpote cauſales eſſe, dolor eſt ſenſus moleſtus aut nociuus, hoc eſt, affectum ſenſum dolor ſequitur. Non multum ab hoc commento diſcedit Conciliatoris opinio, qui dolorem per ſe ſenſibilem dicit.

Dolor ſenſibilis per ſe.

Dolor nõ eſt propriũ ſenſus obiectũ.

Idem quoq; oſtendit experientia. In uno tantùm ipſe Conciliator peccat, quòd dolorem proprium ſenſus obiectum admittat. hoc enim apertè refellit Phyſicorum decretum, qui inter qualitates tangibiles, non niſi quatuor primas, & quatuor ſecundas ponunt, mollitiem, duritiem, aſperita-

Audax Auerrhois negatio.

tem, & lenitatem. Abſurdiſſima omnium eſt opinio Auerrhois. is aut ſolutionem continui, aut dolorem ſentiri audacter negat, ſed neſcio quid aliud cogitat. Puto quòd ipſe obſtupuerit. Nam nemo ſenſu præditus, qui non aliquando ſolutionem continui, aut dolorem ſenſerit. Non ſentitur autem tantùm continui ſolutio, ſed & incalfactio, infrigidatio, humecta-

Solutio cõtinui manifeſtè ſentitur.

tio, & exiccatio. Sed hoc ſub ipſis primis qualitatibus poſſis continere. Verùm de ſolutione continui neſcio quid dicam. Melius eſt à Phyſicis diſcedere, atque obiectum tactus generaliter quadam inæqualitate definire, quàm aliquid contra experientiam dicere, quòd & ipſa ſolutio con-

Dolor ſecundò ſentitur.

tinui quædam inæqualitas ſit. De dolore, & reliquis, minor eſt difficultas: quia hæc, quaſi ſecundò ſentiuntur: reliquæ qualitates primò: nec amplius

plius

plius respiciunt Physici. Ita & inter solutionem continui, & reliquas qualitates tangibiles est differentia: quippe qualitates tangibiles eundem indifferenter sensum exhibent omnibus, quicunq; fortè manum insinuarint. Verùm solutionis continui uis tantùm ab eo sentitur qui patitur. fortè ob hanc causam ipsi Physici omiserunt. Nobis satis est, id differentiæ ostendisse, quòd alibi actio qualitatem agentis imitatur: solutio uerò continui cum suo agente dißimilem sortitur naturam, non enim hic idem sensus agentis & actionis est: quemadmodum in qualitatibus. utrobiq; tamen quædam inæqualitas relinquitur, quæ tactu dignoscitur. Atq; hoc fortè genere satius esset, quàm eo quod hactenus dictum est, obiectum sensus tactus continere. Verùm ego cornicum oculos configere nolo: per me licebit illis antiquum obiectum retinere. Vicißim ego ab illis peto, ut primò agens, secundò actionem & paßionem qualemcunq;, tertiò ipsum dolorem sentiri concedant. is enim omnino non sentiri non potest. Actio uerò aut paßio aliquando omnino non sentitur, præsertim si parua fuerint. Imo subinde neq; magna sentitur, uel quia sensum resoluit, ut aliquando contingit (sed raro) extremè febricitantibus, uel quia obstupefacit, ut in apopleticis. Atque de ijs præsentem Hugo sententiam intelligit, sed peruerse. non enim ob eam causam in his sensus perit, quia intellectus laborat, sed quia spiritus intercipitur. argumẽto sunt paralytici: nã tametsi in his mens constat, tamen dolore uacant: sed & subinde sola manus stupet, mente nullo modo peruersa. Nunc precor audite, quid Hugo cogitat. In stupore minimi digiti cerebrum collaborare putat. Quòd si obieceris, in grauibus affectibus, fortè dolore colico, cerebrum expers mali esse, non curat. in quibusdam (scilicet, in quibus cogitur) audet astruere, quòd cerebrum citius paruo affectui consentit, quàm magno. Et quasi hoc parum esset, idem corpus eodem tempore simpliciter & semper sanum atque ægrum admittit. Cogetur autem non hoc tantùm, sed & illud concedere, esse uitium aliquod citra omnem intemperiem, aut solutionem, aut formationem. nihil enim istorum in cerebro inueniet, quando sola manus stupida fuerit. Sed fortè neq; hoc multum uerebitur: quoniam & in alijs quibusdam locis gloriatur se ultra antiquos morbum aliquem extra tria com-

Qualitates tangibiles ab omnibus: solutio cõtinui duntaxat sentitur à patiente.

Inæqualitas generale obiectum sensꝰ tactus.

Eorum quæ sentiũtur ordines.

Qualitates duabꝰ de causis sensũ subterfugiunt.

Mala Hugonis expositio.

Absurda Hugonis.

Inanis Hugonis gloria.

munia genera inueniſſe. Ego uero miror hæc & ſimilia eius dogmata cum tanto applauſu accepta, & non ob omnibus iamdudũ exploſa. Nec meliorem Oribaſius expoſitionem reliquit: qui tantùm hoc aſſcripſit, tribus modis dolorem præteriri, paruitate, obliuione, magnitudine. Et quòd ob paruitatem ſubinde affectus lateat, certum eſt. Eſt & hoc uerũ, quòd præ magnitudine ſubinde ſenſum diſsipat. Sed & delirantes, ſomniantes ſæpe multa patiuntur, quorum ſtatim memoria obliteratur. Verùm diu laborabit, antequam oſtendere poterit, quòd in his ægritudo mentis tollat phantaſiam præſentis doloris, niſi quis mentem pro ſenſu acceperit. Atque nemo doctus ita accipere uellet, tam diuerſa mentis ſignificatio eſt. Neque tutius ad antiquum interpretem confugies, qui ſenſum pro mente reddidit. Nam tametſi Græcum nomen eam interpretationem ferret, non toleraret in hoc loco ipſa ſententia. Indignum enim Hippocratis admonitione eſt, quòd pars dolore uacet, quæ ſenſu caret. Atque hæc eſt antiqui interpretis libertas, qui quiduis per mentem interpretatus eſt, dum fortè Hippocratis mentem non bene aſsequitur. Quòd ſi fortè Græca dictio eam libertatem ferat, non tamen Latinorum conſuetudo ſimile unquam admittet. Sed neque multo maiorem gratiam in propoſito interpres habet, ubi pro mente memoriam reddit. Nullum enim momentum memoria ad dolorem obtinet: nam ſtulti quibus memoria deſipit, nequaquam ſunt doloris expertes. Igitur neque pro intellectu accipere iuuabit quicquam. Veruntamen extra hos ſignificatus, nullus reliquus eſt. Itáque mentem tandem propriè audire debemus, uel pro eo qui in cerebro eſt intellectu, uel pro eo qui in corde eſt animo: quorum differentiam in ſecundo De temperamentis diximus. Ac fortaſsis utrouis modo licet accipere, ſed oportet laborem mentis alio modo audire, quàm corporis. Corpus laborare dicitur, ubi morbo afficitur: mens uerò laborare dicitur, ubi uehementius alteri intenditur, adeo ut reliquorum omnium obliuiſcatur. Tales ſunt qui immodicis ſtudijs, aut contemplationibus capiuntur. nihil enim aliorum percipiunt. Totus enim propemodum ſpiritus ad ſuperiora rapitur. quo fit, ut & in reliquis partibus quædam inſenſibilitas relinquatur. Id maximè apparet, ubi ipſe animus laborat. Nã ſiue ſubito quiſpiam

Oribaſij cõmentatio.

Indigna Hippocrate expoſitio.

Mẽs propriè accipitur dupliciter.

Labor mẽtis.

Dolor animi obſcurat dolorem corporis.

piam irascatur, siue terreatur, reliquorum corporis dolorum obliuiscitur, imo ad tempus uindicatur. Id duelliones facilè experiuntur, qui inter conflictandum sæpe susceptum uulnus nesciunt. Vidi ego quendam multis cruciatibus crurum, multis mensibus uexatum, qui subitanea cuiusdam ante pedes morte ad multos menses repente omni dolore liberabatur. Non est ergo bonum uel animum uel mentem solam hic audire, sed utrunq; eodem uerbo communiter accipere. Nam aliquando labor animi, aliquando mentis dolorem corporis diluit, obscurat, aut re uera mitigat.

APHORISMVS VII.

QVæ longo tēpore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ uerò breui, breuiter.

IN singulis propemodum affectionibus primo spiritus & sanguis, qui in subtilibus uenis & arterijs continetur, in frusta it. Secundò autem humor ille, qui quasi ros in singulis partibus spargitur. Tertiò, quorum substantia ex humore concreto constat, ut adeps, deinceps caro. Dum autem longius procedit affectus, etiam solida attenuantur, qualia sunt (definiente Galeno alibi) uenæ, arteriæ, nerui, ossa, & reliqua dura. An tamen hoc loco sub solidis & hepar, & interna uiscera continere liceat, aliquis uiderit. Sanè tale aliquid innuere uidetur Galenus ipse primo libro De febribus, capite secundo ac tertio: ubi trifariam febres partitur, iuxta triplicem materiam: idem septimo Therapeutices. Nec mirū: nam respectu humorum solida sunt. ac mißis testimonijs ijs, quæ ex alijs locis expetimus, uel nunc Galenus ipse, hæc solidorum dignatur nomine. nam dum spiritui & sanguini ex opposito solida distinguit, clàm carnes solidorum nomine comprehendit. Ac parum erat externas partes pati, sed non est uerisimile carneis partibus alimoniam desiderantibus, internas habere satis. Itaque tam in acutis quàm longis omnia collabuntur, sed admodum differenter. quippe per longos affectus paulatim, per acutos affatim. Videtur cogitasse Galenus in ijs qui breuiter extenuantur, fortè per morbos acutos tantùm spiritum & sanguinem absumi, alibi carnem:

Colliquationis ordo.

Caro hic cōpræhenditur nomine solidorum.

Tam in acutis quàm longis oīa extenuantur.

nem: sed experiẽtia ambo absumi indicat, sed in longis magis, in acutis minus. Iam alia de causa morbus longus quàm acutus uirtutem magis fatigat. est enim hic calidus, ille frigidus. aduersatur uerò calori natiuo magis frigidum, quàm calidum. Ac de eo plura dicemus circa eum Aphorismum, Cum morbi inchoant. *Deniq; morbi longi plerunque uiscus aliquod internum obsident, atque infirmant, in quo uires naturæ habitant. Sed morbus acutus ferè per uenas spargitur, nullo uiscere pertinaciter affecto. Atque hæc est tertia causa, quæ uentrem debiliorem in morbo longo relinquit, quàm acuto. Non ergo ob eam causam lentè reficere oportet, quia facta est lenta extenuatio: sed quia iactura maior, ac uirtus imbecillior. Nam extenuatio, signum: uirtus uerò, causa: atque extenuatio desiderium, uirtus uerò arguit modum.*

Longi morbi magis attenuant.

Tribus de causis morbus longus magis fatigat q̃ acutus.

Causa Aphorismi.

APHORISMVS, VIII.

SI à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimẽto corpus uti significatur. Quòd si non assumente cibum hoc accidat, scire oportet, quòd indiget euacuatione.

DE extenuatis quoque à morbo hic sermo est. Horum duplex est discrimen: quidam adhucdum fastidiunt, quidam cibum statim appetunt. Ac inter hos, ut rationabile est, quàm plurimi proficiunt, quidam uerò nihil corroborantur, tametsi plurima assumant. Non enim firmamur ex his quæ uenter accepit, sed quæ ipse bene concoxit, atque in nostram substantiam commutauit. Igitur alterum necessarium est, uel quòd plura sumant quàm conficiant, uel quòd reliquiæ morbi aduenientes alimẽtum corrumpant. Et quidem ubi plus æquo assumitur, totum per uentrem præcipitatur, aut alioqui incoctum relinquitur, ac rursum initium noui morbi colligitur. Nam iuxta id quod uulgo dicitur, gulosus non nutritur. Sinautem nihilo plus assumant, quàm debent, argumentum est quòd purgatione indigẽt. Nam certum est, quòd reliquiæ morbi aduenientes alimentum corrumpant. Itaque totus hic Aphorismus de ijs erit, qui appetunt & assumunt, sed non proficiunt, idque ex altera duarum causarum. Galenus

Conualescentium differentiæ.

Qui ex assũptis non proficit, uel plus æquo sũpsit, uel uitio uteri laborat.

Distinctio causarũ symptomatis.

lenus intelligit in secunda particula, eos qui nullo modo appetunt: nam & huius causa est morbi residuum in uenis, epate, ac magis in uentriculo relictum. Mihi autem parum respondet hæc interpretatio: quoniam si id uoluißet Hippocrates, meliori ordine secundam particulam ipse præmisisset, ac priorem postposuisset. At id parum est, magis uerò quàm ordo modus loquendi ab hac interpretatione dissonat, ubi dicit, quòd si non assumente cibum hoc accidat, scire oportet, quòd corpus euacuatione indiget. Non enim in hanc sententiam opus illis ambagibus fuißet, ut diceret, Si autem non assumento hoc accidat: hoc est, non corroboretur. poterat breuius dicere, Si non assumat, scire oportet, quòd euacuatione indiget. Neque enim mirum, quòd nihil proficit, qui nihil assumit: sed qui satis multum ingerit. Addo, quòd nequaquam perpetuũ est, illum purgatione egere, qui neque cibũ assumit, neque corroboratur. Nam est qui à morbo non appetat, propter relictam malam intemperiem. Sed & hoc condonemus. nam neque illud uerum est, quòd qui ab ægritudine bene cibãtur, nec proficiunt, plus satis assumunt. Potest enim fieri id propter malas humorum reliquias, quæ aduenìens alimentum corrumpant, atq; quem antea non potuerunt, nouum nunc morbum excitent. de quo postea. Ob has igitur causas alium ego intellectum hinc accipere malim, atque duos casus ab Hippocrate discere, in quibus corpora tametsi bene appetant, minus promouentur. Prior est, ubi plus satis ingeritur, atq; ob id totum corrumpitur, uel crudum deÿcitur. Contingit uerò appetitum atq; ingesta modum tenere, attamen corpus continuè flaccescere. Atq; is posterior casus est, qui primam particulam limitat, & perstringit. Euenit autem id propter reliquias morbi recenter aduenìens alimentũ corrumpentes, quæ concoctionem frustrantur, appetitum non semper, præsertim cùm alibi quàm in stomacho insideant, atq; præcipuè in uenis. Videtur Galenus in commento eius Aphorismi, Qui ex egritudine cibantur, nec quicquam proficiunt, malo est. *tertium casum, potentiæ imbecillitatem statuere. Sed idem est: nam alimentum ad uirtutem comparatur, ac perinde est, si dicas, corpus non proficere quia alimentum plenius, aut, quia uirtus imbecillior. Forte aliquando quædam mala qualitas relinquitur, quæ cibum*

Galeni expositio.

Varia huius expositionis redargutio.

Nostra expositio.

bum corrumpere poßit. Sed hic casus rarißimus est, & ferè cum reliquijs morbi coniunctus. Atq; in hoc secunda soluitur Hugonis dubitatio. Quòd autem quædam corpora plus appetunt, quàm exquisitè conficiunt, parū ad propositum spectat. Primā uerò illius ambiguitatem, an plus satis ingerat, omnis ille, qui ex cibo ingesto nihil proficit, nostra sustulit expositio. Nam duntaxat Galeni commentationē sequitur, quā nos refutauimus. Sed neq; id scio quorsū duplicē is euacuationis speciem adduxit. Quippe certum est Hippocratem purgationem hîc præcipere, præsertim si hoc excrementū in stomacho offenderit. Verùm & si in uenis relictum fuerit, opportunè purgatione auferetur: quia phlebotomia in nouißimo morbi tempore periculosè adhibetur.

Multæ supinæ Hugonis quæstiones.

Hippocrates per euacuationem nunc purgationē intelligit.

APHORISMVS IX.

Corpora cùm quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere.

SVPER hoc multa alibi in quodam seorsim à nobis scripto commentario De temporibus morborū, atq; opportunitate auxiliorum. Primùm autem ante omnē purgationem corpus ipsum fluidū faciendum est, utpote si uelis per uomitum ducere, stomachus remolliendus: si uerò per uentrem, ipsa intestina, idq; iusculis, aut rebus similibus. Nam si feces restiterint, etiam bene concoctus humor retinebitur, & ad partem debiliorem, fortè spinam, rapietur, & nonnunquam paralysis cōsequitur. Quòd si tu ratione secum uelis pharmacum dare, magis delirabis. puerile enim est, durum uentrē medicamento purgante soluere, quia pauca sunt medicamenta stercoraria, aut quæ stercus ipsum aut citare, aut abstergere possunt, duntaxat aloë, & quædam alia huic similia. Reliqua uentrem potius onerant, quàm exonerant: quippe ex natura sua magis stercus sursum attraherent, quàm deorsum præcipitarent. Nam & è uenis aliam materiam huc adducunt. Per accidens tamen aliquando biliosis medicamentis euenit, ut & feces simul deijciant. Etenim acres humores medicamento attracti intestina mordicant, & simul cum ipsis stercus præcipitant, nisi ipsum durius sit, quàm ut propter acrimoniam humorum decedat,

Duo ante purgationē debent præcedere.

Puerilis error.

Purgationes per accidens fecem deijciunt.

dat. Iam eadem ratione, qua hæc medicamenta uentrem mouent, eadem postea duriorem relinquunt, præsertim quæ humores biliosos abducunt. Sic & hæmorrhoidum, uenarum, uteri ora aperit non solùm aloë, sed quoduis aliud quod bilem ducit medicamen. Quanquam de hoc inter Neotericos futilis quædam quæstio sit. Periculosum ergo est, purgans medicamentum, nondum remollito uentre, exhibere, etiamsi fortassis stercorarium sit, siue ut uentrem emolliat, siue ut totum simul præcipitet. Subsistit enim hic humor sæpe attractus, atque ab intestinis exhalat sursum, nonnunquam ad cor, ubi subitum animi deliquiū, interim irreuocabile, facit. Sæpius ad cerebrum ac spinalem medullam refertur, ubi paralysim efficit. Hoc tamen nomine præcipuè clysteres apud uulgus male audire cœperunt, quòd ijs frequentius, quàm poculis, aduersus durum uentrem utimur. Magis audiendus Hippocrates, qui corpora prius fluxa reddere præcepit, idq; aut oleo, aut iure aliquo clysteri infuso, aut eodem imbibito. Oportet autem hic uulgarem obiter errorem corrigere eorum, qui illud expers omnis pinguedinis exhibent: nam sic minus lubricat. Sed neq; salsum concedunt, cùm tamen id insulso melius prouocet. Attamen in clysteribus minus salsum conuenit, ne nimis celeriter excernatur: diutius enim morari expedit, ut exquisitius operetur: quippe uenter in instanti molliri nequit, tempore id contingit. Sed contra hosce errores in fine Technæ plura diximus. Parum autem prodest latissimum uentris meatum aperuisse, ac laxum reddidisse, nisi præterea angustissimos quosq; meatus, qui in epate atque uenis sunt, aperueris, atque ab infarctu liberaueris, simul & humores, qui in ipsis suo lentore pertinaciter adhærent abterseris, & eos qui crassiores sunt, quàm ut fluere possint, extenuaris. Hæc omnia commentante Galeno Hippocrates uno aut altero uerbo complexus est. Non enim fluxibilitas tantùm penes corporis lubricitatem spectatur, sed & humorum facilitatem. Præstitit autem hæc omnia magna ex parte tempore Galeni uictus ratio. Verùm paulatim cœpit negligi, uel ob hominum luxuriem, uel medicorū inscitiam, atque eius loco successerunt mille syruporum myriades ex melle & succis, aut decoctis compositæ mixturæ, quarum uirtutem ut non contemno, sic quòd ob has uictus

Pericula medicamēti importuni.

Vulgares errores.

Corporis fluxibilitas in duobus consistit.

Neglectus uictus.

discrimen neglectum sit, ægre fero. Alioqui & Galenus nunc origano ex oximelite & mulsa utebatur, quorum conditio forte à nostris syrupis non multum differt. nam ut Galenus suo tempore huiusmodi simplicia ex aqua mulsa propinabat: ita nunc nos ex quibusdam distillationibus. has rursum ego neque probo admodum, neq; damno. Nam neque ex ipsis uasculis plumbeis statim uitium contrahunt, ut aqua quæ per longos canales ducitur, ac forsitan impura bibitur, neque iterum totam uirtutem priorem retinent, etsi fortè odorem seruent, quippe omnes præterea ustum sapiunt, ac redolent. Sed has fortè permisturas, exterorum importunitas requirit, alioquin decoctorũ usus melior esset. Scopus tamen idem, ut materiam extenuemus, atq; ita promptam ad expulsionem reddamus. Hanc concoctionem maximè pituita, melancholia desiderant, tantùm de cholera quidam dubitant, nec omni, sed pallida aut flaua, nec de ea simplex, sed ferè triplex opinio. Auerrhois, & nunc aliqui ex recentioribus nihil circa eam deliberandum, sed quamprimum ut occurrit, præcipitandam existimant. atque ij præterquam quòd morbum sine principio faciunt, multis modis à Galeno & Hippocrate exorbitant. Auicenna ne sua subtilitate expulsionem frustretur reformidat, atque ob eam causam incrassandam prius iudicat. Hunc malæ purgationes redarguunt, in quibus multus spiritus, licet subtilis, funditur. Sed & serosum succum bile multo tenuiorem hac sola ratione Galenus statim in initio morborum præcipitare concedit. Et ut de bile loquamur, in nulla alia hæc religio potius locum haberet, quàm in ea quæ turget. Verùm & eam quoque aliquando Galenus extenuare iubet prius quàm deijcere audeat. Ergo neq; dum subtilem catharrum purgare uelimus, incrassantibus utimur: sed dum ipsum astringere uolumus. quamuis & hunc melius fortaßis esset purgare, quàm reuellere, aut astringere. Sic & in doloribus colicis aliquãdo acres humores inspissamus, non ut purgatio melius sequatur, sed ut dolor tollatur. Ita & menses aliquando inspissamus ut subsistant, non ut accelerent. Sed neque illud pugnat, quòd erysipelas non aliter curatur, quàm frigida. Nam hoc est ob eam causam, quòd in eo magis urget qualitas, quàm quantitas. Credo quòd sputi ratio hos fefellit: sed huius alia longè na

[Margin notes: Non sunt cõtenendi uulgares syrupi. — Ferendæ aquæ ex distillatione. — Concoctio extenuatio. — An cholera sit attenuãda. — Opinio Auerrhois refellitur. — Refellitur secũda opinio quæ Auicennæ est. — Occupatiões aliquot.]

gè natura est, quoniã sursum effertur, illud uerò attrahitur. Ita & in uomitu materia sursum fertur, & à natura subleuatur, sed prius procul à uenis trahitur. Iam quòd cholera cruda tenuior sit melancholia cõcocta, ut quidam opinantur, falsum est, & si quàm maximè uerùm esset, proposito nihil obest. Nam humores (ut fieri potest) oportet reddere quàm maximè fluxibiles, ac ut uulgò dicitur, curationem oportet esse quàm iucũdissimã. Proinde unumquenque humorem, etiam bilem, ut fieri potest, docet reddi tenuissimam, ut alacrior fiat purgatio. Denique si bilis fortè naturalis, sua tenuitate paulatim per corpus ferri poterat, ut tamen corrupta sequatur medicamentum, maiori subtilitate quàm ea quæ secundùm naturã est, aut ipsius succi qui à uentre ad stomachum ducitur, indiget. Iis omnibus attestatur experientia. nam præcox medicamentũ alium subuertit, alium colliquat, spiritũ per fas per nefas dissipat, in quo natura habitat. Hac ratione animi deliquiũ, & uirium sæpius manifesta debilitas sequitur. Vertigines autem fiunt multis uaporibus sublatis, & in circuitum actis, quos retinente natura uis medicamenti suscitat. Atq; tantum super commento, in cuius fine Oribasius mihi somniare uidetur, qui nescio quid uirium scammoniæ ex contrario illi uictu accedere dicit.

Nostra opinio.

Diuersorum accidẽtium, quæ importunas purgationes sequũtur, rationes.

APHORISMVS X.

NOn pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.

DVPLEX, ut antè diximus, est impurorũ corporum discrimen. Alia enim sunt, quæ citra uitium alterius humoris, corruptione quadam sanguinis continuè latè serpenti, compræhẽduntur. atque hanc fortè magis corruptionem quàm impuritatem dicimus. Duplex uerò est: quædam enim ob plenitudinem, & hæc euacuationẽ requirit: quædam ob aliam causam, & hæc aliquando alimento castigatur. Quin & ea iterum duplex est: quædam enim perfecta, quædã imperfecta. Quod in sanguine integrè corruptum est, nullo supplemento emendari potest, sed tantùm altera pars, cuius nondũ putredo perfecta est. Atque hoc solum est, ratione cuius nouum alimentum affundimus: alioqui perpetuò aliquid inuenies,

Duplex impuritas.

Corruptiõis duplex occasio.

In morbis ex corruptione uberius alimentum conuenit.

quod corruptionem dignam accepit. Sed & in morbillis facta est maxima corruptio, & tamen hic quoque uberius alimentum conuenire ostendimus. Atque ut id fortè negabis, ita illud non diffiteberis, in peste plurimum alimentum competere. Non enim hæc duntaxat mea, sed & Auicennæ & aliorum est sententia. Tamen plurimam in ea putredinem inuenies: hac enim ratione febris pestilens præ alijs contagio afficit. Sed neque ulla alia febris putrida, tam benigna est, quæ non ex putredine nascatur, etiamsi ex inedia sit: tantum abest ut de peste dubites. Ergo antecedẽtis, non autem coniunctæ, dispositionem attendimus, quando illius ratione alimentum augemus. Est altera impuritas, uitio aliorum humorum contracta, quæ cacochymia dicitur, in hac tantum oportet alimentum diminuere, quantum in priore decebat augere: nam diligenti concoctione castigatur, quæ accessione noui alimenti impeditur. Relinquitur autem hoc uitium plerunq; post morbos in uenis. Galenus idipsum in uentriculo quærit. causa est, quòd in priore Aphorismo, non assumere, pro non appetere exposuit. Nobis uerò nimis breuis uidetur ista commentatio. nam tam in uenis quàm in stomacho corruptio adueniens alimentum corrumpit. Vt ergo reliquiæ istæ diligenter concoquantur, rursum oportet alimentum subtrahere. Non tamen omnino alimentum usq; in finem morbi licet prohibere, aut rursum pro appetitu alimentum dare (uterq; enim modus ad perniciem ægri spectat) sed mediam quandam uiam oportet seruare, ac solùm quantum naturæ usq; in finem satis est, indulgere. quod ut offensam fortè aliquam afferet, ita commoditatem maiorem. Vltra hoc quicquid superest, plus oberit, quàm proderit. Hugo quidem hunc nodum uidit, sed non intellexit, ac propterea nescio quid perplexum de cibali nutritione hic distinxit. Certum enim est, Hippocratem de hac quoq; nutritione loqui. Non minus errauit in primo Aphorismorum iuxta illam sententiam, Et quibus semel aut bis. ubi hanc sententiam de ea nutritione intelligit, quæ naturam excessit. Non enim hoc peculiare ægris, sed etiam sanis. Omnia tentauit, sed infeliciter, ut hos duos locos componeret: quia hanc nostram impuritatis distinctionem ignorauit. Tantum ergo unum nobis dicere superest, cur potius inchoata sanguinis corruptio, quàm cuius-

Altera ex peste attestatio.

Vitiũ humorum inediã aut certè parcius alimentum requirit.

Galeni commenta angusta.

Media uia seruanda est.

Hugonis duplex error.

uis alterius humoris alimentum requirit. Nec est procul posita. nam bilis, pituita, melancholia semel putredine tentata, ad nutritionem nunquam fient idonea, sanguis autem fieri non potest. Sed & aliorum humorum iactura facilior, quàm sanguinis. Sed rursus de his alibi.

Solꝰ sanguis ad nutritionem castigari potest.

APHORISMVS XI.

FAcilius est impleri potu, quàm cibo.

CORPVS nostrum uarium est, atq; quælibet eius particula etiam intellectu minima, quatuor elementis constat, saltem secundùm qualitatem, totis permixtis. Proinde nihil nos nutrire potest, nisi talem miscellam habeat. multo minus aqua nutrire poterit, sed præceps, quasi tota per uesicam descendit, non quidem statim, sed tandem. Id adiicio, ne quis hinc accipiat, quòd aqua urinam ciet, duntaxat auget. Nam econtrario, ad tempus potius ea quæ ad uesicam feruntur, moratur. Hinc uulgatum illud dictum, quòd uinum lymphatum aliquãdo citius inebriat, quàm syncerum: quippe aqua uinum in uentriculo diutius retinet: neutrum tamen, neque aqua, neque aquosum uinum admodum nutrit. Non decet ergo nunc potũ uulgariter audire, sed illum qui potestate, non tantùm phantasia est humidus, explicare. Ita etiam in libro De alimento humidum pro potu posuit, ac idem per utrunq; uoluit, scilicet alterum in altero intellexit: in humido uidelicet actũ aut phãtasiam, & in potu humidi facultatem aut potentiam. Iam aliter potestatem alimentorũ quàm medicamentorũ oportet accipere. Non enim hoc alimentũ humidũ dicitur, quod potest humectare, sed in humidũ, quippe substantiã nostri corporis, uerti. Ergo neq; aquosũ uinũ subibit rationẽ humidi, neq; rursum hic rationem potus, quia totũ propemodum excernitur. Vtriusque rationem sibi uendicat uinum rubrũ. nam & phantasia est humidum, & potentia elegans ac promptum alimentum. Sed neque rursum id solum proposito potus nomine continetur. patet latius, & ad cremorem ptisanæ, ipsam ptisanam, & similia iuscula actu & potstate humida. Atque hæc sunt, quæ & confertim & subito nutrire possunt. Sed præstiterit fortè omnium nutrimentorum ex ordine differentiam percurrere. Faciemus autem id commodissimè pro discrimi

Nullum simplex nutrire potest.

Aqua urinã auget, nõ autem citat.

Vinum lymphatum citiꝰ inebriat.

Per potũ, aut humidũ, idẽ intelligimus.

Alimentum potestate humidum non quidem illud quod potest humectare, sed in humidam corporis nostri substantiã abire.

scrimi

Triplices corporis nostri partes. Triplex nutrimentum. Odor nutrit spiritum.

scrimine partium nostri corporis. Triplices hæ sunt, spiritus, humor, solida. Spiritus principalissima corporis nostri particula, uel solo odore, certè tenuissimo uapore recreatur. Duo huius rei argumenta. alterum ducere licet ex Aristotele, cuius testimonio quidam solo mellis odore uixit dies plus quadraginta. Idem arguit quotidiana nostra experientia. fessi enim ac fatigati, aut aliter fame extenuati, ex alimēto, fortè uini potu, subito uires recipiunt, spiritu, in quo uires nostræ præcipue sedent, recreato. nam non nisi longo postea tempore, in sanguinem assumptus cibus transmutatur, multo longius tempus intercedit, antequam solida nutrit. Subsistit secundò uirtus nostra in ipsis humoribus, atque adeo sanguine. argumento est, quòd euacuatione immodica uires flaccescūt. Igitur hos humores sufficienter recreant actu & potestate humida: uerùm illorum alimentum, hoc est substantia in quam uertuntur, facilè dissipatur. Solidius igitur solida alimentum amant: uerùm id rursus difficilè concoquitur. Non enim licet idipsum quale est apponere, sed multis immutationibus in succum, deinceps in sanguinem ipsum oportet transmutare, atque tandem longe in corpus, per penitissima corporis nostri penetralia, deducere. atque id difficilè præstat uirtus attrita, modò alimentum fuerit durum. Multò minus operosa est ipsorum humidorum elaboratio: quippe minimis uiribus conficitur: præsertim ubi proprietatibus respondet, non tantum phantasia. Nam physicis abunde demonstratum est, quòd in substantiam nostram promptius conuertitur, quod cum ea similitudinem atq; affinitatem habet maiorē. Hac de causa quidam putant, quòd sanguis humanus præsentissimum sit attenuatis & uirtute defectis alimentum. Atq; id plebeculæ condonandum: sed quid scriptoribus medicis facias, qui idipsum in suis commentarijs præcipiunt? Mirum, quòd non intelligunt sanguinem quàm primum corrumpi, & in uenenum potius, quàm remedium uerti. Non enim potest sub forma sanguinis ad hepar traduci, sed debet rursus in succum lacteum conuerti: atq; id multò difficilius obtinebit, quàm ipsa caro. Est & de uino hac de causa breuior difficultas. Certum enim est, quòd album & pinguiusculum uinum, imò & ipsum rubrum, sit sanguine tenuius, multò magis ipso succo lacteo in uen-

Humoribus respōdent actu humida.

Solidius alimentū pertinaciorem facit carnem.

Alimentū simillimū prōptissimè conuertitur.

Periculosus quorundam error.

tricu

triculo. Et quomodo ergo ui naturæ, hoc est, calore naturali (cuius est officij saltem in ijs partibus alimentum attenuare) poterit ipsum in succum crassiorem cogere, & rursum crassiorem factum in sanguinem extenuare? Erit cui hæc quæstio displicebit, tanquàm nimis physica: mihi tamen apparet egregiè iucunda, ac uindice digna, ex qua mirabile opus naturæ licet colligere, ut omnia sibi accommodet, nec tantùm quod crassius est attenuat, sed etiam quod tenuius inspissat. Ac id licet minus uidetur, illi in hoc loco est ualde facilè. nam & alibi ferè facilius est partes serosas à crassis segregare, quàm crassas attenuare. Sic & natura in uino serosas partes segregat, & reliquas immutat. Imo & aliquando obiter id facit, quoniam succus succo propè respondet. Sed neq; quicquam glutinosum aut crassum habet, quod digestionem impediat. Pulcherrimè ergo & celerrimè uinum nutrit, non quidem quoduis, sed præcipuè album ac pinguiusculum, & magis rubrum. Hoc & uulgus significat, dum saltem colorem eius à corpore retineri iocatur. Satis enim nouit neque colorem à substantia posse separari, aut etiamdum separatim posse nutrire. sed hoc indicat tantùm, multum eius substantiæ in corpus transire.

Vinũ debet crassescere, priusquã uertatur in alimentum.

Natura tenuius cogit, & crassius extenuat.

De uino rubro uulgaris opinio.

APHORISMVS XII.

QVæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt.

QVAE relinquuntur, duplici ratione recidiuas faciũt: paulatim enim & ipsæ magis ac magis corruptionẽ subeunt: secũdò succedẽs alimẽtũ licet bonũ sua societate afficiũt, & reliquijs morbi adijciũt: quomodo & post caritatem annonæ quàm plurimi morbi sequũtur rerum copiam. Facilis ergo est longa illa Hugonis dubitatio, cur potius tandem, quàm statim à principio, reliquiæ morbum ostendunt. Nouissimum illius argumentum magis puerile est: dissimiliter enim se habet imperfecta crisis, & perfecta. Nam quia à perfecta crisi modicum est quod relinquitur, à natura contemnitur, & promptè conficitur. Imperfecta uerò crisis in augmento oritur, aut etiamdum ipso principio, ac plurimam, imò maiorem, morbi partem post se relinquit, atq; unus morbus cum priori existit. Hoc

Reliquiæ duobus modis recidiuã faciunt.

Eneruis Hugonis dubitatio.

Hugo ignorauit, qui unius morbi plura quàm quatuor tẽpora uniuersalia recepit. Est autem hæc recidiua periculosior multo, quàm quæ externum errorem sequitur. Nam facilius corrigitur error externus, quàm internus. Quæ ipse deinceps affert, minoris momenti sunt, quàm ut admonitione aut illustratione egeant.

Facilius corrigitur externus quàm internus error.

APHORISMVS XIII.

QVibuscunq; crisis (id est iudicatio) fit, ijs nox grauis ante accessionem. Quæ uerò subsequitur, magna ex parte leuior existit.

POSTQVAM humores concocti fuerint, atque crisis instat, natura humores bonos à malis discernit. nec fieri id potest citra multam in corpore tempestatem. Nam si non aliud, saltem uapor suscitatur, qui ad uarias partes, præsertim cerebrũ, fertur. atque hic unusquisque pro sua factione phantasiam educit, ac symptomata, alius alia. Grauissima fiunt, ubi ipsi humores eò feruntur, atq; postea euacuantur. Inter reliqua ipsa est uigilia, quæ procul dubio sua insolentia magis noctem turbat, quàm diem. Verùm reliqua accidentia, hallucinatio, surditas, difficultas anhelitus, & id genus alia (licet dissimulet Galenus) nihilo minus diem exercent, quàm noctem. Fortè ergo Hippocrates ita scripsit, quòd plures interdiu quàm noctu crises uidit. Fortè etiam fortunatum est, ac quod de nocte scripsit, de die intellexit. Nam si crisis interdiu uenerit, nox: sin autem nox crisim expectarit, nunc econtrario dies præcedens quàm nox molestior erit. Signa enim critica crisi ubique proxima, & duntaxat aliquot horis præuia. Hugo econtrario plures noctu, quàm interdiu fieri contendit. Non expectat autem ipse nostram redargutionem. Nam in tertio articulo sese ipsum implicat, ubi ultro perfectas plures interdiu, quàm noctu asseuerat. Neque enim uideo, quomodo id sedeat cum eo, quod in primo articulo ac secunda conclusione confessus est, sæpius nocte quàm die crisim incidere. Eiusdem opinionis Conciliator est. nam & ipse plures & perfectiores in nocte quàm in die perhibuit. Mouit illos, quòd inundationes, terræmotus plures fiant noctu, quàm interdiu. Iniqua est, & male compara-

Humorũ inuenis discretio multam edit turbam.

Parua Galeni dissimulatio.

Fortunatum.

Quidam plures noctu q̃ interdiu crises fieri putant.

Iniqua comparatio.

parata paratio. neq; ego discrimẽ adferre debeo, utpote quæ inter sese distent plurimũ, nec ullam similitudinẽ obtineãt. Etenim inundationes fortè Lunam sequuntur, crises uerò paroxismos & concoctiones. Atqui paroxismi nunc noctu eueniunt, nunc interdiu. Tamen morbi calidi potius exasperantur interdiu, quàm noctu: sicuti econtrario morbi frigidi potius noctu, quàm interdiu. Aequè & illud fortunatum est, quòd plures moriantur nocte, quàm die: neq; ego unquam in re tantilla tantum uerborum fudissem, nisi me Hugonis commentarij inuitassent. Sed & ea quæ Oribasius hic adfert, somnijs quàm commentis similiora. Hæc de prima huius Aphorismi particula. Sed neq; secũda utilitate caret, Quæ uerò subsequitur, magna ex parte leuior existit. *quippe ex hoc crisis impetus nobis ostenditur, atq; ipsius tẽpus ferè duodecim horis describitur. Ex quouno satis suspecta debet esse Copi in libro De ratione uictus te dmorbis acutis, translatio: ubi transtulit, Eius impetus magna ex par in uos dies non excedit. Non potest enim, ut hinc constat, tam diuturnum esse naturæ iudicium. Quapropter mirari licet medicorum plebeculam, quæ uel longum aliquod profluuium symptomaticum à naturali distinguere nequit. Etenim nec in longis morbis distillationes salubres diutius durant.*

An plures moriãtur noctu quàm interdiu.

Tempus crisis breue.

Copi translatio suspecta.

APHORISMVS XIIII.

IN profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.

CONSENTIT præsens Aphorismus cum eo Aphorismo, Deiectiones nigræ. *Vbi tandem dicitur, & quo calores plures, non praui, eo melius. Dissentit uerò ab eo locus quidam in præsagijs, ubi dicitur, Si uerò uersicolor est, diuturnior quidem est, sed non minus exitialis. Ad quem locũ accedit is, qui in primo De crisibus apud Galenum legitur, capite nono, ubi dicitur, uarium uerò uarijs affectibus obnoxium significat. In eodem luto Cornelius Celsus hæsisse uidetur, libro secundo, capite septimo, ubi nunc simplex, nunc uarium sputum damnat, laudatq;. Hanc discordiam quidam eo pacto tollere putabant, quòd alibi uarietas*

Loci inuicẽ perplexi.

Neotericorũ compositio.

deiectionum commendetur post cōcoctionem, damnetur uerò ante eam. Verùm idem euenit & simplicibus deiectionibus. Hugo Senensis aliud comminiscitur, & per mutationes excrementorum excrementum naturale intelligit, quod tandem morbosum excipit, atq; omnem humorem morbosum finit. Verbi gratia, peccante humore bilioso, fortè etiam solo, post bilem pituita superueniens secundùm ipsum iuuat, quia extremam purgationem significat. Verùm is Aphorismus, qui in quarto allegatus est, hunc intellectum redarguit, qui dixit, Et quo colores plures non praui. non enim hoc de uno, sed uarijs superuenientibus coloribus Hippocrates dixit. Iam etiam uerendum est, ne talis euacuatio potius offendat, quàm iuuet, utpote immodica: nam securius est naturæ aliquid relinquere, quàm benignum conuellere. Quocirca omnibus his missis, melius est excrementorum mutationem bis considerare. Primò ut morbum uarium ac difficilem ostendunt: secundò uerò, ut diligentem purgationem ac robur naturæ arguunt. Si quidem ergo ad naturam morbi ea referas, diuersa excremēta mala sunt signa, quia natura plus à uarijs quàm ab uno offenditur. si uerò ad purgationem, bona. quæ perfectam crisim significant, ut paucis dicamus uerbis, argumenta sunt bonæ purgationis, sed difficilis constitutionis. Nam multo difficilior morbus uarius, quàm simplex. eadem ratione melior deiectio simplex, quàm composita. Hoc tamen cautè audire oportet, propter alium in præsagijs locum: qui omnes uomitiones & expuitiones synceras repræhendit, nimirum quia maximè alicuius intemperantiæ affectus declarant, quæ reliquorum humorum mixturam tollat: alioqui humores inter se mixti esse solent. Quomodo enim in tanta uarietate aliquis unus esse posset, ubi non unus, sed mille modi uiuendi sunt, quorum unusquisque suum elementum promouet? Etenim aliquando bubula carne uescimur, aliquando ueruecina, nunc terrestri, nūc uolatili, aliquādo etiā aquatili, quorū unūquodq; suū humorē parit, ac miscet. Quòd si omnino uno eodē'q; perpetuo uictu uteremur, nō tamē unus ac idem responderet aër. Omitto diuersas corporis nostri particulas, quarum unaquæq; uarium ferè temperamentum obtinet. Itaque non sine maximo alicuius intemperaturæ excessu fieri potest, ut unus aliquis humor

Hugonis cōmentum durum.

Securius est naturæ aliqd relinquere, q̄ bonum conuellere.

Nostra expositio.

Alia discepta tio.

Deiectiones synceræ periculosæ.

mor

mor syncerus peccet. Igitur alias synceras, alias simplices appellare decet. Appellamus synceras deiectiones, quæ unum humorem citra alterius permixtionem sensibilem ostendunt. Simplices uerò, quæ perpetuò uniusmodi sunt, siue biliosæ, siue pituitosæ, siue ab exuperante melancholicæ, nihili facientes an alius humor illis intermixtus sit, an non. Proinde synceris permixtas, simplicibus uarias opponimus, quæ nunc biliosæ, nunc pituitosæ, nunc melancholicæ ex ordine uisuntur. Possunt autem singulæ harum esse permixtæ, & iterum syncerę, si nulla earum alium humorem permixtum habeat. atque hæ multo omnium pessimæ sunt, quoniam uarios excessus indicant. Contrà permixtæ dicuntur, non quidem hæ, quæ diuersi generis succedentes humorum species ostendunt, sed quæ in se aliorum humorum permixtionem recipiunt. Ita duplex illa difficultas soluta est. Prior erat, ubi uariæ deiectiones redarguebantur, quæ hic laudantur. Posterior, ubi syncerę reprǽhendebantur, ac simplices commendantur. Longe enim aliud est synceras, aliud simplices, aliud rursus permixtas, aliud uarias excretiones dicere. Non enim hìc humores inter sese confunduntur, sed aliquãdo discreti excernuntur. Vt ut est, difficilem affectum significãt, purgationem tamen exquisitam declarant. Atq; hactenus bonum, nisi (inquit) ad mala mutatio fiat. quorum quædam colliquationem significãt, ut pinguia & oleaginosa: quædam putredinem. Colliquata spiritu ac stridore redarguuntur: putrida uerò fœtore produntur. Prius excrementum peius, sed neque posterius malignitate caret: quoniam putrida uim naturæ contempserunt, non quidem quia putrida melius esset retineri, quàm excerni: sed quia præstitisset illa concoqui. Nihil enim solet natura eijcere, quod antè non concoxerit, aut certè potius per cutem atque habitum corporis, quàm uentrem eijcit, nisi ex accidenti aliter eueniat. Propter continuas febres id dico, in quibus quod in paroxismis putruit, simul tempore crisis cum concocta materia excluditur. Fortè sub his putridis et alia maligna comprǽhendes, ut uiridia, & nigra, & similia. Nam hæc quoq; ad putredinem accedunt. Ac tantùm de excrementis malignis & synceris. si quid desit hic, dicetur alibi.

Syncerę deiectiones.

Simplices deiectiones.

Synceris opponũtur mistæ, simplicibus uariæ.

Variæ deiectiones difficilem affectũm, sed fortem uirtutẽ ostendunt.

Pinguia colliquationẽ significant.

Fœtida putredinem.

Sæpe coniũcta materia decedit cum antecedente.

APHORISMVS XV.

VBi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosæ fuerint, corpus unà ægrotat: si uerò similes sanis, tutum est corpus nutrire.

TVBERCVLA ex sanguine quidem bilioso fiunt, sed in loco frigido, quippe sub cute. hac de causa potius suppurantur, quàm resoluuntur. Alterum exemplum est de faucibus, atque is locus internus est. Quare hoc mihi uidetur summatim dictum ab Hippocrate, siue externa, siue interna particula aliqua laboret, uidendum est num corpus uniuersum collaboret. Est enim ubi corpus ipsum liberum extstit. Id ex urina præcipue captandum est: quoniam hæc uniuersi corporis, hoc est, sanguinis, & reliquorum humorum in magnis uenis conditorum, conditionem demonstrat, ac notam refert. Ferè enim aliquid momentaneum permixtum illi inuenies, si natura nondum totũ expulerit, sed in eo expellendo hactenus collaborarit. Ita Galeni locum oportet accipere, ubi dicit, si omnino natura mota est ad expurgandum corpus, biliosa apparebunt. Nam si quis negligentius uerba audiat, falsam Galeni dictionem putabit. Etenim nusquam minus apparebunt biliosa excrementa, quàm ubi natura omnino ea expurgarit: nisi fortè talem expurgationem per uesicam fieri cogites. uerùm hanc nullo modo possunt tubercula in corporis phantasia consequi. Quocirca de expurgatione per cutem oportet hunc Galeni locum accipere. Parum id intellexit antiquus interpres, & ob id negationem adiecit, transferẽs, Si non expulerit. *Verùm is (ut in alijs locis quæ difficultatẽ habuerunt) maluit quod sensit, quàm quod inuenit, reddere. Nobis autem melius uisum est Græcum exemplar sequi, & eius quam diximus commentationem dare. Nam ubi natura adhuc excretioni innititur, necdum totum excreuit, sanguinem in uenis eorum permixtionem habere, & urinam eius argumentum retinere, est necessarium. Atq; in hoc corporis statu alimentum conducit subtrahere. Nam quod in solo corporis habitu, uel sub cute congestum est, consuetum alimentum admittit.*

[Margin: Sententię explicatio.]
[Margin: Vrina super uniuerso corpore significat.]
[Margin: Amicè audiendum Galeni cõmentũ.]
[Margin: Antiquus interpres negationem adiecit.]

Diffi

Difficilius enim alimentum iam formam roris adeptum in corporis habitu, quàm sanguis in uenis corrumpitur. Denique idipsum potius externis remedijs decet tollere, quàm internis poculis. Intelligit autẽ tam Hippocrates quàm Galenus excrementum biliosum: quoniam tubercula non nisi ex sanguine bilioso fiunt. Sed neque fauces aliter ulcerantur, quam iam illarum ægritudinem appellare uisus est. rarò enim à pituita salsa eroduntur. Potest tamen Aphorismus & ad aliud excrementum, & alios morbos, fortè etiam raucedinem trahi, quoniam de similibus idem est iudicium. Et rectè Hugo ad omnes humores hunc Aphorismum pertraxit. Accusatur tamen in eo, quòd potißimùm excretiones uentris intellexerit. nam argumentis suis credere debebat, quòd sola urina super uniuerso corpore significat: fex uerò uentris, super uentre fere tantùm. Frustra autem hæc distinctio grauioribus uiscerum inflammationibus adhibetur: quoniam in ijs perpetuo totum corpus collaborat, ac febris acuta sequitur, & nihilosecius quàm si in uenis impuritas esset, adueniens alimentum corrumpit. Nam libens dabo, quòd uel in ijs sæpe inflammationibus tota materia ad locum affectũ sit protrusa. Hoc dißimulauerunt Neoterici. Sed neq; Oribasius aliud quàm nugatur, quemadmodum & in alijs locis ferè omnibus. Præstaret hic eos refellere, qui in curatione morbi Gallici omißa totius corporis conditione, festinant ad ulcera, aut suarum euacuationum uicißitudines potius numerãt, quàm corporis dispositionem annotant. atq; hinc euenit, ut ipsa ulcera male exerceant. Sed de his in publicis nostris disputationibus copiosè.

> Excrementa in corporis habitu min⁹ requirunt in ediam, quàm in uenis.
>
> Per ægritudines faucium ulcerationes intelligit.
>
> Saburra uentris nõ significat nisi sup uentre.
>
> Internis inflammationibus uniuersũ corpus consentit.
>
> Error in morbo Gallico.

APHORISMVS XVI.

VBi fames, laborandum non est.

TRIA hic oportet dicere. Primum, qua hora potißimum labor subeundus est. Secundò cur in fame ipsum fugere oportet. Tertiò cur ipsa inedia uel citra famem, omnem euacuationem, effatu dignam prohibeat. Primum absoluit Galenus in secundo libro De sanitate tuenda, dicens cõmodißimum esse tempus ad exercitationem, ubi urina pallida aut flaua cum iusto sedimine. Et ego quoque fateor, quòd in quibusdam prior

> In quibusdã omnes urinæ ex ordine cõcoctæ.

urina

urinæ modicè cruda est, uerum in his qui feliciter agunt, etiam hæ quæ statim à cibo redduntur, aliquãdo perfectæ concoctæ existunt, utpote quæ priori respondent alimento. Proinde clarius definitur tempus opportunũ exercitio ipsum mane, quum hesternus cibus duplici concoctione prorsus sit confectus, ac iam denuo cibandi tempus instet, paulo plus aut minus: nam tempus exquisitè describi nequit: sed ita liberè, & cum latitudine quadam definire oportet. Nec ab eo dissentit Galenus in sexto libro De sanitate tuenda, ubi decimam horam eligit eius diei, quæ duodecim horas æquales habet, quia hic seruis & impeditis consulit: alibi uerò ab omni negotio liberis: atq; ijs procul dubio melius competit matutina exercitatio. Reliquis autem ea, quam potissime à negocijs succidere licet. Est autem ea quam Galenus dixit decima: quia ea ferè à negocijs omnes absoluuntur. Sed neque cruditas impediet, quia exercitandis hora decima, nõ quiuis cibus permittitur à Galeno hora quarta, sed duntaxat modicus ac facilis, qui utraque concoctione ante decimam concoqui potuit. Maior erat qui in cœna sumitur, & plures requirit horas: adeò ut uix mane bene sit confectus. Ergo tum hic, tum ibi, unus exercitationis scopus est, dum cibus duplici concoctione confectus, ac iam cibandi tempus instat: tum enim primum opportunum est, ut nutrimentum à uenis in habitum digeratur, & excrementũ quod nuper contractum est, expellatur, priusquam nouũ alimentũ ex uenis huc traducatur: quippe hæ præcipuè utilitates sunt, quæ exercitiũ consequũtur. Non multũ autem tẽporis interest, quin statim fames consequatur. Nã interea partes extremæ inanitæ, quod in uenis concoctum fuit, cooperante exercitio ad sese recipiunt. quapropter statim suctio ad epar, & hinc ad stomachum uenit. Quippe ob eã causam mediæ & proximæ partes uentri inaniuntur, quia extremæ replentur. Itaque eo præsertim tempore fames oritur, quum extrema replẽtur. Hoc non potuit Hugo bene accipere, sed hac de causa in multas perplexitates incidit. Hora opportuna exercitio dicta est: utrinq; error fieri potest. Quippe ante concoctionem neq; cibum digerit, neq; excrementa pellit, sed corpus crudis implet. Hanc autem importunitatem Hippocrates omisit, ac tantùm alteram taxauit, ubi iam fames urget: etenim hoc tempo

Tempus opportunũ exercitationi.

Seruis & impeditis conuenit exercitari sub cœnam.

Qui exercitatur sub cœnam, debent prandere manè, & leuissimè.

Exercitij utilitates præcipuę duæ.

Dum extremæ saturantur, mediæ partes exhauriuntur.

Hugonis ignorantia.

Exercitij prematuri incõmoda.

Exercitij serioris noxæ.

tempore alimentum est deductum: & licet excrementum dißipet, sanguinem tamen, atq; adeo uniuersum corpus, plus satis biliosum reddit: ita commodum ab incommodo uincitur. Hæ sunt causæ, cur sani tempore famis nullum uehemens exercitium tolerant. Intelligit Galenus ex eadem sententia, quòd ne ægri quidem, quos longa inedia, atq; insolita extenuauit, aut etiamdum extenuatura est, ullam effatu dignam euacuationem tolerent. Non prætereūda profecto hæc est, sed asterisco notanda sententia ac dignitas: uel ob eam causam, quia à tam multis contemnitur atque negligitur. Paucißimos enim reperias, quos uel longa uigilia, uel diuturna inedia à purgatione prohibuit. Veruntamen uulgum laudes, qui nescio an ex antiquo hoc axiomate, an longa experientia, idipsum reformidat. in hoc solo peccat, quòd discrimen morborum negligat. Nam in morbis acutißimis hæc dignitas locum non habet: ubi quatriduo aliquando inediam præscribimus, & nihilo secius nunc phlebotomiam, nunc purgationem, aliquando utrunq; obimus. Ergo ad rationem morbi, ista expendenda sunt. Neq; de euacuatione tantum hæc intelligere oportet, sed & de omni immodica alteratione, siue ea sit incalfactio, siue infrigidatio. Nempe hic unicus ferè casus est, ubi ægris eodem ordine medicamentum timemus accommodare. Nam ubicunq; uirtus debilis fuerit, siue quia inediam æger pertulit, aut quia perlaturus est, aut quia alio modo impotenter habet, calor naturalis facilimè omni subitæ mutationi succumbit. pendent autem à calore naturali omnes reliquæ uirtutes. Quare admonente in fine Galeno, parum refert an unam hic potentiam genere, an specie plures intelligamus: etenim citra calorem naturalem omnes ignauæ sunt.

Inedia non fert ullam euacuationē.

Vulgus meliꝰ iudicat.

Inedia respectu morbi.

Inedia ne magnam quidē alterationē admittit.

APHORISMVS XVII.

VBi cibus præter naturam ingestus est, hic morbum facit. ostendit autem sanatio.

QVOD quantitas cibi, quàm potus, molestior sit, nemo dubitat. Igitur qualitatem respexit Cornelius Celsus, ubi intemperaturam peiorem in potu, quàm in cibo habuit: quippe potus in corporis penitiora prōptius

Quantitas cibi magis molesta.

Qualitas potus magis grauis.

ſeſe quàm cibus inſinuat. Quòd autem cibus ſupra naturam ingeſtus morbum faciat, poßumus intelligere dupliciter. Ac primùm quidem de copia cibi ſupra eum, quem natura poteſt concoquere, aut uētris, aut epatis. Atque hoc quidem delictum potius cacochymiam, quàm plenitudinem committit, & magis purgationem quàm phlebotomiam requirit. Galenus tamen in fine commenti potius phlebotomiam quàm purgationem per ſanationem intellexit, fortè naturam ad nutricationem retulit. Nam ſi utraque concoctione perfecta negligenter procedit nutricatio, hîc plenitudo quædam in uenis oritur, ac phlebotomia indiget. Hæc mihi ad expoſitionem Aphoriſmi ſufficere uiderentur, ſed quia ipſe definitionis plenitudinis iterum meminit, ſemel eius diſtinctionē abſoluere oportet: altera enim ad uaſa comparatur, altera ad naturam. Ad naturam appellatur, cùm uaſa multitudinem capiunt, ſed natura eo grauatur: exempli cauſa, cholericus multitudine ſanguinis temperati hominis offenditur, licet ipſum uaſa capiant. Econtrario licet uenæ in ſanguineo ſæpe copiam grauatim ferāt, tamen bene procedit nutricatio, id tamen rarius. Hæc in primo reponere oportet, ubi diximus, quòd ſanguineum nunquam ad modum cholerici licet euacuare. Quidam ex Neotericis hodie ſub altera plenitudine cacochymiam comprehendunt, id cur faciāt, coniectari neſcio. Nam cacochymia toto genere à plenitudine diſsidet. Veruntamen utraque plenitudo iterum dupliciter ſcinditur. altera eſt, ubi omnes humores iuxta ſuam proportionem ſuperant, altera ubi ſanguis tantùm. poſſum adijcere tertiam, ubi ſanguis bilioſus, pituitoſus, melancholicus. Multa ex hac diſtinctione aperiuntur problemata. Primum eſt, quòd alibi dubitamus, quomodo pro phlebotomia aliquando liceat purgationem ſubijcere. Fiet enim id dupliciter, uel quia humores ex æquo abundant, uel quia ſanguis bilioſus, aut pituitoſus, aut melancholicus ſuperat. Nunc ad poſteriorem commenti partem ueniendum eſt, ubi delictum cibi & ad quantitatem transfert. atque hic ab eo ſatis dictum eſt, quòd hoc de quantitate ſenſibili & manifeſta intelligitur. Quapropter parum propoſito conuenit Hugonis quæſtio, an non ueneno poßit aliquis nutriri: & ſi quàm maximè ad propoſitum eſſet, non tamen erat operæprecium tam multas in eo ambages fundere, cō-

cluſio

Marginal notes:

Duplex Aphoriſmi expoſitio.

Vitium concoctionis cacochymia ſequitur.

Imperfectionem nutricationis plenitudo.

Duplex plenitudo.

Mala quorūdā diſtinctio.

Plenitudinis differentiæ.

Hugōis quæſtio in propoſito ſuperuacanea.

clusiones, suppositiones. Nam ut id difficilimè fit, & rarißime, tamen aliquando fieri testatur anus Atheniensis, quæ cicutæ assueuit. Magis id liquet ex uita Mithridatis, qui sic quibusdam alexipharmacis aduersus omne uenenum sese à iuuentute munierat, ut tandem nullo ueneno, ne calido quidem, intoxicari potuerit. Ratio idem annuit. Namque fieri potest, ut quis paulatim adeò paruam accipiat alicuius ueneni particulam, ut nō solùm non euidenter noceat, sed & paulatim corpus in similem & affinē conditionem traducat, quam ubi obtinuerit, non solùm non moriatur, sed etiam ex ipso nutrietur, præsertim si frigidum fuerit: quippe quædam uenena Galeno alibi eius sunt energiæ, ut etiam minima ac uix momentanea noceant quantitate. Itaque uerum est, perpetuò qualitatem præter naturam corpori molestam esse, uenena autem non semper: quippe demum secundùm naturam esse incipiunt. Redeo igitur rursus ad commentum Galeni, ubi species euacuationis diuidit, quæ nullum peculiariter humorem eliciunt, sed unumquenque sine discrimine fundunt. neq; enim dicere possis, quem magis ex omnibus balneum, frictio, inedia resoluunt. Vtilitas autem harum euacuationum omnium suo tempore morbi conditionem arguit: sed temerarium est tantùm ab euentu signa expectare. Nam sanatio priorem fortunam ostendit, atque exemplo quodam ijs contulerit, qui postea laborabunt: sed laboranti nihil conducit. Præstat ergo alia quædam signa inquirere, quæ præsentem adhuc dispositionem indicant. Atque hæc partim Galenus in commento perstrinxit, partim ex ijs quæ sequentur discere licebit. quippe ubi uentriculus plus satis accepit, manifesta grauitas oritur, quibusdam etiam os uitiatur, plerisque ructus & singultus excitantur. Quicquid epati euenerit, urina indicat. Saturitatem in genere arguit nocturnus sudor, & multa alia ijs similia. An autem ob eam causam, diminutus fuerit Aphorismus, qui in fine coniunctionem omisit, alius iudicet. Habet Hugo duas quæstiones, admodum, ut mihi apparet, tenues. Nam quòd sanguinis corruptio corrigi poterit, satis clarè Galenus distinxit: an uerò cibus causa morbi corporea sit, an incorporea, quæstio plusquam puerilis existit.

Anus Atheniensis.

Mithridates.

Aegrè calida uenena in nutrimentū cōparari poßūt.

Qualitas pręter naturam ubiq; molesta, uenena aliquando.

Euacuatiōis communis exempla.

Signa infelicis concoctionis in uentriculo.

Saturitatis ac plenitudinis signa.

APHORISMVS XVIII.

EOrum, quæ uelociter & uniuersim nutriunt, ueloces quoque fiunt excretiones.

TAM in sanis, quàm in ægris excretio concoctionem sequitur, differenter tamen nonnihil. Nam in morbis longis ut paulatim fit concoctio, ita & excretio. quippe per urinam, ferè concoctus morbus paulatim decedit. Causam ego uirtutis imbecillitatem puto, quæ totum simul neque concoquere potest, neque extrudere: quemadmodum in acutis, ubi utrũq; simul obitur. Atque in hoc morbi acuti cum sanis conueniunt: quoniam & in his excretio affatim procedit, non autem paulatim. Prius enim in intestinis onus effatu dignum colligitur, quàm præcipitatur. Non tamen in uentriculo eadem consuetudo est: nam hic statim quod concoctum est, partim uentri affigitur, partim ad mesaraicas appellatas uenas digeritur, neque totius concoctio expectatur, nisi pertinacior aliqua particula alimenti, aditũ præcluserit: ut ubi ordo inuertitur, ac quod durius est, præsumitur. Neque id mirum est, quoniam alterius conditionis excretio est, alterius digestio. Multum etiam ad negotiorum humanorũ opportunitatem confert, ut uenter non statim insurgat, sed excrementorum collectionem expectet. Igitur eius quod facilime concoquitur excrementum facilime excluditur, modò nullam medicamentosam aut astrictoriam uim alimentum obtineat: qualia multa in libris De facultatibus alimentorũ inuenietis. Fortè idipsum est, quod Hippocrates per uerbũ, Vniuersim, uoluit, quasi hoc dixerit, Eorum quæ uelociter nutriunt, & nulla ex parte medicamentosa sunt, præsertim astrictoria, ueloces fiunt excretiones. Nõ enim Vniuersim nutrire intelliges id, cuius quælibet pars in alimentũ uertitur, atque omni excremento uacat: quoniam nihil sub cœlo inuenies, quod sit nobis undequaq; similimũ: sed perpetuo aliqua inest portio, quæ nobis assimilari nequit, atque hæc in excrementum abit: eo minus autem cibus excrementitius, quo nobis similior. Eius generis sunt potissimùm oua, testes gallinacei, quorum ferè nutrimentum cum ipsorum pensatur pondere. Quòd si uel simpliciter hæc talia essent, non possis de ipsis hunc sermonem

In morbis lõgis paulatim fit excretio, in acutis affatim.

Distributio paulatim.

Tempus excretiõis imitatur concoctionem.

Omne alimẽtum suum habet excremẽtum.

ſermonem aſtruere: quoniam nullum illius excremẽtum eſſe poteſt, quod totum uertitur in alimentũ. Ergo neque per Vniuerſim, copioſe potes moře antiqui interpretis intelligere: quia quo aliquid copioſius nutrit, eo minus excrementitium quoque eſt, & tardius uentrem mouet. Eadem (ut mihi apparet) ratione uel ipſa Galeni expoſitio redargui poßet, qui Vniuerſim nutrire intelligit, quod poſtquam nutrire cœpit, totum exiguo tẽpore nutrimentum præſtat. Accedit, quòd ſecundùm hanc expoſitionem uelociter in uniuerſim ſit comprœhenſum. Eſt & altera expoſitio Galeni fortè melior, iuxta quam per excretionem intelligimus diſſlationem. Nã & id perpetuum eſt, quo cibus eſt facilior, eo quoque caro, quæ ab eo procedit, eſt tenuior. Nemo enim ignorat, quin athletæ, & qui ruri ſuilla utũtur, ſolidiorem carnem habeant, & magis perpetuam, quàm qui in ciuitate ueſcuntur auibus, & id genus alijs carnibus molioribus.

Mala expoſitio antiqui interpretis.

Prior Galeni expoſitio ſuſpecta.

Poſterior melior.

APHORISMVS XIX.

ACutorum morborum non ſunt certæ prænunciationes aut ſalutis, aut mortis.

ACVTORVM morborum ubi morem cognoueris, nunquid ſalubris aut mortalis fuerit, facilè diem, in quo altera fortuna continget, præſagies. Longorum uerò econtrario morborum (qualeſcunque fuerint) fortunam quidem præuidere poteris, diem autem nequaquam, ſed prope accedes, ſi hebdomadam ipſam prædixeris. In acutis uerò non hebdomadã, non diem, ſed horam ipſam ſubinde poteris prænũciare. Atque hæc eſt leuis illa Hippocratis controuerſia, quam uidetur committere alter, apud illum in tertio Præſagiorum, locus, qui morbos breues facilius diſcerni, quàm longos, perhibet. Nimis ergo diu in ea Hugo Senẽſis hæret, qui tandem neſcio quid dilutum ſuper ea reſpondet, hoc tantùm aßerens formidoloſè, in ſtatu longorum, quàm acutorum certiora eſſe morbi indicia, alibi autẽ occultiora. Præſtaret dicere in tertio prædictionum, non ſimpliciter longis acutos comparaſſe, ſed acutos inter ſeſe: quorum ut unuſquiſque breuior eſt, ita certiorem de ſe uel à principio admittit coniecturam. Inſtabiles tamen omnes acuti ſunt: quoniam docente Galeno materia illo

In acutis facile eſt præuidere diem.

In longis morem.

Hugonis cõpoſitio.

Noſtra comparatio.

Omnes morbi acuti inſtabiles.

rum bene mobilis est, exceptis apoplexiæ & alijs paucissimis. Nã reliqui qui ex inflammatione fiunt, tametsi illorum inflammatio stabilis sit, febrẽ tamen acutam coniunctam habent, quæ totum corpus occupat. Longi uerò morbi pauci sunt, qui uniuersum corpus obtineant, uel in cõsensum suũ trahãt. ferè enim aliquo loco affecto insident, unde nõ facile materia ipsa distrahitur, quẽadmodum ea quæ in uenis fluctuat. Atque eam causam Galenus potissimum arbitratur, cur acuti sæpius quàm longi coniecturã nostram fallant. Et ferri poterat, quàmdiu de morbis acutis loquitur, quorum materia in uenis oberrat. uerùm inflãmationes nihilo facilius, quàm longi, locum mutãt. Nam quod ad acutam febrem fugit, quæ cum inflammationibus coniuncta est, paruam rationem continet: quoniam febris materia non quidem in uenis, sed in loco affecto recondita & impacta manet: fateor quòd ipsa febris totum corpus, quemadmodum & quæuis alia, affligat: uerùm hinc uel nulla, uel admodum parua morbo mutatio accedere potest. Quare melior mihi uidetur altera ratio, quæ ex natura humorũ sumitur. Calida enim ac tenuis materia acutos morbos parit, frigida autẽ certe tenax aut crassa longos, quæ neque facile concoquitur, neque corrũpitur: sed calida opportune & idoneè se habet ad utrunque extremorum: adeò ut aliquando subito corrumpatur, quæ concoqui cœperit, & econtrario quædam statim concoquitur, quæ cœpit corrumpi. Nam caliditas ut est maximè actiua, ita quoque ad patiendum maximè opportuna. Aliquando etiam morbo concocto accidentium fortitudo naturã subitò deijcit, adeo ut ubi tu optime sperare cœperis, aliquando (sed raro) æger intereat: & econtrario ubi desperaueris, ob similẽ causam aliquando æger subitò conualescat. At in morbo longo omnia stata. Indicio est, quòd in augmento morborum acutorum multi pereant, in augmento uerò longorum perpauci. Omitto nunc, ad certitudinem morborum longorum, non minimum conferre ipsorum longitudinem, quæ nõ una hebdomade, sed aliquãdo pluribus mensibus eadem exhibet indicia. Rarò ergo morbi longi artificiosam medici coniecturam fallent: morbi autem acuti aliquando: præsertim qui absque inflammatione fiunt. Nam in hoc nimis errauit Oribasius, qui maximè de morbis acutis cum inflammatione hunc locũ accepit.

Galeni expositio.

Inflammationes ægre locum mutant.

Frigida materia ferè eũdem tenorẽ seruat.

Calidi humores facilè in utrunq; commutantur.

In morbo lõgo omnia stata.

Morbi longi raro fallunt medicum, acuti sæpius. Error Oribasij.

APHO

APHORISMVS XX.

QVibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, ijs senescentibus exiccatur. Quibus uerò iuuenibus adhuc aluus sicca est, ijs senescentibus humectatur.

DIXIT Hippocrates potius iuuenibus, quàm pueris: quoniã ut in senibus uenter ferè durescit, ita in pueris fermè humet. Iuuenibus autem non item, sed cum senibus quandam subinde mutationem accipiunt. quæ duobus ferè modis euenit: uel quia successu temporis ipsum temperamentum mutatur in contrarium, uel fertur in excessum. Nam retinere oportet illud uulgo iactatum medicorum prouerbium, Quamuis functionem abs quolibet lædi excessu. quippe calor naturalis est, non autem temperamentum, principalis omnium artifex, qui à quauis immodica qualitate opprimitur, ut qui in medio consistit. Rationabile ergo est, ut quæuis facultas ab eodem excessu offendatur, etiamsi alioquin talis qualitas cum huiusmodi munere maximè conueniat. Rarius autem hucusque qualitas promouetur, sed sæpius à contraria operatio oblæditur. Etenim uix unquàm siccitas uirtutem retentiuam deijcit, sed frequenter humiditas uentrem emollit, quæ paulatim sub senectutem in siccitatem transiens, eundem iterum astrictiorem facit. nisi fortè à principio uenter non tantùm humidus, sed & frigidus fuerit. Nam excellens frigiditas non aliter quàm humiditas lubricum reddit. Hoc iamdudum nouit rusticorum experientia, qui nudis pedibus humi obambulant, ut uentrem pertinacem infirment. Potes autem cogitare, quòd & siccitas, qua uirtus expulsiua innititur, uentrem in iuuentute humidiorem faciat, qua per senectutem in uigorem transeunte, & ipse quoque rigeat. Sed id rarissimum est. Nam talis in senectute excessus non minus infirmabit retentiuam, quàm expulsiuam, ac rursum difficile poteris dicere, quare in iuuentute siccitate potius promouetur expulsiua, quàm retentiua. Certè rarus est casus, fieri tamen potest, ut altera labente, altera constet, tametsi utraque siccitate gaudeat: quoniam neque instrumenta omnino eadem, neque modus siccitatis idem in utroque. Sæ-

pius

In senibus uẽter obdurescit.

In pueris mollis.

In iuuenibus uarius.

Omnis operatio calore naturali perficitur, quæ nullũ magnũ fert excessũ.

Habet unaquæq; operatio qualitatẽ aliquam familiarem.

Frigiditas & humiditas uẽtrem molliunt.

Siccitas non est minus familiaris retẽtiuæ, quàm expulsiuæ.

Voracitas uẽtrem reddit humidiorẽ.

pius ob differentiam uirtutis appetitiuæ uenter ante humidior, tandem efficitur ſiccior: quippe appetitus frigiditate gaudet, qua in quibuſdam procedente æſtate correcta, uenter conſtare incipit. nam imminuta frigiditate, & appetitus quoque minuitur. Poteſt & hepatis tẽperatura hic aliquam facere mutationis differentiam. Nam eſt, ubi in adoleſcentia uel mediocrem ſuccum paulo ſegnius attrahat, fortè ob mollem aliquem calorẽ, qui paulatim acrior factus diligentius alimentum attrectat. Sed & econtrario ſubinde ſuccedente ſenectute ſtomachus frigidior redditur, atq; appetitus maior: atque hîc maximè uentris mollicies ſequitur: quoniam quæ cruda ſunt, ſolent ab epate contemni, & per uentrem præcipitari. Potuit autem & in iuuentute tanta manſiſſe humiditas, quæ uirtutem expulſiuam infirmaret: qua paulatim correcta expulſiua inſurget, & uenter molleſcit, qui antè illius defectu fuit durus. Verùm is quoq; caſus rarus eſt. Nam dum in priori hac ætate, humiditas uirtutis expulſiuæ uigorem deijcit, eadem retentricem laxat. Vbi enim præ nimia humiditate expulſiua torpet, ibi quoq; retentiua ferè flaccet. Sæpius autem ob caſum retentiuæ uenter in ſenectute mollis fit, qui antea fuit durus. & poteſt id fieri ratione excellentis ſiccitatis, frequentius autẽ occaſione frigiditatis aliquando in prima ſenectute, ſæpius in ſecunda, magis tamen in iuuentute, quàm priori ſenectute, uenter humet. Neque enim adhuc dictum eſt, quòd frequentiſſima mollis uentris cauſa eſt ipſa cholera, quæ à felle ad inteſtina defluit, quæ quidem ut in iuuentute ſuperfluit, ita in ſenectute deficit. Aliquando uel in iuuentute hæc cholera deſideratur, ut in quibus hepar admodum frigidum. Vidi quoſdam, qui eius deſiderio in tertium, quartum, quintum diem, uentrem plerunque ferrent. In quibus per ſenectutem amplius increſcente frigiditate hepar negligens, & attrahere impotens, uentrem mollem econtrario relinquit. Sunt ergo ſummatim quinq; ferè occaſiones, quæ uentrem mutant. Bilis à felle defluens, uirtutis retentiuæ, expulſiuæ, appetitiuæ, cõcoctiuæ uarietas. Quippe digeſtiua ipſius hepatis cum expulſiua & attractiua ordinatur: quoniam ex his quodammodo componitur. Non tamen unquam uenter, qui diluebatur, tempore iuuentutis ob imbecillitatem concoctio-

Hepatis ignauia uentrem mollit.

Rarus caſus.

Magna ſiccitas & frigiditas tandem uentrem incontinentiorem faciunt.

Cholera deiectionis cauſa.

Quinq; ſunt quæ uentrẽ mutant.

nis

nis firmatur ob contrarium tempore senectutis. Nam semper hic concoctio imbecillior redditur. Quando ergo tot modis uenter emollescit, atq; induratur, uide an non periculosè faciunt, qui omnem durum uentrem solutiuo medicamine tentant. Satius erat eius causam distinguere, atque ita demum contrarium remedium apponere, quàm ad unum perpetuò idemq; auxilium confugere. Quippe ubi siccitas in causa est, uentrem diluere: ubi autem cibi desiderium, ipsum augere. Expulsiuam, ubi torpet, salsis quibusdam, atq; omnino uictu Alexandrinorum (qui prius à Galeno dictus est) excitare. Conueniunt autem hæc remedia cum his quæ choleræ defectum supplent. nam utrobique segnem uirtutem excitare oportet. Multa quidem & uaria in huius Aphorismi controuersiam Hugo Senensis adducit: non est tamen tam impudens, quàm Rabi Moises, qui simpliciter hunc Aphorismum tanquam falsum reijcit. Sed & ipse Hugo in secunda conclusione sua aliquid tale etiam uidetur innuere, tãetsi hoc ipsum conclusum comparatione temperati obscurat. Nos autem dicimus, quòd tam in temperatis quàm intemperatis uenter, qui in iuuentute humidus est, magna ex parte in senectute siccus euadit. Et econtrario qui in iuuentute siccus est, sæpe in prima senectute humidus, quamuis hæc mutatio priore paulo rarior sit, atq; etiam peior. Atq; hoc est, quod Celsus alibi dixit Melior in iuuene uenter fusior, in sene astrictior. Accepit ab Hippocrate, qui in fine huius scripsit, Quicunque aluos humidas habent, ij quamdiu iuuenes sunt, melius cõmutant. Promptũ enim est, ex ijs, quæ diximus, colligere, quòd in priori mutatione ab humido in siccum, pauci modi mali, econtrario autem pauci boni. Ferè enim uenter in priori senectute non nisi ob imbecillitatem quandam humidus euadit. Diuersitas tamen harum mutationum, pro diuersa intemperamentorum fortuna euenit: nam aliud aliam mutationem obtinet. & proinde hoc libenter Hugoni dabimus, quòd hæ uicißitudines potius in intemperato, quàm temperato corpore eueniant: quòd tamen & in temperato aliquando fiant, certum est, quando uel hic tempore pueritiæ magis mollis, quàm senectæ est. Scio quid ipse fortè formidet, in temperato fortaßis iuuene uentrem dicere lubricum. at nobis nulla talis est religio.

Vulgaris abusus.

Pro diuersitate causarũ diuersa curatio.

Rabi Moises hunc Aphorismũ tollit.

Celsus Hippocratẽ imitatur.

Humidus uẽter in senib° malo est.

Etiam temperati sua habent incommoda.

gio. Neque enim in temperato omnia paßim temperatißima, sed quædã uel hîc reperies ætatibus sua coniuncta, ac peculiaria mala, quemadmodum in tertio amplius explicabimus. Non debuerunt certè hæc tanti apud illum fuisse, ut ad soluendum illi tempus deficeret. nam ut leuia sunt, ita minimo uerbo poterant enodari: atq; adeò his omnibus & ingenia & Aphorismos magis obscurauit, quàm illustrauit. Oribasius uerò nescio ad quæ alia somnia ab expositione Aphorismi sese diuertit. Melior est Galeni admonitio, qui imparitatem uictus aufert. Ex quo loco quis dubitet, nũquid cereuisia potius in fine mensæ, quàm principio superbibi debeat, quòd eam inter lubrica habeat? sed de ea alibi.

An cereuisia conueniat in principio.

APHORISMVS XXI.

Famem thorixis, id est, uini potio soluit.

TAM sitis, quàm fames, atq; uno uerbo appetitus, iuxta communem opinionem, inanitionem atque suctionem imitatur. Morbosa tamen fames & sitis intemperamentum consequitur: hæc calidum, illa frigidũ. Nisi fortè & hoc uelis dicere, tam frigidum quàm calidum astrictionem quandam obtinere, atq; suctioni respondens symptoma operari. Est autem differẽtia inter hos appetitus, quia in ægris est appetitus dißimiliũ, in sanis uerò similiũ, similiũ dico ijs, quæ perierunt & remanserũt. Nam licet per sitim & per famem corpus nonnihil incaluit, ueterem tamen latitudinem retinet. Maior est dubitatio, ecquid caliditas quæ sitim parit, magna ex parte famem tollit, an quia stomachum potius accendit, quàm constringit. Econtrario frigiditas famem parit, quia astringit. Siccitas uerò & famem & sitim inuehit. Atq; hæc de qualitatibus, quæ in fame & siti coniunguntur. Nam præcipua naturalis famis causa est corporis nostri iactura, quam recenti & solido alimento oportet reponere. Scio quod antè dictum est, quòd odor nutrit, & magis eo uinum: uerùm nutrimentum id tenue, & quod potius uires reficiat, quàm substantiam restauret, & quod uix in modico desiderio sufficiat. nam magnam famem uix unquam redimere poßit. Iam in magna fame uniuersum corpus inane est, et uinum attractu ualde facilè. proinde periculum est, ne uinum

Quæ perierunt, & quæ manserunt, quodammodo inuicem similia.

Quare caliditas famẽ tollit.

Siccitas sitim, secundò famem parit.

Prima famis causa nostra iactura.

copio

copiose sumptum (nam pauca eius quantitas magnam famem sedare nequit) incoctum ad singulas partes rapiatur, & sua rudi qualitate neruos potius mordeat, quàm reliquum corpus impleat. Multo minus famem morbosam curat, quæ insignem aliquam euacuationem sequitur, fortè aut sanguinis, aut alui profluuium, aut similem aliquam uel euidentem, uel etiam occultam euacuationem, aut atrophiam. Solùm ergo eam quæ frigiditatem sequitur, curare potest uini potio. Atque talis quidem fames duplex est, altera fames canina appellatur, altera βούλιμος *aut uaccina: cuius discretio ut melius habeatur, præstat utrunq; suis modis statuere: atq; id eo magis faciemus, quo reliqui scriptores in hac parte fuerint negligentiores & obscuriores. Paulus Aegineta boulimum uidetur sub atrophia comprehendere. Auicenna & Neoterici etiam cum caliditate committunt. sed de illo postea. Quòd uerò malè boulimum cum atrophia commiscuerint, ex eo manifestum est, quòd Galenus boulimon cum fame canina eodem modo curandam admittit, atrophiam uerò nequaquam. Scio fortaßis unde ad hoc adducti sint. apud Galenum boulimon cum penuria audiuerunt, quam ipsi deinceps ad uniuersi corporis indigentiam atq; atrophiam traxerunt. Atqui Galenus ibidem non nisi stomachi penuriam intellexit. Manifesta autem est illius dictio in quarto De symptomatibus, dicentis, Boulimos est symptoma ipsius uentriculi, ubi simul penuria & imbecillitate & refrigeratione afficitur. Ita in quinto libro De simplicibus, capite quarto, cum frigiditate, imbecillitate componit. Qualis autem hæc sit in boulimo imbecillitas, melius audies ex primò ipsius libro De arte curatiua ad Glauconem: ubi cum accidentibus febres curat, atq; ita describit: Boulimos, inquit, nihil aliud est, quàm animi defectus. Longius fortaße, sed non melius isagoge illa, cuiuscunque fuerit, boulimon describit, dispositionem, in qua homines resoluuntur, concidunt, malo colore pallescunt, extremæ partes membrorum frigescũt, torquentur stomacho, tenuesq́; uenarum pulsus fiunt, & minimas cibi reliquias sic affecti expetunt. Noui ego plures hoc genere mali afflictos, atq; curatos, quibus subita subinde fames cum animi anxietate oborta est, ac nisi quid ingererent, statim animo deficiebant. Itaq; ferè bolum a-*

Vini in magna fame pericula.

Fames morbosa atq; ex frigiditate duplex.

Fames canina.

Fames uaccina.

Paulus Aegineta malè cõfundit boulimum cum atrophia.

Erroris occasio.

Boulimi definitio.

Animi defectus in boulimo.

Prolixior definitio.

liquem secum circumferebant, propter ipsius importunitatem. Nec illos fefellit sua præcautio. nam statim minimo ingesto cibo leuabantur. Propterea ego nescio quid sibi uelit autor in nouissima descriptione, ubi dixit, quòd sic affecti minimas cibi reliquias appetunt. Videtur alludere ad eos, qui mensas comedunt, ut de Troianis scribitur, & nihil reliquum cibi faciunt. Hæc autor uiderit, qui ista nobis scripsit. Magis lubet inquirere, cur ita subitò ac frequenter eos inuadat, præsertim quando cum penuria Galenus eam coniungit: paulatim enim hæc affligere solet. Credo ego, quòd exterior frigiditas penuriæ superueniens ac subitò occurrens, boulimon inducat, dum uehementius exteriori frigiditate uenter percutitur. Atque hoc est, quòd aliquando dubitamus, cur potius ab exteriore, quàm interiore frigiditate boulimon superuenire dicat. Hoc neq; Auicenna, neq; reliqui Neoterici intellexisse uidentur, qui quasi aliquid in Galeno desiderantes, nunc à frigiditate, nunc à caliditate boulimon fieri partiuntur, qui à sola frigiditate accidat. Id Galenus in commento asseuerat, & manifestius in quarto libro De symptomatibus idipsum declarat. Sed & citra autoritatem idem supputat ipsa ratio. Nam caliditatis est potius extinguere famem, quàm excitare. Adeò in hac re ueteres parum fuerunt oculati, ac parum symptomatum eius affectionis periti. Videtur autem ex penuria quædam in stomacho orta esse imbecillitas, ratione cuius statim ab exteriore frigiditate percutitur, cui magna illa imbecillitas, quam animæ defectũ appellamus, superuenit, quicum omnes operationes labefactantur. Atq; hoc est, quod Galenus in commento dicit, boulimon in principio cum fame committi, postmodum autem fame destitui. Neq; enim appetitus manebit, ubi reliquæ operationes omnes usq; ad animi defectum collabuntur. Atq; hæc ferè sola est causa, quare Galenus potius de fame canina, quàm boulimo hanc sentẽtiam accepit. Iam & illud oportet animaduertere, quòd paulò breuius hic loquitur Galenus de fame canina, quàm in libro quarto De morbis & symptomatibus. Nam ibi atrophiam cum fame canina ordinat, hîc uerò separat, non ob aliam credo causam, quàm quia altera species famis caninæ, quæ atrophiam sequitur, hãc curationem parum tolerat. Nam uinum ieiunis potum, nocet

[Margin notes: Suspecta posterior definitionis particula. — Fames bouina subito incidit. — Boulimos ab exteriore frigiditate. — Auicennæ & aliorũ error. — Singulorum symptomatũ in boulimo successio. — In boulimo fames statim tollitur. — Fames canina accipitur dupliciter. — Atrophiæ & famis caninę diuersa curatio.]

nocet articulis, tantum abest, ut prosit omnino uacuis. Alteram uerò caninæ famis speciem, quæ ex frigido oritur, eleganter curat, non quidem quoduis uinum, sed insigniter calidum: nec rursum quouis modo exhibitum, sed ut Galenus in commento suadet, post esum pinguium. Facilè enim pinguia supernatat, ac uinum in superioribus uentriculi partibus (quas incalfacere in animo est) suspendit. Mira commentatio. nam aliter medicamentum hîc hærere nequit. Atq; hæc circa Aphorismum. In commento uerò acre uinum apud Leonicenum pro acido & austero oportet accipere. Est autem & in translatione antiqui interpretis circa finem manifestus error. Non est enim inutile ex speciali generalem, sed est illiberale ex generali specialem facere. itaque melius esset sub fame hic boulimon simul accipere, quàm soli boulimo hanc seorsim sententiam dicare. Multa perplexa ex Thadeo Hugo hic transscripsit, quæ quia ex his quæ diximus satis redarguuntur, libenter prætermimus.

Medicamenta debẽt ferri circa locum affectũ.

Antiqui interpretis error.

APHORISMVS XXII.

QVicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & quicunq; ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.

POSSES hunc sermonem inuertere, & secundam partem, quæ generalior est, præponere, alteram uerò sub ea exempli gratia ostendere. Verùm Hippocrati contrarius scribendi mos est, generale ex speciali ducere. Fortè etiam fientium morborum potius meminit, quàm factorum: quia in his maior est perplexitas. Nam ut Galenus in commento partitur, est duplex morborum fientium natura: altera pars facta est, altera futura. Facta ad curationem, altera ad præseruationem pertinet: & præseruatio quidem per ablationem causæ initur: nondũ enim morbi rationem obtinet. Curatio uerò præter causam etiam sui ipsius exemptionem postulat. Conueniunt tamen in eo, quòd ut hic morbus, ita illic causa suo eruitur contrario: licetq; euacuatio non opponatur ipsi morbo, ex plenitudine tamen aduersatur ipsi plenitudini. Hactenus igitur morbi, qui fiunt ex repletione, Galeno dicuntur curari per euacuationem. Magis id

In morbis fientibus maior perplexitas q̃ factis.

Præseruatio causam, Curatio morbum respicit.

Et causa & morbus contrarium postulant.

liquet in morbis ex euacuatione: ut ſi fortè ex defluxu uteri corpus refrigeretur. Neq; enim ipſius reſtrictio frigiditatem impreſſam curat, ſed ne maior fiat obſeruat. Poſſemus fortè generalius (nec quicquam obeſt) dicere, quòd & morbi facti ex plenitudine, ſaltem per accidens, curentur euacuatione. Nam in materialibus poſtquam fomẽtum morbi futuri ablatum fuerit, facilè natura quod factum eſt, diluit. Ita & habitus totius refrigerationem, ex fluxu uteri, qui nuper fuit, ſed iam deſijt, plenitudo, hoc eſt, alimentum curat. Sanguinem enim exhibet, qui frigus in calorem mutet. Nunc ad morbos factos ueniamus: de his enim generalis eſt dignitas, nuſquam ferè non audita, Morbos ſuo tolli contrario. Multa tamen ſunt, exceptis ijs quæ in primo libro diximus, quæ contradictionis phantaſiam cum hoc loco obtinent, atq; in quibus Neoterici turbantur non parum. Primò afferunt, quòd figuræ atque morbis inſtrumentalibus nihil ſit contrarium. Quantum uerò eos fatigat Ariſtoteles, dicens, quòd neq; febri, neq; ophthalmiæ quicquam ſit contrarium, uix poſſis dicere. Iam quòd fluxus fluxũ curat, minus explicant. In eo uerò, quod & ipſa natura aliquando ultro morbum curat, ſine diſcrimine alterius adhibiti contrarij, etiam Auicẽna uidetur ſiluiſſe, atq; ab antiqua autoritate receſſiſſe, tanquam parum perpetua. Periculum autem eſt, ne huiuſmodi homines ſcrupuloſi, nullum ferè morbum inueniant, qui illorum ſententia curetur contrario. Nam aliàs diximus, quòd intemperies bilioſa ultra ſe promota, non ſtatim reſtituitur frigido, ſed minus calido. Etſi inuenias, ubi frigidum ſimpliciter caſtigatur calido, nondum tamen ſimpliciter contrario. Non eſt enim frigidum potentia, propriè contrarium calido energia. Has controuerſias omnes Hugo Senenſis cum ſuis Neotericis excindit potius, quàm expedit, Alexandrum imitatus, qui dum nexus loramẽtorum in plauſtro Gordij explicare nequit, gladio reſcindit. Audi quid dicunt. Contrarium accipiunt pro eo quod effectum talem ſortitur: hoc eſt, ut ipſi exponunt, quod morbum auferre idoneum eſt, & ex antiqua dignitate nugas faciunt. nam iuxta hos, hæc eſt, nec alia axiomatis ſententia, Contrarium curatur eo quod curat. Tu quidem hanc interpretationem non recipies, ac reuera talis eſt. Diligen-

Ablata materia ſæpe per ſe redit intẽperatura.

Diuerſæ Neotericorum cõflictatiões.

Auicennæ perplexitas.

Alexander nex⁹ loramẽtorum excidit, expedire non potuit.

Neotericorũ confuſa reſponſio.

tior

tior & subtilior est, qui id, quod per se est, distinguit ab eo, quod per accidens est: mediatum ab eo, quod immediatum. Nam licet medicamentum quod apponitur sæpe morbo sit simile: tamen aliquando secunda qualitas, quæ immediatè in morbum agit, ac medicamentum per accidens sequitur, per se morbo contraria est. Ita caliditas, quæ per aquam frigidam inducta distentionem ex frigido curat. Verùm id rarum est, & non nisi in paucissimis affectibus rationem contrarij sic seruare poteris. Proinde necessum est, in prædicta autoritate liberaliter contrarium pro opposito accipere. Nam nihil eorum, quæ suprà dicta sunt, est, quod non saltem relatiuè, aut contradictoriè, aut priuatiuè morbo opponitur. Sic & naturale & innaturale opponũtur: sic calidum potentia, etiam respectu eius quod uel actu frigidum est, oppositionem quandam exhibet, & rursus id quod plus calet, respectu eius quod minus calet. Minus de febribus dubitare debemus. nullus enim alius morbus manifestius contrarium obtinet, quia ex intemperamento qualitatis actiuæ est: itaque contrarium sortitur frigidum. Verùm in genere sanitatis nihil peculiariter illi aduersatur: non etiam æquum ex utraque qualitate temperamentum. Nam id non minus frigido aduersatur, quàm calido. Atque ob hæc fortassis Aristoteles ab angustijs suorum contrariorum seclusit. Alioqui non multo aliter frigidum uniuersi corporis intemperamentum uidetur aduersari febribus, quàm prodigalitas auaritiæ. Neq; ob id desiderabit statim febris contrarium, quia in speciebus sanitatis non reperiat. Nam neque prodigalitas eo caret, quamuis liberalitatem recuset: quippe hæc medium quoddam est. Veruntamen ipsa genera, uirtus & uitium, inter se egregiè sunt contraria: ita & sanitas & ægritudo distant maximè à se inuicem: nulla tamẽ est species ægritudinis, quæ opponitur speciei sanitatis: sed potius ægritudines inter se, fortè calida ac frigida. Quare diu laborabis, antequam sanitatem & ægritudinem maximè inter sese distare ostendas, si quidem species ægritudinis cum sanitate compares. Quòd si fortè calidum, ac frigidum affectum minus distare dicas, quia ægrum de utroque dicitur, periculum est, ne prodigalitatem & auaritiam à numero contrariorum eximas, atque utrunque liberalitati opponas. Ergo genus generi, non autem speciem

Melior responsio.

Optima explicatio.

Contrarium, hoc est, oppositum.

Febri nihil exquisite cõtrarium.

Sæpe genera sunt contraria, quamuis species contrarias desiderent.

Logica de contrarijs disputatio.

ſpeciem ſpeciei comparare oportet, ubi hanc contrarietatem ac diſtantiam quæris: quemadmodum liberalius in Techna diximus. Verùm hæc ad Logicos magis attinent, certè noſtra parum intereſt, qui contrarium pro oppoſito audimus. hoc enim modo promptum nobis eſt, in his omnibus contrarium oſtendere. Nam magno paruum opponitur, & multum pauco, numerus deficiens ei qui ſuperabundat, æquale etiam ei quod eſt inæquale. Quòd ſi figuræ, fortè triangulo, quadrangulo, nihil eſt contrarium, non tamen ob id ſtatim rectum oppoſitum deſiderat: ſed eſt illi contrarium curuum, aſpero læuũ. Itaq; ophthalmia ſiue in quantitate, ſiue in qualitate morbum intelligas, propriè contrarium deſiderat, oppoſitum tãtùm habet. Venio nunc ad morbos qui fiunt: atq; hic male afferunt ipſum fluxum: neque enim fluxus inter morbos fientes, ſed factos ferè numeratur. Imo ipſe fluxus morbus ſimpliciter non eſt, ſed ſymptoma, quod à morbo dependet, aliquando ulcere, aliquando etiam quadam repletione, aut humorum uitio: atque hoc eſt, quod tollit fluxus, tanquam morbi aut intemperaturæ cauſam. Sed ſæpe morbus ex morbo naſcitur, ac ſæpe fluxus nouum ac ſecundũ morbũ parit: ita ex profluuio alui ſæpe cachexia, aliquãdo timetur hydropiſis. Ergo ſtatim talẽ fluxum oportet aſtringere: atque hæc eſt prima pars repletionis. Suppreſſo autem fluxu, quod ſupereſt meliore alimento reponimus, atque eo liberaliore, quo uirtus fuerit fortior. Econtrario faciemus in morbos ex repletione: nam hic eo magis uictum extenuamus, quo uirtus fuerit potentior. Nouiſſimè & illud oportet diſtinguere, quòd ex repletione omne genus morborum naſcitur, calidum, frigidum, humidum, ſiccum. ex inanitione ferè duntaxat frigidum ac ſiccum, raro calidum. Minor eſt difficultas in ſcammonia, quòd tertianam curet. Nam licet ſcammonium neque morbo, neque cauſæ morbi contrarium exiſtit, tamen euacuatio quæ ſcammonium acceptum ſequitur, repletioni ex uitio humorum euidenter aduerſatur. Proinde ubiq; potius inſpicere debemus ipſum ſecundum medicaminis effectum, quàm qualitatem: qualitas enim ſubinde ſimilis, ſed effectus alius atque contrarius. Ita & medicamentis acribus & amaris, ambobus calidis calidam choleram concoquimus & medicamur. Nam licet ambo calida, tamen

cholera

Vna omnibꝰ reſponſio.

Fluxus inter morbos factos.

Fluxus non eſt morbus.

Fluxus ſæpe nouum morbũ parit.

Ex repletiõe ferè omne genus morborum.

Ex fluxu ferè frigidum tãtùm.

cholera craſſa, illa poteſtate tenuia. Iam de ſimplici affectu loqui oportet. Nam morbus compoſitus cōpoſita requirit remedia. Sic febris, quatenus calida eſt, requirit frigida, & tamen ratione materiæ & cauſæ ſuæ, tenuia quæ ferè ſunt calida. Sic eſt, ubi accidens aliquod urget, ut ipſum potius tollamus, quàm morbum. Ita ubi rupto ex frigiditate uaſculo multus ſanguis profunditur, accidēs potius frigida, quàm affectus calida poſtulat. Omitto, quòd ulceri neque calidum, neque frigidum eſt contrarium, ſed quod cogit. Atque hæc ſunt, in quibus fluctuant Neoterici. Reliqua facilè explicabit, qui hæc uiderit. Certum enim ex his eſt, atque perpetuum, iuxta definitiones prius datas, morbum factum ſuo, fientem autem cauſæ tolli contrario. Itaque perpetuo diſtinguere oportet, quemadmodum Hippocrates fientem à facto, & cauſam à morbo. Quòd ſi Galenus contrarium accepit more Neotericorum, fruſtra diſtinguit morbos fientes à factis. Nam ſemper uerum eſt, quòd morbus curatur contrario effectiuè, hoc eſt, eo quod curat, ſiue factus ſit, ſiue fiens eſt. etenim nullam hic exceptionem uel cogitare poſſumus, tantum abeſt ut re uera oſtendamus.

Humores craſsi. Medicamenta tenuia.

Morbus factus ſuo, fiēs cauſę ſuæ tollitur contrario.

APHORISMVS XXIII.

ACuti morbi, in quatuordecim diebus iudicantur.

QVOD morbi acuti cito interficiant, poteſt eſſe in cauſa ipſorum accidentium uehementia. Videtur Galenus hac etiam ratione colligere, quòd cito relinquant. Nam ut apparet, quo morbus magis affligit, eo natura ipſum magis uiciſsim inuadit. Huc alludit, quòd natura leuiora morbi ſemina admittit, ac diſsimulat, ſed incrementa ſæpe per ſe expugnat. At quòd morbum diu ſuſtinere non poſsit, eſt certum: ſed an ob eam cauſam cito morbus expugnetur, quia accidentia fortia uigent, ipſe Galenus uiderit, mihi ſecus apparet. quoniam natura eſt, quæ morbum expugnat, ut in primo libro diximus, quem eo citius abſoluit, quo ipſa fortior exiſtit. Accidentium uerò uis, naturam plerunque deijcit, tantum abeſt, ut promoueat. Igitur accidentium magnitudo morbum ſalutarem proferre

Leuior diſceptatio, an accidentiū magnitudo ſalutem citet.

Sola natura morbum expugnat.

potest, abbreuiare non potest. Alioqui etiam morbus ex copiosa materia facilius conficeretur altero eiusdem speciei ex modica. cuius contrarium docet ratio, & ostendit experientia. Promptius enim concoquitur modica materia quàm multa, calida quàm frigida, tenuis quàm crassa. Est tamen tenuis materia plerunque importunior quàm frigida. etenim calor ut maximè actiuus, ita etiam paßiuus, planè in utrunque præceps. Sic se habet materia. Est etiam discrimen in morbis ratione loci: nam princeps particula diu pati non potest, & calor in ea plerunque multus, aut uinci, aut uincere festinat. Nunc in morbo acuto aut materia calida existit, aut certè princeps particula, aut illi proxima patitur, subinde utrunq; euenit. Quapropter male admodum mihi sentire uidentur, qui inter acutos, imò inter turgentes morbos colicam enumerant, tum propter alia, tum propter loci contemptum, ubi morbus circumscribitur. Neque distentio unquam morbus acutus esset, nisi propter musculos, principalia membra, suis muneribus frustraretur. Sed & ipsa cholera, præcipuã corporis actionem, quippe concoctionem omnino perdit. Quòd si ob dolorem, colicam inter acutos recensere uelis, uereor ne dentium dolorem aliquando omnino cum his numerare debeas. Nullos igitur acutos morbos inuenies, in quibus non aliquod ex principalibus uisceribus, aut saltem illi proximis afficiatur, ratione cuius grauißimi casus committuntur. Nam deperditis, aut attenuatis, uehementer principalium uiscerum muneribus non potest uita diu subsistere. Quocirca non solùm calida, sed & frigida materia hîc morbos acutos parit. talis est apoplexis, atque epilepsis. Acutos igitur morbos aut citißimè relinquere, aut subito interimere est necessarium. Terminatur autem & tertiana pura in quatuordecim diebus, & diaria in uno. sed & quartana, nedum quotidiana, aliquando citius finitur citra ullum discrimen aut periculum, propter materiæ breuitatem aut promptitudinem. Ita nequaquam omnes morbi, qui intra quatuordecim dies terminantur, acuti: neque rursus econuerso, in quatuordecim diebus terminantur omnes acuti, sed nonnulli ad uigesimum proferuntur, quidam etiamnum ad quadragesimum protrahuntur. Tales tamen non simpliciter, sed ex decidentia acutos nominant. fortè quòd in alios quosdam molliores

Solutio.

Materia morborum acutorũ tenuis est & procax, & cito interficit aut relinquit.

Colica non est morbus acutus.

Distentio.

Princeps particula aut morbum facile abolet, aut ipsa à morbo aboletur.

Longi morbi sæpe subito finiuntur ob materiæ paucitatem.

Morbi acuti ex casu, aut decidentia.

liores decidat, atq; transmutetur. Subinde enim euenit, ut qui in primis diebus fuerant acutiores, per imperfectam crisim fiant molliores, & post aliquot iterum dies acutiores. Hoc quidē ab utroque autore dictū est, atq; à nobis per experientiam sæpe uisum, atque in principio Aphorismorū ostensum. Veruntamen uel horū extremus terminus est quadragesimus. Ergo morbos, qui per crisim finiuntur, triplices facere oportet. Acutos, qui quatuordecim diebus iudicantur, quorū primus terminus est dies tertius, & nouißimus decimusquartus. Sunt & longi, quorum primus terminus est quadragesimus, nouißimus admodum uarius. Sunt inter hos medij per casum dicti acuti, atque ij medio aliquo die finiuntur, non tamen ultra quadragesimum proferuntur. Plerunque tamen longi paulatim terminantur, & qui ex pituita fiunt, aliquando sola concoctione finiuntur: sæpe enim pituita concocta in bonum sanguinem euadit. hoc est quod à tam multis fortè dicitur, quàm paucis intelligitur, acutos excretione, longos interim absolui concoctione. Simpliciter enim ac semper ambo concoctionem requirunt: excretionem uerò non semper, aut certè diuersam. Nam in acutis fit affatim, in illis uerò plerunque paulatim, ac per urinam sæpius, quàm per sedem, uel aliam subito partem. Ergo ubi ad extremum sermo redactus est, quatuor morborum erunt species, acutorum simpliciter, acutorum ex decidentia, longorum qui per crisim finiuntur, & nouißimè eorum, quæ potius concoctione, aut certè lenta expurgatione, quàm manifesta & subita expulsione, decedunt. Ita quidem ego lucis clarioris gratia digerere soleo.

Triplices morbi. Acuti. Longi. Medij.

Acuti excretione, longi finiuntur concoctione. In acutis excretio fit affatim, in lōgis paulatim.

Quadruplices morbi.

APHORISMVS XXIIII.

SEptenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & undecimus contemplabilis: ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus uerò & decimusseptimus contemplabilis: ipse siquidem quartus est à decimoquarto, septimus uerò ab undecimo.

PARVM est præscisse, atq; etiam prædixisse morbum intra qua-

tuordecim dies terminatum iri. Nam id ut omnibus acutis commune est, ita cuiuis paratum dicere, qui morborum acutorum genus nouerit. Verùm quónam die ex his omnibus iudicabitur, id non cuiusuis est præcognoscere, sed perspicacis tantùm artificis. Diximus in primo libro rerum capita, ex quibus in primo aut secundo die id longius coniectari licet. Propius uerò accedes ad ueritatem, si dierum contemplabilium, quos indices appellamus, naturam diligenter attenderis, qui ob hoc indices appellantur, quòd ea quæ proximo die critico fient, ferè præindicent. Nam ut criticus dies iudicat, ita contemplabilis indicat. Neq; enim in proximo crisis euenire potest, nisi in eo saltem uel manifesta fuerit concoctio. Contrà tamen fieri potest, ut in eo appareat cõcoctio, tametsi in die critico non sequatur iudicatio. Neq; enim omnibus in septima crisis euenit, quibus quarta nubeculam ostendit: sæpe pro motu morbi differtur diutius. Bonam crisim intelligo, quia mala ac mortalis sequi potest: tametsi nulla in urina uisa fuerit mutatio. Itaq; bonæ quàm malæ crises hactenus certius prænoscuntur, nisi loco manifestæ concoctionis in die cõtemplabili appareat signum manifestæ perniciei, ut pro alba nubecula nigra. Nam & id aliquando contingit: nec aliter hinc mala, quàm illinc bona crisis sperari potest. Verùm mala diem iudicatoriũ non semper expectat, sæpe anticipat. Igitur non tantùm decretorij, sed & contemplabiles dies diligenter annotandi sunt. Est autem contemplabilis uniuscuiusq; hebdomadæ dies quartus, iudicatorius uerò septimus. Quocirca totum morbum à principio in hebdomadas distinguere oportet, ita ut secunda hebdomada perueniat in decimumquartum. Quod si similiter numerare pergas, non quidem uigesimus, sed uigesimus primus ipse tertiam hebdomadam claudet. Neq; uigesimum, quadragesimum, sexagesimum, sed more Astrologorum uigesimum primum, quadragesimumsecundum, sexagesimumtertium habebis iudicatorium: quod experientia negat, & Hippocrates reprobat. Causa uerò est, quia maximæ mutationes in morbis pro mutatione quadrantum lunæ fiunt. Iam non integri septem, sed tantùm sex dies cũ septendecim horis, ac tertia circiter horæ parte quadram lunæ absoluunt, adeò ut tres quadræ, uiginti diebus & quatuor horis transigantur, quatuor uerò quadræ

Dies index aut contẽplabilis indicat.

Dies criticus iudicat.

Bona crisis fieri nequit in septimo, nisi præcesserit concoctio in quarto.

Bonæ crises malis certiores.

Quartus index.

Septimus iudex.

Mala quorũdam supputatio.

quadræ uiginti ſex diebus, & uiginti una horis, cum tertia aut circiter. Iis nunc adijce, quòd ubi in nouiſſimo præcedentis hebdomadis die, ſequẽs quadra notabilem partem habuerit, fortè dimidiam partem hebdomadas ipſas connectemus, atq; nouiſſimum diem præcedentis hebdomadæ ſequẽti annumerabimus. Sin autem minus, inuicem dirimemus. Secunda ergo hebdomada à prima diſtinguitur, atq; ab octauo, non autem ſeptimo die inchoatur. Non enim ſequens quadra dimidium diei ſeptimæ occupat, ſed ne decem quidem horas, tantùm ſex cum duabus partibus. Finitur autem hora decima cum duabus tertijs die decimoquarto, ita ut tertia quadra in die decimoquarto tredecim horas cum tertia parte obtineat. Quocirca tertia nõ quidem à decimoquinto, ſed à decimoquarto numerationis initium accipiet. Vigeſimo autẽ die tertia quadra nondum omnino perfecta eſt, requirit enim unuſquiſq; quadrans ſex dies, & ſeptendecim horas cum tertia parte. quo fit, ut uigeſimo die ſex dies & tredecim horas cum tertia parte habeat, reliquas à uiceſimo primo mutuetur. Ergo quarta hebdomada non inchoatur à uigeſimo repetito, ſed uigeſimo primo. Abſoluetur autem quarta quadra uigeſimoſeptimo, hora uigeſimaprima cum tertia: quoniam unuſquiſq; quadrans perpetuo ſex dies cum ſeptendecim horis & tertia requirit. Superſunt igitur à die uigeſimoſeptimo tantùm duæ horæ cum duabus tertijs. Quocirca quinta rurſus hebdomada non à uigeſimo ſeptimo, ſed uigeſimo octauo ducitur. Finietur autẽ in trigeſimo quarto, nec rurſus totum hunc diem occupat, ſed tantùm horas eius quatuordecim. Ab eodem igitur die, ſextæ quadræ, relinquuntur decem horæ cum una tertia. quapropter hic dies inter utranq; ambigit, & cum utraq; hebdomada communionem habet, ita ut ſexta hæc quadra quadrageſimo die hora ſeptima deſinat: quapropter mutationes quæ in eo contingunt, potius ad quadrageſimum referuntur, quàm quadrageſimumprimum. Tu fortaſſis per otium exquiſitius hoc tempus calculare poteris. nos enim hic cõmune aliorum iudicium ſequimur: nec ægrè feremus, ſi alio quàm Galenus modo, eiſdem diebus quibus diximus ſingulos lunæ quadrantes abſolui oſtenderis, ſi modo eoſdem dies criticos ſeruaris. Nam numerus ſolus nihil momenti habet. Vires lunæ quærimus, quæ iuxta Galenum, ſeptimo

Scrupuloſæ, & anxiæ ſupputationes.

Numerus nihil poteſt.

quoq; die primum, deinceps quarto magnam in rebus mutationem facit & ostendit: quocirca post septimum, quartum contemplari oportet: nam is saltem indicat, quòd sequens septimus iudicat, unde & contemplabilis quoq; dictus est. Hæc sunt, in quibus ad unum omnes Galenum sequuntur, nec ego quoq; lubens ab ea opinione discedo (tam grauis est autor) tamen perplexa mihi apparet, & multis argumẽtis obnoxia. Primùm, quòd quadrantes lunæ maius mutationis momentum obtineant in principio, quàm postremo, aut medio. Deinde quamuis singuli quadrantes postremi in luna mutationem ostenderent, non tamen id ad singulorum morborum propositum accommodare licet, quòd pauci omnino morbi cum luna incipiant, aut eius etiamdum quadris, nempe quadrantis extremum sæpe est morborum initium, nisi singulis momentis nouas uelis initiari lunationes, ac singulis eandem uim tribuere. Iam esto, quòd religiosam hanc supputationem in motibus & quadris lunæ seruare possis: nondum uideo, quomodo idem in motu solis tueri ualebis: attamen non aliter septimus annus, quàm septimus dies quosdã morbos immutat. Omitto nunc, quòd longè alia est hodie, quàm tempore Galeni motus lunæ supputatio. Neq; etiam scio, quorsum hos dies ad motum lunæ referimus, quum crises in paroxismos incidere sit necessariũ, quæ nullo modo astra respiciunt, sed humorum conditionem sequuntur. Ex eodem est, quòd quartus indicat, & septimus iudicat. Neque enim quiuis dies ex criticis indifferenter crisim promittit, sed is quem manifesta & perfecta concoctio præcessit. neque rursum perfecta concoctio statim ac semper manifestam sequitur, sed interuallo aliquot dierum subinde distinguitur. Et quidẽ in primis diebus, usque ad quartum ambo festinant, aliquando ambo ante tertium diẽ, aut in ipso apparent. Postmodum ferè à manifesta concoctione usque ad perfectam trium dierum spatium est: hoc est, à quarto usque ad septimum, à nono usque ad undecimum, ab undecimo usque ad decimumquartum, aliquando etiam maius. Maximè autem distrahitur post decimumquartũ: nam de die in diem efficitur debilior. quare concoctionem magis cunctatim promouet: & ut prius à tertio in septimum, ita nunc ferè à septimo in septimum crisis differtur. Illud est magis admirabile, quòd paroxismi,

Prioris opinionis multa incõmoda.

Nostra opinio.

A concoctione manifesta usq; ad perfectam in acutis fere interuallum triũ dierum.

qui

qui consueuerunt redire per tertium, & in parem diem, ab undecimo incidunt in decimumquartum. Verùm hæc quæstio nihilo magis meam cõmẽtationem impediet, quàm Galeni. Nam uel Galeno optima crisis cum paroxismo debet committi. Neque scio quid hîc illi dicent. Causa mihi ex diuersitate cunctationis & anticipationis apparet. neç usq; adeo ista stata sunt. Aliquando aliter euenit, & paroxismus cũ crisi interdum decimotertio aut decimoquinto contingit, ac rursus uicesimoprimo potius, quàm uicesimo. Itaque proportionem concoctionis oportet annotare, & ex ea cum paroxismo diem criticum connectere. Sic quòd quidam morbi septimo anno finiuntur, mihi potius causa est, quia temperatura singulis septennijs uariat, quàm quòd aliqua cœlestis causa superueniat. Ita quòd progrediente ætate singulis annis natura uariat, nihilo magis ob astrorũ facultatem accidit, quàm corporis ipsius naturam. Argumento est, quòd puellarum pubertas multos menses, subinde multos annos puerorum pubertatem anticipat. Quomodo ergo in his ambobus annorum aut astrorũ curriculis eandem causam astrues? Melius ergo est, ut in primo Aphorismorum diximus, apud nos causam aliquam in terris excipere, quàm longè ab errantibus cœlis inquirere. In quo quantum fluctuent Neoterici, ex diuersitate opinionũ est coniectari. Nam & ipsum Oribasium, qui et in hoc loco, & in priori aliquid conatur dicere, delirare diceres. Hugo Senensis controuersijs se implicat. Cornelius uerò Celsus Hippocratem male insimulat. Verùm superest, quod me male habet, nihil enim dissimulare uolo, quare suppurationes potius uigesimo, quàm uigesimoprimo soluãtur. Nam si astra nihil ad crises conferant, nihilomagis uigesimo, quàm uigesimoprimo tales iudicari debent, quòd suppurationes conditionem paroxismi imitentur, ac ferè singulis diebus occupent. An & ista ad humorũ & concoctionis proportionẽ referemus? & duntaxat magna ex parte intelligemus? Certè perpetua ac stata nõ sunt. Nã suppurationes nõ semper uigesimo, aliquãdo uigesimoprimo, aliquãdo rursus decimonono erumpũt.

Difficultas communis.
Nostra suspicio.
Morborũ p ætates terminus potius mutationem temperaturę sequit, quàm uim solis.
Neotericorũ fluctuatio.
Cornelius Celsus in Hippocratẽ iniurius.
Grauis quæstio.
Nostra suspicio.

APHORISMVS XXV.

AEstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt,

autẽ

autumnales uerò longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.

FORTVNATVM apparet, quòd quartanæ salubres, in æstate sint breuiores, quàm in autumno aut hyeme. quippe calor naturalis, cuius est morbum concoquere, tempore hyemis longè fortior apparet, quàm tempore æstatis. Frustra etiã quis cogitat, quòd citius in æstate expellentur, quia nullus morbus rectè euacuatur, nisi antea fuerit cõcoctus. Iam naturalis difflatio, quæ sola morbo aduersari uidetur, hæc quoq; per hyemem quàm per æstatem confertior est. Si uerò innaturalem illam resolutionem attendas, qua boni & mali succi euidenter funduntur, neq; hinc, ut apparet, proficies: quoniam nihil confert ad breuitatem morbi malos succos resolui, quibuscum & ipsa natura simul funditur. Eadem enim potestas est breuis naturæ aduersus breuẽ materiã, qualis est fortis aduersus rebellem. nec citius modicus calor modicam materiam conficere poterit, quàm multus multam. Quocirca longitudini ægritudinis nihil detrahit resolutio, quæ simul naturam consumit, & materiam, siue salubris, siue insalubris morbus fuerit. Sed & in salubri morbo, si natura plus fundatur, quàm ipse morbus, morbum protrahit, non abbreuiat. Denique in mortali morbo, si fortè humor morbosus plus quàm natura reflatur, & hic quoque ipsa resolutio mortem potius differet, quàm citabit. Adeoque multis comparationibus apparet, æstatem non tam breuium quàm longorum morborum causam esse. Sed his omnibus euidens experientia repugnat, quocirca necessum est, ut priores ratiocinationes clam falsum contineant, & si eas subtiliter exequamur, inueniemus quòd potius id quod fieri possit, quàm quod accidit numerant. Nam si morborum fortunam ac casus spectemus, raro admodum depræhendemus, quòd æqualiter soluantur humores boni & mali: sed nunc magis benigni, nunc magis maligni. Plerũque autem plus mali, quàm boni effertur: nam natura ferè pertinacius retinet benignum, quàm malignum. Hæc est causa, quare natura eundem morbum magis æstate, quàm hyeme abbreuiat, etenim materiam paucã citius, quàm multam superat. Frustra ergo prius argumentum adductum est

Aphorismus ex omni parte rimos⁹ apparet.

Resolutio innaturalis & bonũ & malum fundit.

Aestas aliquãdo mortales morbos producere põt.

Raro ex æquo soluuntur benigni & maligni humores.

Aphorismi causa.

est de concoctione: quoniam externa resolutio eam contemnit. Amplius licet externus calor nihil conferat ad naturalem cibi concoctionem, tamē ad morbi extenuationem mediocriter, quòd omnis caloris, nedum interni, sit extenuare. Ergo quod de quartana exemplariter dictum est, de tertiana quoque dicitur: non per Iouem, quia bilis tempore æstatis parcior est (nam id falsum est) sed quia resolutio maior. Idem quoque de alijs materialibus morbis intelligere oportet. Nititur Hugo Senensis, apoplexim & morbos similes excipere, cui apopleticus citius in hyeme, quàm æstate moritur. Hoc quantum habeat momenti, aliquis uiderit. Nam licet citius suffocetur calidus, quàm frigidus, iuuenis quàm senex, nōdum ob hoc dabo, quòd citius moritur ac reuertitur apopleticus hyeme quàm æstate: nam & æstate calor magnus est. Saltem nullo modo apopleticus citius reuertitur in hyeme, quàm æstate. Ad hoc quicunque respexerit, facilè reliquas Hugonis ambages excludet. Nam Oribasius hic iterum nugatur. Quando uerò materiæ multitudo morbum breuiat, & quando producit, dictum est prius. itaque nihil hîc amplius immorandum est.

Externa resolutio concoctionem contemnit.

Omnis calor extenuat.

Eneruis Hugonis expositio.

APHORISMVS XXVI.

FEbrem cōuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem.

NON omnis materia conuulsionem committit, tantùm ea quæ insignem aliquem tumorem efferre potest. Talis quidem, dicente Galeno, frigida & uiscosa est. Credo quòd ita commentatus Galenus fuerit, quia cō modius frigidam quàm calidam materiam febris soluit. Fortè, quia articuli promptius frigidam quàm calidam materiam colligunt. Verùm quæ subitò fit, ex distillatione aut defluxu totius corporis oritur, magna ex parte calida existit. De utraque hanc sententiam intelligo, uel ob eam causam, quia calida materia ultro ac promptè febrem accendit, nec minus quàm frigida, imo citius à febri dissoluitur. Parum ergo incommodi affert febris, quæ conuulsionem sequitur, præsertim diaria. Sed neque putrida semper periculum affert: quoniam aliquando materiam (quæ conuulsionem facit) dissoluit. Non potest similiter secūda conuulsio febrium dis-

Materia conuulsionis Galeno plerunq; frigida & uiscosa.

Potest Aphorismus intelligi de conuulsione ex materia calida & frigida.

Febris secunda conuulsione nō corrigitur.

ijcere, sed ipsius partis aliquãdo uniuersi corporis exiccationem sequitur. Nam quòd febris materia in conuulsionem abiret, rarum est, atque alijs accidentibus designatur. Non debebat igitur Hugo Senensis, propter hæc, sequentem Aphorismum, In morbis minus periclitantur. &c. de morbis materialibus tantùm distinguere: quoniam & in immaterialibus uerus est. Multa alia possemus hîc de conuulsione dicere, sed præstat unumquodque suo loco seruare, atque ad sextum librum (ubi dicemus quãtum in hoc argumento claudicauerint Neoterici) differre.

APHORISMVS XXVII.

His qui non ex ratione leuius se habent, non oportet fidere, neque multum mala formidare, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt: neque multum durare & permanere consueuere.

Natura signorum criticorum melior q̃ phantasia.

DVPLEX est huius Aphorismi sectio. Posteriore Galenus naturam signorum criticorum notat, quorum natura multo melior est, quàm phantasia. Namque licet in se sæpissimè pessima sint, optimum plerunq; finem propè esse denuntiant. Priore uerò contraria signa intelligit, quorũ phantasia quidem bona est, sed occasio pessima. Sunt autem accidentia eorum morborum, quorum nulla facta est excretio, aut (ut morbis longis fieri solet) concoctio: sed fortè in aliã partem abscesserunt, atq; intus fortè in nobiliorem partem recesserunt. Tantus est morbi impetus. Neque malo caret, etiamsi in ignobiliorem decesserit partem. semper etenim maximum atque importunum naturæ laborem significat. Hæc ergo remissio ferè perniciosa est, tantum abest, ut sit fidum salutis argumentum. Contrariæ naturæ critica signa sunt, quæ sequuntur morbi discretionem, quæ nõ solũ nõ mala, sed simpliciter bona. Proinde siquidẽ pace Galeni mihi dicere liceat, hũc Hippocratis locũ ad extraneas causas referã. Nã & ipsæ nõ nũquã ægrũ alleuiãt, aliquãdo autẽ aggrauant: quarũ cõditio ut leuis est, ita de his dicere possumus, quòd nõ oportet eas multũ formidare. Sed neque ea quæ tali ratione alleuiant, multum commendare, tantùm aliqua

Signa citra concoctionẽ secura non sunt.

Galeni expositio parum obliqua.

Nostra expositio.

Causę externæ.

ex parte, quod de his dici non potest, quæ simpliciter sunt exitialia. Quẽadmodum neq; critica, quæ simpliciter bonum arguunt, potes dicere parum mala. Id solùm illis conuenit, quæ foris imminent, inter quæ primũ est astrorum facultas, atq; aër ipse. nam hæc aliquando lenitatem uiribus adijciunt, aliquando uerò hilaritatem ipsis auferunt. Secunda causa est animi affectus. alius enim calorem suscitat, alius abbreuiat. Horum ratione, ubi æger uel aggrauatur uel alleuiatur, contemnendum non est, sed tamen multò minus æstimandum, quàm si occasione morbi hæc euenirent. Audacior ad hanc interpretationem sum propter Galenum, qui in eo Aphorismo, Austri auditum hebetant, &c. *medicum monet, ut accidentia ea quæ externas causas sequuntur, ab his diligenter secernat, quæ ob conditionem morbi concomitantur, hoc est, cruditatem atque concoctionem: nam in his duobus ferè consistit morbi conditio. Tribus ergo de causis morbus in melius mutari apparet, nonnunquam ratione materiæ, quæ intrò abscedit: subinde ratione exteriorum accidentium, astrorum aut aliorum. At sola alleuiatio fidelis est, quæ concoctionem morbi & expulsionem sequitur. & econtrario sola ea aggrauatio timenda est, quæ corruptionem materiæ portendit. nam quæ crisim præcedit, bona est. Non redarguet hanc nostram commentationem Hugo Senensis, quoniam & ipse hæc apposuit, tametsi Galeni expositionem recepit. Oribasius uerò nihil aliud, quàm temere ad historiam quandam digreditur.*

Astra, aër, & id gen' alia.

Affectus animi.

Galeni attestatio.

Tribus modis morbus uidetur mutari in meli'.

APHORISMVS XXVIII.

FEbricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, uel etiam plusquam ratio postulat contabescere, malum. Illud enim morbi longitudinem, hoc uerò imbecillitatem significat.

MVLTA sunt quæ corpus extenuant. Primùm singula illa, quæ nobiscum conuersantur, ac quorum societatem nunquam uitare possumus, res præter naturam uulgo dicuntur. Præter has autem etiam ea quæ sunt contra naturam: ut morbus cum suis accidentibus, & causis. Nam

Res præter naturam.

Res contra naturam.

hæc eo magis corpus extenuant, quo sunt maiora, ac grauiora, & ut inquit Galenus, febres magnæ magis extenuant, quàm paruæ, quanquam etiam ex maiori plenitudine eueniant. Accedunt tertiò & ea quæ sunt iuxta naturam. nam inter temperaturas altera ad difflationem opportunior, nempe calida & humida, quàm frigida & sicca, atq; in hoc quodammodo temperatur aëri contraria est. Nempe hic quo humidior est, eo minus resoluit. sudores in eo argumento sunt, qui sub eo magis debilem quàm fortem resolutionem significant. Sub temperatura oportet comprehendere habitum, quoniam hic temperaturam sequitur, atq; densus longè difficilius tenui difflatur. Idem quoq; de humoribus dicere oportet, quoniam sub eodem genere continentur. Quartò est uirium imbecillitas, nihil enim hac promptius, ac magis affatim corpus extenuat. Non oportet autem intelligere imbecillitatem retentiuæ, fortè ex sola humiditate, sed ex caloris naturalis magna inopia, à quo dependet principalium uirium principalis fortitudo ac robur. Nam ut radices uegetes terram amplectuntur pertinaciter, ita & in partibus corporis nostri contingit. uide in mortuis quàm facilè soluantur. Sed antehac apparebit ea facies, quam in primo Prognosticorum describit, nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora &c. Siue igitur corpus multum febricitet, siue non, ac præter rationem illorum quæ in tribus primis differentijs diximus, extenuetur, non quidem simplicis retentiuæ, sed uirium omnium (hoc est caloris naturalis, à quo uires omnes dependent) non sine magno discrimine imbecillitatem significant, & magis ubi tantùm leuiter corpus febricitet, aut omnino non febricitet. Quapropter ego illã particulã, Nõ omnino leuiter, præsertim ob priorem Aphorismi sectionem, adiectam puto: quemadmodũ reliquã definitionem, Plusquam ratio postulat, uerisimiliter tantùm secundæ particulæ Hippocrates accõmodauit. Non enim potest corpus in febribus constare citra humorum crassitudinem, quippe ijs absumptis facilime corporis iactura fiet. Galenus in Hippocrate, uirium imbecillitati humorum tenuitatem ac corporis raritatem adijcit. & potest ferri expositio. spero tamen, quòd nostra erit Hippocrati acceptior: nam secus secunda pars Aphorismi falsa erit. Nam nihilo peior est corporis

Tertiò uiriũ imbecillitas extenuatiõis causa est, aut temperatura.

Calida & humida temperatura ad difflationẽ maximè idonea.

Tenuis habitus citius difflatur quàm densus.

Comparatio cum plantis.

Nostra expositio.

Prior appendix priori, posterior posteriori tantùm debetur.

Galeni supplementum.

poris colliquatio ob corporis raritatem, aut humorum tenuitatem, quàm aëris caliditatem. Nemo quod sciam istud suspectum habuit. Sed Oribasius nescio quam inutilem de internis & externis febribus partitionem reliquit, imitatus ignauos in opere medicos, qui ex quouis urinæ rubore febrem asserunt, quam cùm ægri nesciunt, ad internas refugiunt.

Inepta & indocta Oribasij distinctio.

APHORISMVS XXIX.

CVm morbi inchoant, si quid mouẽdum uidetur, moue. Cum uerò consistunt, ac uigent, melius est quietem agere.

MAGNAM fecit controuersiam omnibus hæc sententia: quoniam ex diametro illi uidetur contraria, in primo libro scripta, ubi dictũ est, quòd duntaxat concocta oportet medicari, neq; in principio, nisi materia turgeret. Atq; alij aliud commenti sunt. plurima autem pars in eo conuenit, quòd in primo libro loqueretur Hippocrates de principio secundùm concoctionem: in proposita uerò sententia de principio secundùm accidentia. Sed nihilominus ita pugnant sententiæ, quàm si utroq; in loco de principio secundùm concoctionem loquaris: quoniam in simplicibus febribus (illis attestantibus) hæc duo principia conueniunt, & si quàm maximè dissiderent, tamen nondum ex hac partitione sequetur cõcordia. Nam principium accidentium concoctionem antecedit: quare qui in horum principio purgat, concoctionis quoq; initium anticipat. Igitur alij purgationes quàm tempora partiri malunt, in minoratiuam, de qua præsentem sententiã intelligũt, in eradicatiuam, quam in primo libro audiuit. Atq; hæc quidẽ diuisio rationabilior uidetur primũ intuentibus, postea uerò diligenter eam spectantibus inutilis magis est. Nam si nihil aliud dixisset, quàm id, Cùm morbi inchoãt, si quid mouendũ uidetur moue: *tolerari poterat hæc distinctio. sed sequẽs particula, ubi inquit,* Cũ uerò cõsistnut ac uigẽt, melius est quietẽ habere: *eã simpliciter aufert. Nã certũ est, quòd hic eandẽ interdicat, quam in priori particula admisit. Sed neq; intelligi possit, quòd Hippocrates in statu minoratiuã interdicat, & eradicatiuã admittat: quoniam eradicatio ma-*

Cõtrouersia.

Neotericorũ absurda compositio.

Principiũ accidentiũ præcedit concoctionem.

Secunda Neotericorum distinctio.

gis, quàm minoratio, naturæ quietem interrumpit. quippe eradicatiua uel ipsis dicentibus multo fortior est. Iam ergo neque ijs distinctionibus satis fidunt, sed tertiam adijciunt, scilicet statū in duas partes diuidunt, in priore quidem damnant, in posteriore uerò nihil purgationem reformidant. itaque hanc præsentem Hippocratis præceptionem tantùm de priore intelligunt. Melius autem fecissent, si priorem partem sibi ad purgationem seruassent. nam ratio, quæ subsequitur, magis posteriori, quàm priori parti conuenit: quoniam nusquam fortiora accidentia, quàm in status parte nouissima. Sed neq; Hippocrates simpliciter in statu purgationē omnem prohibuisset, si quidem in altera eius parte consultum habuisset. Non uidetur autem hæc controuersia tantùm Barbaris fecisse difficultatem, sed & Græcis. Quippe Oribasius ipse post otiosas quasdam ratiocinationes hanc præsentē sententiā duntaxat ad morbos acutos contrahit. Fortè quibusdā & Galenus idē facere apparebit. Est autē uerisimile, Hippocratē ad omnem morbum ex humorum uitio generalem posuisse: quippe ratiocinatio, quam subijcit, uniuersalis est. Sed neq; Galenus hoc palàm dicit, sed nescio quid ueritus, phlebotomiam sub hac commotione comprehendit, quæ concoctionem & in longis & in acutis anteuertere potest. Quare si ita uerbum, Moue, audire cōtendas, protinus locos inter se composueris, qui inter sese alioqui plurimum uidebantur dissentire. Periculū tamen est, ne Hippocrates hanc compositionem nolit. Omitto, quòd purgationē excludere non possis, licet phlebotomiā simul complecti uelis. Itaque semper eædem manebunt anxietates, in quas Galenus incidit, nō ob aliam causam, quàm quia nomen principij nimis angustè suis tribus significatis coëgit, pro primo insultu, scilicet pro prima accessione, & tertio, pro eo quod terminatur signis concoctionis: quartum enim ex sententia Hippocratis oportet apponere, quod uerum principium atq; augmentum continet, quodq; in statum protrahitur, atq; ab eo tantùm distinguitur. Id nunc manifestè ex uerbis Hippocratis constat, qui principio nominato ad statum transiliuit, tanquam augmentum sub principio continuerit. clarius id cognosces, quia morbum in tria duntaxat tempora partitur. Hoc igitur modo auditus Hippocrates, nullam admittit controuersiam, sed

Statum diuidunt.

Oribasij anxietas.

Galenus dubitare apparet.

Galen⁹ quartū principij significatum non agnouit.

Hic principium continet augmentū.

sed consentanee alijs locis, tantùm augmentum deputat purgationibus, quod melius est nunc exemplis, quàm rationibus astruere. Nam peruicaces nunquam rationibus conuinci possunt, sed, ut inquit Galenus, more prostratorum adhuc malignè à collo dependent. Sunt autem manifesta ea, quæ ipse in libro De arte curatiua febrium ad Glauconem scribit, ubi purgationis opportunitatem captans, Toties, inquit, ubi signa cõcoctionis sese aperuerint. Nunquid hic palàm omnibus audientibus, tantùm manifestam concoctionem ad purgationem requirit? Et si intelligas, cùm apparuerint signa perfectæ concoctionis, nunquid tantùm ad secundam partem status cõtrahes? Certè uel in principio status signa perfectæ concoctionis apparent: quia augmentum, dicente Galeno, signis perfectæ concoctionis finitur. Verùm ista ex illis locis tam manifesta sunt, ut nemo repugnet, nisi qui alteri sectæ mancipatus fuerit. Nec mirum, quia huiusmodi homines (inquit Galenus) magis pro secta pugnant, quàm patria. Quod in re physica ferendum erat, sed in re adeò periculosa uereor, ne cum ueritate deũ offendant: sed ipsi uiderint. Nam si uerũ fateri uolũt, solũ augmentũ iam sciunt nobiscũ ad purgationes opportunũ. Quippe cur principiũ inidoneũ fuerat, in primo libro Galenus dixit. Cur autẽ status inidoneus sit, ipse Hippocrates statim asscribet. Nõ cõtentus autẽ ea sola causa Galenus, alterũ adiecit, quam ex cõparatione uirtutis accepit. Nam licet (inquit) eo tempore uirtus naturalis atq; uitalis fortes persistant, animalis tamen eo tẽpore fatigata iacet. Neq; hanc contẽnere debes, tanquam parũ ad purgationes opportunã: quippe ferè ea est, quæ medicamẽto purganti subseruit, & alioquin una deperdita, reliquæ duæ intereunt: adeo sibi inuicẽ impendent, ac tam uel illæ facultates multo sunt retusiores, quàm prius, respectu animalis, aut etiam morbi, dicuntur mãsisse fortes. Huius contrarium accidit in morbis longis: quippe hîc animalis firmior, quàm naturalis deprahenditur: frigida enim est, ac pertinax, longorum morborum materies, quæ aciem caloris naturalis obtundit: raro autem, ac non nisi tandem, uirtutem animalem frangit. Viscera etiam, in quibus naturalis facultas habitat, per morbos longos magis afficiuntur, quàm per acutos, quòd hic rarius aliquis peculiaris locus affe-

Pertinacium hominũ mos.

Virtus animalis in statu debilior reliquis.

In longis sæpe pertinacior animalis q̃ facultas naturalis.

ctus

ctus sit. Nihil ergo mirandum est, si in morbis longis uirtus naturalis magis labefactatur, quàm acutis. Verùm cur in acutis animalis magis labatur, quàm naturalis, aut etiamdum uitalis, alia est, & forte magis occulta ratio: nec ego inuidebo, si quis forte alius potiorem reddere poterit. At mihi apparet, animalem facultatem promptius quàm naturalem, aut uitalem calido offendi. quia calidum caput promptè ferit, ac spiritum animalem disijcit. Spiritus enim hic subtilis, ac, ut ab omni excellente calido discutiatur, idoneus. Hoc & potus uini attestatur: uidetis enim ut omnibus reliquis operationibus illæsis, cerebrum illo offendatur, atque totus homo titubet. Hoc animaduertisse uidetur, quicũq; primus cerebro potius, quàm alteri parti uinũ inimicũ pronũtiauit. Ac tantũ super accessoria Galeni ratione, qua ultra Hippocratẽ in statu purgationẽ damnauit. Aspernatur autẽ & natura ipsa tale adminiculũ. Rarũ enim est, ut morbũ quem concoquere potuit, nequeat excludere. Accidit tamen aliquando, quoniam hic est alter in statu morientiũ modus, ubi naturã suscitare atq; adiuuare oportet, si quid in præterito tempore nos subterfugerit. Sed potius est in augmento periculum anticipare, quàm nouißimam status partem expectare, aut in principio temere mouere, parum uerentes, quòd natura tempore augmenti nihil tale frequenter moliatur. Operum enim naturæ medicus æmulator est, non autem eiusdem tempestatis perpetuo, ac paßim: alioqui subinde serius illius subsidium eßet. Hoc uno igitur uerbo duos nodos explicauimus, alterum, qui ob prædictam rationem conabatur in augmento purgationem tollere. alterum, qui in statu uolebat astruere. Nihilosecius & id quod in statu fit, aliquando medicus quoque imitatur, neque ab eo quod in augmento fit, natura semper abhorret, ut in crisibus imperfectis cõtingit. Plerunque ergo purgare oportet in augmento, raro in statu, rarius in principio, nũquam uerò in perfecta declinatione. Declinationẽ autẽ appellamus, ubi iã accidẽtia subsederint, & maior pars materiæ concocta, atq; etiãdũ expurgata fuerit. Sed de hac re prius.

[Margin: Virt⁹ animalis citius offẽditur calido q̃ naturalis.]

[Margin: Vinum cerebro inimicũ.]

[Margin: Aliquando æger in statu moritur.]

[Margin: Rarò natura mouet in augmento.]

APHORISMVS XXX.

Circa initia & fines omnia imbecilliora: cum uerò consistunt, fortiora.

AN

AN putredo cum concoctione promoueatur, contrariæ sunt inter Neotericos sententiæ, nec aliqua ex parte cohærentes. Verùm de his nos alibi, & in primo Aphorismorum, & in libello De opportunitate auxiliorum. Hæc autẽ causa, quæ hic subijcitur, tertia est prioris Aphorismi, ex accidentibus desumpta, quæ tempore status sunt maxima, ac talia quæ aliquando concocta materia naturam interimunt.

Accidentiũ fortitudo sæpe ægrum interimit in statu.

Quòd tamen morbus in salubribus hoc tempore mitior sit, ac melior, in præcedente commento Galenus subscripsit, & nos in primo libro demonstrauimus, ubi & illud perstrinximus, non omnia quidem in statu accidentia fortiora esse, sed tantùm communia. Verùm & hæc aliquando imperfecta crisis minuit: quia & ipsa aliquando magnam quantitatem sequuntur. itaque in longis sæpius sub statu mitiora, quoniam in his tam per sudorem, quàm per urinam, atque alios meatus, non infrequenter morbus concoctus paulatim decedit.

Impfecta crisis accidẽtia minuit.

Nunquid ergo ob hæc tempora morborum partiemur, atq; præsentem statum ad statum accidentium cõtrahemus, quemadmodum Hugo Senensis, ac reliqui Neoterici? Nequaquam. Sic enim talis fiet sententia, Quando accidentia incipiunt, sunt leuißima: sed quando sunt in statu, sunt maxima: hoc est, quando maxima sunt, tum maxima sunt: id enim est ea in statu esse. Qua sententia nihil erit nugacius, aut absurdius. Reliquas Hugonis ambages de successu putredinis, & cõcoctionis, nos in primo libro distinximus: quapropter hîc eas repetere est superuacaneum.

Ridicula expositio.

APHORISMVS XXXI.

EIus qui ex ęgritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.

GERMANA hæc est sententia, cum ea quæ nuper scripta est, Si quis à morbo cibũ assumens &c. *Nã siue assumentes corroborari aut proficere dicas, nihil interest, sed alterum alterius signum, alterum causa est: scilicet quòd corpus proficiat, robur potentiæ in causa est: atque rursum quòd potentia corroboratur, promotio corporis præsens signum est. Hactenus ergo sententiæ conueniunt, sed commenta aliqua ex parte dißident. Nam illic Galenus duas aßignauit cum Hippocrate prædicti*

Alterũ signũ, alterũ causa.

Oppositiõis phantasia.

symptomatis causas. hic uerò tertiam, quæ neutri prædictæ respődere uidetur. Sed si paulo studiosius rem inquiramus, inueniemus alteram, quæ hîc dicitur sub altera prius reddita comprehendi. Nam quòd citra humorum malignorum reliquias ingestus cibus corpus non promoueat, in causa est alimenti copia: quippe mediocre alimentum modica natura facilè conficiet.

Compositio.

APHORISMVS. XXXII.

OMnes ferè qui male se habent, circa initia bene cibati, nec quicquam proficientes, circa finem rursus non appetunt. Qui uerò circa initia cibum ualde non appetunt, postea bene appetentes, ij melius euadunt.

QVIA prædictus sermo fuit de conualescentibus, suspicatus est Galenus & hunc quoque de eisdem esse. Verùm fastidiosa est eodem in loco eiusdem sententiæ repetitio, tametsi in eodem late libro tolerari potest. Omitto, quòd hæc eadem in principio huius libri posita est. Durior etiam sermo erit, si de conualescentibus intelligas: quippe ægri potius, quàm conualescentes, male sese habere dicuntur. Promptius est ergo initiũ morbi, quàm conualescentiæ intelligere, & rursus finem morbi, quàm conualescentiæ. Iam quomodo finis conualescentiæ censebitur, & non potius initium noui morbi, ubi uigor appetitus prosternitur? Periculum etiam est, ne saltem secundus sermo falsus sit, de conualescentibus intellectus: melior enim conualescentia, ubi appetitus statim redit, quàm ubi diutius prostratus iacet. Melius poterit excusari prior particula, propter adiecta uerba, Nec quicquam proficientes. *id enim de cõualescentibus magis dici solet. Nostra tamen commentatio utriq; parti paulo æquior apparet. Nam in principio ægritudinis ferè melius est, ægros parum quàm multum appetere: etenim non nisi cum periculo certè morbi augmento alimentum conceditur, & appetẽtibus difficile cibus interdicitur. Argumento sunt, qui sitiunt: nam quotusquisque est, qui à potu abstineat? Ex hac causa mihi euenire uidetur, quod alibi diximus, plerosque efflorescentem morbum*

Galeni expositio dura.

Nostra opinio.

Melior cõualescentia cũ appetitu coniuncta, q̃ quæ eo destituitur.

Fames difficile patitur inediam.

euin-

euincere, qui semina ipsius morbi nequiuerunt tollere. Nam quãdiu appetitus uiget, noua materia accessit, quæ tempore inediæ melius concoquitur. Ab hoc tamen sermone oportet excipere eos, qui ex corruptione & inedia laborant. nam de ijs Auicenna dixit, quòd optime ualent, qui constanter comedũt. Ob hos fortasse Hippocrates quoq; non dixit absolutè, omnes, sed omnes ferè. Cornelius Celsus hoc loco doctus dixit, quòd morborum initia famem & sitim desiderant. Iis consentit, quòd in primo Aphorismorum diximus, initia morborum tenuiorem uictum requirere, quàm augmenta. Nusquam tamen bonum est, iuxta sequentem Aphorismum, ita fastidire, ut ne legitimum quidem accipere possis: sed duntaxat malum est, ægros in principio plurima ingerere. At qui illi sunt, promptum est colligere: ferè enim ij qui multum difflantur, ut pueri, uel qui morbis laborant frigidis, argumento quartanæ.

Morbi ex corruptione sanguinis.

Morborũ initia sitim & famem desiderant.

Pueri & laborantes morbo frigido, diu appetitũ retinent.

APHORISMVS. XXXIII.

IN quouis morbo mente bene constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum. Contrà uerò se habere, malum.

DIC, precor, nunquid puerile est, hunc Aphorismum uelle redarguere, ex eo quòd nullum sit signum salutare, uel hoc, uel aliud, quod in omni morbo appareat, cùm multi mortales sint. Certe tum Hugo Senensis, tum alij, quicunque aut hic, aut alibi aliquid simile scripserunt, potius studuerunt inuenire quæ paginas explerent, quam quæ sententias illustrarent. Talis est & Oribasius, qui ad otiosas interrogationes digreditur. Satius erat hic cogitare, quare quidam morbi mentem statim perdunt, quidam usque ad finem integram retinent. Pendent autem omnia ex consensu partium: nam morbus procul ab ipso cerebro ferè usque ad mortem mentem habet illæsam. Qui uerò in partibus cerebro consentientibus existit, ferè eam statim turbat. Difficilior est quæstio, ecquid potius mentem, quàm intellectum scripsit. Ac fortassis quidam alterum pro altero recipiunt: mihi tamen cum multa ratione ita distinxisse Hippocrates apparet, quia intellectus circa subtiliora uersatur, & ea quæ contemplamur, mens

Ociosorũ hominũ labor.

Morbi extra cerebrũ usq; ad mortẽ sensum patiuntur & intellectum.

mens sola externa respicit, & ea quæ foris gerimus. Parum ergo est, quòd ægri parum feliciter nunc intellectu contemplari possunt. Sed non est citra magnum periculum, ut mens aberret, ut quis absurda loquatur, & temeraria moliatur. Fortè erit, qui hanc nostram differentiam parum feret, neque diu contendemus. Satis enim nobis est, ex hac qualicunq; mentis constantia, principalis omnium operationum promptuarij, quippe cerebri sanitatem demonstrasse, atque deinceps omnium eorum, quæ ab eo oriuntur. Fateor, illæso principio ipso, orta in se offendi possunt, uerũ hæc fermè paruum ad salutem aut mortem momentũ obtinent. Non est æque promptum, ex uigore appetitus, uniuersi uentris, atque adeò ipsius cordis, sanitatem demonstrare: nam duntaxat in stomacho residet, nec super illius sanitate semper duntaxat aliquando certa significat: nam & stomacho admodum flaccido, ut in decrepitis, ipse uiget. Sed de naturali appetitu loquimur, ad cuius firmitatem multarum aliarum partium requiritur sanitas, non tantùm ipsius hepatis, uerùm etiam usque ad extremas particulas ferè reliquarum omnium: nam nisi in his omnibus naturalis appetentia, atque attractio legitima constiterit, tandem & ipse appetitus in uentriculo, qui hæc sequitur, desinit: quoniam appetitus in uentriculo horum uigorem atque suctionem sequitur. Non possunt autem diu & commodè attrahere partes externæ, si uitiata concoctio fuerit, aut calor ipsas defecerit, mediante quo omnis operatio perficitur. Proinde appetitus uigor, & cordis quoque firmam facultatẽ significat, à quo fons omnis caloris proficiscitur. Videte igitur, an non multum spei nobis relinquitur, ubi has duas operationes integras, ac per omnia ferè tempora constantes (id enim sententia requirit) inueneritis. Reliqua ferè pro diuersitate morbi euariant: exẽpli causa, spuma in epileptico, aut bona, aut saltem ignaua, in apopletico ferè pessima. Et iterum anhelitus facilitas in acutis (inquit Hippocrates) omnibus magnã uim habet ad salutem, in longis uerò modicam: quoniã hic raro periclitatur facultas animalis, sæpius uerò naturalis.

Grauior apparet morb' qui mentem, quàm qui intellectum offendit.

Cerebri constantiam arguit uigor mentis.

Alacritas naturalis appetitus requirit hepatis & extremorũ integritatẽ, nedum uentriculi.

Spuma in apopletico mala, in epileptico bona.

APHORISMVS XXXIIII.

IN morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis con-

gruit

gruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum congruit.

NON immutat temperaturam genuinam sola ætas, aut aër occasione regionis, aut etiamdum tempestatis anni. idẽ facit & uictus. Quamuis ergo Hugo Senensis id neglexit, omnia hæc habitus nomine oportet cõtinere, ut talis sit sermo: Morbus securior est in temperatura sibi simili, quàm dissimili, siue ea sit tẽperatura genuina, siue ascititia. nam & cum aëre, & cum uictu tandem natura nostra quandam familiaritatem init. Verùm aliquando aër, uictus, affatim nobis incidunt, & corpus nostrum subito exercent: aliquando autem paulatim nobis horum qualitas insinuatur, ac multo tempore eius modica qualitate lætè fruimur, tandem uerò obruimur. Ita utrinque, & à simili, & à dissimili qualitate earum rerum, offendimur: sed altero frequentius, altero uerò grauius. Nam affectus similium securior, alter uerò periculosior. & potest tamen aliquando secus euenire. Nam febris ardens multo periculosior in corpore cholerico, quàm dolor leuior capitis ex cholera in corpore frigido. Ita econtrario in corpore frigido minus periculosa, quàm cachexia. Verùm ubi idem morbus utranq; exercet temperaturam sibi similẽ, ac dissimilem, semper in dissimili corpore periculosior existit. Exempli causa: eadẽ febris ardens in corpore cholerico multo securior, quàm in pituitoso. Quippe ut unusquisq; morbus longius discessit à natura, ita est periculosior. Nunc certũ est, quòd febris ardẽs amplius immutauit corpus frigidũ quàm calidum. Euidens est exemplum, aqua ex natura frigida difficilius in feruorem attollitur, quàm tepida. Fortè cogitabis tecum, quòd corpus frigidum citra detrimentũ suæ sanitatis possit incalefieri more cholerici. uerùm hoc falsum est. Ita neq; febres illæ, quas Galenus in commento comparat, simpliciter æquales sunt: nam hyeme quàm æstate maior est. tamen tactu ipsius medici æquales sunt. Atq; hoc est, quod Galenus spectauit, quum inæquales dixit. Semper ergo unum morbum ad duas conditiones conferre oportet. Secundũ hunc Aphorismum de similaribus morbis oportet tantùm accipere. Nã ut ad phthisim magis procliues sunt, quibus cerebrũ calidũ

Aphorism sententia.

Affectus similes plerunq; securiores.

Oportet unum morbũ conferre cũ duab⁹ diuersis temperaturis.

Exemplum ex aqua.

Febres tactu medici æquales, respectu diuersarũ tẽperaturarũ inæquales.

aut certè calidis distillationibus opportunū, collum longum, pectus angustum: ita ubi ij in pthisim inciderūt, difficilimè conualescūt: difficile enim sputum ex angusto pectore, ac per longam uiam effertur. Fortè etiam nihilo promptius curabuntur, quibus latum pectus est: nam grauis debet esse causa, quæ in his materiam tantisper retineat, donec pulmonis particulam uiolet, aut erodat. Hæret Galenus maximè in raucedine: nam licet hæc maximè familiaris ipsis senibus decrepitis, ægrè tamen aut nunquam concoctionem accipit. Galenus duplex huic obiectioni responsum parat. Aliud est, inquit, morbum non posse concoqui, aliud esse periculosum. Verùm hæc responsio difficultatem potius suspendit, quàm tollit. nam quòd concoqui nequit, tandem mortale existit. Melius ergo tandem id quod per se est, ab eo quod per accidens distinguit. Nam & raucedo nequaquā per se, hoc est, suæ magnitudinis ratione, est in senibus periculosa, sed ratione uirtutis, cuius occasione & omnis alius morbus in senibus metum affert. Nec id hic nouū est: quippe & alibi duplex ubiq; periculū distinximus, alterum ratione magnitudinis morbi, alterū occasione imbecillitatis uirium. Qui his tribus præsentem sententiā definierit, facile omnia Hugonis obiecta contempserit. Confert podagram sinistri pedis, cum podagra dextri pedis: calidos tumores cordis, cum frigidis: febrem ardentem, cum paraliti. Quippe hæc omnia, & multa alia excindentur, uno aut altero uerbo, quòd Hippocrates non comparet duos morbos ad unam naturam, sed unum morbum ad duas naturas. accedit, quòd loquitur de similaribus, non de instrumentalibus. Melior est illius super febre phlegmatica dubitatio, an tutior sit in æstate, quàm hyeme. Et mihi quidem apparet, quòd ut plures quotidianæ febres sunt in hyeme quàm æstate, ita minus periculosæ. Nā in ipsis febribus causam magis æstimare oportet, quàm ipsam febrem. Causam uerò dico intemperaturam, quæ humorem febrilem peperit. quippe febrilis caliditas accidentem duntaxat putredinem sequitur. Hunc scopum uerisimiliter Hugo non animaduertit, qui quartanam, & (ut apparet) omnem aliam febrem æstati magis similem concedit, faciliorem etiam credo æstate dicturus, contra experiētiam, quæ in hyeme quàm æstate quotidianam securiorem ostendit. Alij sunt, qui similem morbum

Leuior dubitatio.

Altera obiectio.

Respōsio Galeni parū pfecta.

Melior posterior eiusdem dilatio.

Morbus periculosus aut ratione uiriū defectarum, aut ipsi⁹ magnitudinis.

Multa Hugonis argumēta unicum tātùm habent nodum.

In febribus magis æstimā da causa, q̄ febrilis intemperatura.

Hugonis error.

morbum ob hæc in proportionalem & improportionalem diuidunt, atq; Aphorismum de morbis duntaxat similibus ac proportionalibus, ubi materiæ qualitas respondet morbo, accipiunt. Neque ij in alio delinquunt, quàm quòd generalem sententiam, specialem faciũt. Etenim in febribus, in quibus materiæ qualitas dispar est, ab ipsis febribus, duplicem inæqualem intemperiem cogitare oportet. alteram, quæ febrilis est: alteram uerò, quæ peccanti materiæ familiaris est. Atque id fortaßis est, quod Hugoni condonabis. Sed nimis peccat, ubi pituitoso laboranti tertiana febre, reformidat frigidius quàm cholerico medicamentum exhibere: quoniã id unũ ex primis medicinæ axiomatibus ferè est, quòd frigida incalfacta audacius refrigeranda sunt, quàm calida. Magnus Hugonis error.

APHORISMVS XXXV.

IN quouis morbo partes ad umbilicum & imum uentrem attinentes, crassitudinem habere melius est. Multum uerò extenuari, ac cõtabescere, prauũ. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes, periculosum.

TOTVS *locus uentris epigastrium dicitur. Alexander Benedictus, nescio quo autore, tantùm unam partem uentris ita appellat, sub quo collocat hypogastrium. Nos in proposito iuxta Galenum epigastriũ in tria distinximus, in hypochondrium, partem uentris superiorẽ: in mediam, quæ ad umbilicum attinet: in imum uentrem, ubi Celsus quarto libro ilia collocat: ac tantum ab eo Leonicenus differt, qui hypochondria, Latinè poßes dicere præcordia, ilia exponit. Atque hypochondriorũ gracilitatem nõ admodum damnauit Hippocrates, quòd circa eas partes appetitus duntaxat constaret: concoctio uerò in inferioribus magis obitur partibus. Atque illarum craßitudinem optauit in singulis morbis, utpote quæ plurimum ad concoctionem conferret: quippe uentriculus frigidus est, ac neruosus. Itaque circunstantibus eum quasi culcitris quibusdã, iuuari, atque concalefieri est necesse: quod non solùm præstat carnis circũ ambientis copia, sed & adipis moles, quæ licet frigida sit, tamen calorem cohibet* Epigastriũ in tres partes scinditur. Præcordia. Ilia. Ventriculũ frigidum iuuant quæ circunstant.

cohibet, atq; aſtringit, fortaßis etiam iuxta antiperiſtaſin in his ipſis partibus calorem auget. Securitatem præterea purgationibus præbet. Nam ſi ſolidæ aliquando partes motu humorum uiolantur, quid eſt de tenuibus ſuſpicandum? Recte ergo in gracilibus inferiore uentre, purgationes inferiores reformidat: ſicuti idem ſenex in quarto ad ſuperiores purgationes, ſuperiorum partium tenuitatem ſuſpectam habet. Quod ſi Galeno in mentem ueniſſet, credo nunquam ſuperiores ab Hippocrate nunc prætermißas conqueſtus fuiſſet. Nam uomitus ſuperiores partes, purgatio inferiores magis uexat. Ac licet integræ in pectore partes ſolo aliquando uomitu ſunt uiolatæ, nunquam tamen inteſtina: ſed id deiectio humorum aliquando fecit. Rationabiliter ergo hìc inferiores purgationes, illic uerò ſuperiores magis ueretur. Ac tot quidem nominibus inferiorum partium ſoliditas, tanquam cauſa commendatur. Aliquo modo tamen eius craßitudo collabi poteſt, idq́ue ſine periculo: neq; enim temere quidam ex ijs, qui ſequũtur, Aphoriſmis, in mediocribus febribus integram corporis conſtantiam damnat. Minus tamen per has febres uenter atteritur: quoniam hæc pars ut neruoſior eſt, ita durior ac pertinacior.

Adeps uẽtriculi calorem auget.

Iniqua Galeni querela.

Vomitus ſuperiorũ gracilitatem, deiectio inferiorum minus fert.

APHORISMVS XXXVI.

QVi ſalubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati, cito exoluuntur, & qui prauo utuntur cibo.

MEDICAMENTA nequaquam agunt per intellectum, ſed neque rurſus omnino naturaliter, ut ignis. Nam ignis ſine diſcrimine inuadit omnia: at medicamenta quædam præſente humore familiari, fortè bilioſo, abſtinent à pituitoſo: ubi ille abeſt, agit in pituitoſum, fortè etiã tandem in melancholicum: ſi neque ille adſit, fertur in ſpiritum & ſanguinem. Et quia uidetur illud uobis mirabile, exemplum, quo res eluceſcat, afferam. Abi ad plantas, & uidebis quòd bonum alimentum attrahant: atque illud ſolum, ubi adfuerit: ubi autem hoc deſideratur, etiam alliciunt alienum. Non eſt etiam mirum, quòd medicamentum potius morboſum, quàm

Medicamentorum delectus.

Primo medicamentũ allicit propriũ, deinde alienum.

quàm salubrem bilem ducat: non enim humores abducuntur solo medicamento attrahente, sed & natura expellente. Et hæc quoq; generalis causa est, quare nouissime medicamenta sanguinem abstrahant: nam hunc natura auidissime retinet. Aliquando medicamentum forte est, & inuita natura uel boni humores abducuntur. Et hæc est causa, quare sani à medicamentis exoluuntur: non enim malignus aliquis humor sequitur, sed primùm spiritus, in quo robur naturæ sedet, soluitur. Statim autem hic animi exolutio aut dissolutio accidit, aliquando etiam syncope. Quòd si humores tenuiores abeant, neque idipsum exolutione caret: quoniã hi quoque naturales existant. Quòd autem spiritus fere soluatur, argumento est multus cum deiectione strepitus: neque enim hic stridor aliquid aliud, quàm spiritus & corporum pinguium colliquationem significat. Nullã ergo purgationem ij bene tolerant. Secundò prohibet in ijs, qui malo utũtur cibo. Galenus commentatur, qui malo abundant succo. Intelligo autẽ hîc eos, qui corruptione potius, quàm cacochymia laborant: ij enim soli sunt, qui (ut in primo libro diximus) uberiorem alimenti exhibitionem desiderant. Nihilosecius & quidam cacochymici ægrè purgationes patiũtur, utpote ij, qui plurimo abundant prauo succo, ac pauco fruuntur bono. Tales ferè, qui malo abutuntur cibo: tales sunt hydropici, & multi alij cachectici. Perplexa ergo illorum est, atque ambigua curatio: etenim neque morbum, neque remedium ferunt, imo ne alimentum quidem tolerant: quoniam prius dictum est, Impura corpora quãto plus nutries, tanto magis lædes. purgationes uerò parum ferunt, quoniã illorũ uirtus breuis est. Oportet ergo mediam inter utrunque uiam tenere, & uictu atque extenuantibus morbum paulatim demoliri: purgationes uerò non nisi post cõcoctionem, & per magna interualla exhibere. Non intellexit hanc methodum Oribasius, atque propterea commentũ sententiæ contrariũ reddidit, his potissimùm purgationem consulens, qui malo utuntur succo. Necessum est, ut admodum obliuiosus fuerit, quicunque hæc scripserit. Licet autem utroque modo à nobis dicta sententia audiri possit, melius tamẽ est primo modo eam accipere, præsertim cùm Galenus in commento sanguinem uitiosum potius, quàm cacochymiam ex uitiato alimẽto reformidat.

Natura medicamento connititur.

Sani nullam purgatiõem tolerant.

Cacochymici ægrè purgationem patiuntur.

Multi morbi neq; morbũ ferunt, neq; remedium.

Crassus Oribasij error.

Duplex expositio.

Neque tamen hi multo melius phlebotomiam ferrent. Nulla enim euacuatio, quæ nõ aliqua ex parte ſpiritũ attenuat: atq; id citra euidens detrimentum ferri non poteſt, ubi modica bonorum quantitas eſt coniuncta. Natura enim melius fert humorum uitium, quàm multum deſiderium.

Natura melius fert humorum uitium, quàm multũ deſiderium.

APHORISMVS XXXVII.

QVi bene ſe habent corpore, difficulter ferunt purgationes.

Multa importunæ purgationis incommoda.

NON erat opus hac de cauſa nouum Aphoriſmum conſcribere. poterat paucis adijcere ſic, Exoluuntur, & multa alia patiuntur. Non enim importunarum purgationũ ſolus animi defectus cauſa, eſt ſymptoma, ſed quoddam medium. Præcedunt enim dolores, uellicationes, tormina, uertigines, & alia ſequuntur, aliquando irreuocabilis ſyncopa, mors ipſa. Fiũt, dicente Galeno, una ratione hæc omnia medicamento, deſiderio proprij humoris carnem colliquãte, ac ſpiritum extorquente. uellicationes quidẽ & tormina fiunt, carnibus inteſtinorum conuulſis, ac colliquatis. Ita autem appellantur in uentre dolores: quoniam torminum ſpeciem præbent, propter multam inteſtinorum perplexitatem, anfractus, atque reuolutionem. Non ſequuntur autem hæc tantùm in ſanis, ſed & in ipſis ægris, quibus unum medicamentum pro alio accommodatur. quemadmodum huſce rè uſu uenit, qui in omnibus decoctionibus ſena utuntur, agarico, polipodio, ac carthamo. Quòd ſi medicamentum paulo fortius fuerit, anxietatẽ quandam, deinceps animi defectum, atque adeo ipſam ſyncopen, & ante hæc dolores capitis inducit, dum humores potius commouentur, quàm expurgantur. Nam & in miſsione ſanguinis nonnunquam ita humores conturbantur, ut fumi caput feriant, & homines ſomnolenti euadant. qui quando per uentriculos, atque adeo ipſum cerebrum feruntur, uertigines inducunt. Nam ſi externa ſimulacra, quæ in gyrum aguntur, uertiginem poſſunt inuehere, nihil mirum, quòd interna idipſum poſſunt facere. Quòd autem purgationem potius, quàm phlebotomiam ſuſpectam ſcripſerit, in cauſa eſſe potuit, quia frequentius purgationis abuſus, quàm phlebotomiæ committitur. fortè in cauſa fuit, quia phlebotomiæ incommoda prõptius.

Vulgaris conſuetudo.

Semper fortiores cauſæ internæ quàm externæ.

Phlebotomiam prõptius quàm purgationẽ eſt reſtringere.

ptius, quàm cœptæ purgationis licet restringere: etenim facilius est phlebotomiam, quàm purgationem supprimere: non enim medicamentum uehemens proprio humore saturatur, sed prætcrea cum alijs, atq; adeò ipso sanguine & spiritu conflictatur.

APHORISMVS XXXVIII.

PArum deterior potus aut cibus: suauior autem melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus.

NVLLA hîc distinctione sanorum atque ægrorum uti decet, quoniam in utrisq; sententia uera est, propter duas causas. Altera Galeni est, quia quod est iucundius, uenter arctius amplectitur, non minimum ad cōcoctionem momentum: sed id specialius est, atque ad uentrem tantùm attinet. Altera à Galeno neglecta, iure tamen prima, utpote generalis. quòd talis potus ac cibus sanitatem facilius atque familiarius conseruat, atque morbum pugnacius demolitur. Nam alter iustiorem similitudinem, alter uerò aptiorem contrarietatem continet, quorum exquisitè modum ac momentum nemo coniectari potest. sola enim natura huius conscia est. Itaq; hactenus aliquid naturæ indulgendū est: tamen illius luxuria atque insolentia aliquando refrenanda est: quoniam & hic libēter audio, quod uulgo dicitur, Nemo perpetuo in sua causa prudens est. Idem & naturæ aliquando euenit, ut feruoris morbi atque uirium impatiens, per phas per nephas remedium quærat, & in eo, quod appetit, sæpe plus damni, quàm auxilij, inueniat: nempe tametsi qualitas utilis sit, ferè tamen substantia intolerabilis. Exemplum cittæ mulierum exhibent, quæ carbones, atque inuncta coria, aliaq; absurda insanæ appetunt. Etenim natura id quod per accidens, ab eo quod per se est, distinguere nequit. Quocirca expetitum à natura remedium per se sæpe prodest, per accidens obest magis. Aqua frigida, tempore febris, morbo adhucdum crudo existente, secundum est exemplum. Etenim febri quidem egregiè aduersatur, sed interim morbi materiam reddit magis difficilem, atque hoc est quod natura ignorat. Ita neq; in ægris, neque in sanis, totum appetitui est permittendum, aliquid duntaxat

Galeni ratio specialis.

Secunda generalis.

Natura maxime suijpsi conscia.

Nemo prudens in sua causa.

Natura sæpe fallitur.

Natura sæpe negligit causam.

taxat condonandum. Et propterea nō sine discrimine Hippocrates suum Aphorismum protulit de quouis, sed parū, inquit, deterior. Verūtamē ubi emortuus plane est appetitus, absurdum admodum esset, quòd supplicāti denegetur. Nemo etenim naturæ magis conscius est, quàm, ut dixi, natura ipsa suijpsius. Adeò ego ab ijs dissentio, qui nihil naturæ indulgent, sed omnia suo iudicio definiunt. Vulgum enim in hoc melius sentire puto, non solùm quia id quod appetunt concoctu sit facilius, uerum etiam quia contrarium aut simile, exquisitius.

Exquisitus uictus ubiq; periculosus.

APHORISMVS XXXIX.

SEniores iuuenibus ægrotant ut plurimum minus. Qui uerò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

SI liceret seniores legere, tū nulla esset cōtrouersia, an potius priores, an posteriores senes debeamus intelligere. Nā seniores, tantùm de posterioribus intelligitur. Ergo, ut Græca habet lectio, senes oportet scribere: nam Galenus de prioribus uidetur intelligere. Quòd autem seniores scripserit Leonicenus, forte ex imitatione sequentis Aphorismi fecit, ubi, ualde senibus, adscribitur, qui iudicio Galeni huius exemplū existit. Adeò ego nunc contrà ipsum demiror, quòd de prioribus senibus sermonem hunc sit interpretatus. Hugo Senensis lubricus est, & in hac priores, in altera posteriores senes accipit. At certum est, quòd utranque partem Hippocrates de ijsdem dictam uoluit. Prioribus certè neutra pars accommodari potest. Nam uel in his paucæ ægritudines lethales, neque uerum est, quòd in ijs quàm iuuenibus sint rariores: quoniam in ipsis natura multo est imbecillior. Abite ad Hippocratem in tertio Aphorismorum, & ipse uobis dicet. Galenus fugit ad continentiam uitæ, sed frustra. Nam propria uerisimiliter Hippocrates incommoda comparauit. Ergo in posterioribus senibus hunc Aphorismum oportet audire, & duntaxat de acutis priorē partē intelligere, ut talis sit sermo, Senes minus laborant acutis, quàm iuuenes, uerùm longis frequenter, atq; ijs ferè commoriuntur. Nec est dura subauditio: nam & alibi ferè oppositum in altera

Galenus priores senes cogitat.

Nostra opinio.

Senectus posterior omnibus morbis obnoxia.

Sententiæ expositio clarissima.

tera particularum subintelligit. Admouemur etiam huius ab ipso in primo Aphorismorũ, ubi dicit, Propterea senibus nõ similiter febres acutæ fiũt. *Oribasius uerò hos nodos uidetur uoluisse dissimulare, qui maluit magnitudinem morborum, quàm frequentiam inter se cõparare.*

APHORISMVS XL.

RAucedines & grauedines in ualde senibus coctionem non admittunt.

MORBI instrumentales ferè sunt, grauedo ex obstructione, & raucedo ex asperitate faucium, si amplius procedat, tussis sequetur. Est autem & hæc ex obstructione, asperitate, aliquando ex sola frigiditate. Ita & reliqui duo morbi ferè cum similaribus quoq; committuntur. Atque ijs tribus generibus circunscribitur omnis distillatio: adeo puerilis mihi Barbarorum error apparet, qui ad singulas fere partes catarrhum definiunt. Quod si tantùm facerent, qui in opere uersantur, ac in morbis, quos ignorant, uulgo confuso nomine illuderent, ferendum erat. Sed quid ipsorum scriptoribus facies, qui podagram & chiragram per distillationem fieri dicunt, idq; ab ipso capite? Viatorem ipsam materiam habere oporteret, qui sic materiam deduceret. Nec maior ratio est de humero: quamuis hoc te cogitare propinquitas fortè loci fecit: non enim à cerebro, sed à uenis materia uenit, quæ podagram, chiragram, reliquosq; articulares cõmittit. Contingit tamẽ aliquando aliquam materiæ partem simul & in caput, & in articulos incidere. atq; hæc forsitan fortuna in causa fuit, cur alterum alterius causa putaretur, cùm contrà potius una utriusq; communis causa existat, quæ aliquando simul & ad cerebrum, & ad articulos, aut aliò materiam ex uenis transmittit. Poterit igitur, qui uelit, omnẽ huiusmodi fluxum catarrhum appellare. At interim nos eum proprie appellamus, qui ex capite defluit, & quasi ex cerebro exprimitur. Imò, ut aliàs ostendimus, omnis catarrhi causa cerebri frigiditas existit, ratione cuius materia prius extenuata, nunc incrassatur atq; demittitur. Atq; id sola frigiditas potest: caliditas enim contrà in aërem difflat. Id ea, quæ in aëre fit, pluuia ostendit, & nos alibi, præsertim in libris De

Grauedo, raucedo, ferè morbi instrumentales.

Tussis uariat.

Generale & confusum ad modũ catarrhi nomẽ apud Neotericos.

Omnis morbus incognitus catarrh⁹.

Podagra seq catarrhũ nõ potest.

Erroris prima occasio.

Sola frigiditas catarrhi causa.

morbis sufficienter hanc rationem dedimus. Superest nunc inquirere, ec quid Hippocrates potius raucedinem & grauedinem, quàm tussim scripserit. Ac fortè sub his comprahendit, fortè etiam prudens omisit: quia tussis aliquando ex sola intemperie frigida procedit, sed & grauedini idem euenit.

Leuis suspitio.

APHORISMVS XLI.

QVi frequenter ac fortiter absque causa manifesta exoluuntur, de repente moriuntur.

TAM euacuationes, quàm animi atq; corporis dolores, hominem subinde exoluunt, sed natiuam uirtutem suspectam non faciunt. Sed & citra has causas leues aliquot, & frequẽtes exolutiones euenire possunt, nulla tamen insigni imbecillitate innata, quæ hominem subito aliquando opprimat: quoniam fortis imbecillitas esse debet, quæ tam inopinati casus occasio existat. Fortes exolutiones appellamus, quæ non nisi longo post tempore recreantur, non autem quæ à forti causa fiunt, ut Hugo exponit. Nam hæ nihil graue indicant, tantùm super causæ magnitudine significant. Sed neq; fortes illæ, nisi frequentes inciderint, quicquam adeò formidandum ostendunt: potuerunt enim incognita aliqua occasione accedere. Alioqui si ratione imbecillitatis geminæ inciderent, sæpius omnino recurrerent. Frequentes autem intelligo, non quidem multas uno tempore euenientes, ut Hugo definit, sed singulis annis subinde recurrentes: quemadmodum de palpitatione dicit Galenus. Summa ergo Aphorismi talis est: Quibus uirtus uitalis admodum debilis est, repente moriuntur. Nec refert, animalem, an uitalem dixeris: uitalis enim aliquando animalis dicitur, quòd in solis animantibus reperiatur. Verùm qua de causa hæc imbecillitas contingit, nondum ab aliquo Neotericorum clare uidi explicatum. Videtur autem sola intemperies id efficere: quoniam dicente Galeno in secundo Technæ, cuiusq; potentiæ uirtus & uitium, temperatura principalis existit. Nusquam autem apertius idipsum distinguit, quàm in quinto libro De locis affectis, capite primo, ubi inquit: Igitur exiguæ cordis intemperaturæ pulsus arteriarum uariãt, pro sua quæque

Nihil potest hominẽ subito tollere, præter magnam cordis imbecillitatem.

Hugonis iniqua expositio.

Quæ ab interna causa fiunt, sæpe redeunt.

Frequentes quæ singulis subinde annis recurrũt.

Aphorismi summa.

Imbecillitates uitales causa uentriculorum, cordis, magna intẽperatura

que natura. Maiores uerò per proprias quidem similarium partium intemperies, subitam mortem non inducunt. Per eas uerò, quæ ad instrumẽtales partes pertinent, subito mortem inducere possunt, præcedentibus tamen signis, quorum unum ab Hippocrate dictum est, qui sæpe & multũ exoluuntur. *&c. Neq; id mirum uideri debet: quoniã in ipsis instrumentalibus particulis, atq; uentriculis, maxima pars uitalis facultatis habitat. Nam & operationes animales non quauis cerebri parte læsa intercipiuntur, sed affectis atq; obstructis ipsis uentriculis. Ita & in corde his ipsis affectis, subito atq; affatim uirtus usq; ad animi defectum, siue dissolutionem, corruit. Aliquando etiam cardiaca, aut syncopa sequitur. Inter quæ hoc tantùm interest, quòd cardiaca ob proprios cordis affectus fiat: syncopa uerò ob consensum, autore Galeno De curatione febrium, cum accidentibus. Atq; hæc est tamen adeò lubrica differentia, ut sæpe alterum pro altero ponatur. Non tamen dissolutio animi, ac syncopa, siue cardiaca, facilè inter se confunduntur: quoniam in cardiaca, omnis sensus ac motus tollitur, retracto animali spiritu. In dissolutione uerò animi saltem aliquod illorum momentum, quamuis debile, seruatur. Et in hoc Hugo Senensis errat, qui in partitione syncopæ fortis, multas, non autem omnes, aufert operationes motiuas, & sensitiuas. Sed hoc alibi. Nunc magis opportunum est inquirere, quæ sit secunda huius exolutionis causa. Non enim sola imbecillitas sufficit, nisi & altera causa accesserit. secus perpetua exolutio ægrum teneret. Atque hæc, quænam sit, nemo, quod sciam, dixit, aut etiamdum inquisiuit. Mihi autem apparet sanguinis copia. nam ut modica flamma, sub mediocri copia lignorum facile opprimitur, ita & modica uitalis uis facilè sanguine obruitur. Hinc est, quòd plerosque iuuit sanguinis mißio: & hoc symptoma potius ante quinquagesimum, quàm post quinquagesimum oritur. nam usque ad quadragesimum uictus uitalis satis constat, & post quinquagesimum multitudo sanguinis declinat. Eadem est causa, quare senes non semper subito intereunt. Sed magis est admirandum, quòd quidam ex his febribus acutis moriantur. nunquid tam ex calida, quàm ex frigida causa, hæc imbecillitas euenire poßit? Sed & hoc est uerum, quòd & in frigidis, nedum calidis.*

In uẽtriculis maxima uis habitat.

Syncope & cardiacę differentia.

Differentia syncopę & defectus animi.

Secunda exolutiõis causa.

Intemperatura sola non sufficit.

Moriũtur citra quinquagesimum, sed supra quadragesimum.

Senes licet intẽperati raro subito moriuntur.

Tam ex frigida quàm calida intemperatura hęc magna imbecillitas oritur.

lidis, copia sanguinis respectu uirtutis ac potentiæ poßit increscere. Nunc ergo mirum uideri non debet, quòd hi quantumcunq; frigidi, per mißionem sanguinis ab huiusmodi animi dissolutione curentur, atq; præseruentur. Nam quòd in omni plenitudine ad uires (non tantùm in acutis febribus) sanguinem ducere oporteat, unum ex publice conceßis est. Hactenus ergo frequens animi exolutio subitaneam mortem præsagit: quia cor admodum intemperatũ declarat, cuius solius magni affectus uitam subito perdere possunt. Idem facit & ipsa cordis palpitatio, de qua multæ existunt difficultates, quas omnes in libris De locis affectis absoluimus.

APHORISMVS XLII.

SOluere morbum, quem apoplexiam uocant, fortem impoßibile, debilem uerò non facile.

Variorũ morborum eadẽ phantasia.

VARII sunt affectus, qui exanimant, hoc est sensum & motum perdunt, cardiaca, suffocatio uteri, & iugularium arteriarum angustia. Horum omnium externa phantasia quodammodo est una, sed causa admodum uaria.

Epilepsia & apoplexia morbi simillimi, & tamẽ phantasia diuersißimi.

Econtrario epilepsiæ cum apoplexia, ferè natura eadem, sed fortuna ac phantasia admodum diuersa: quippe epileptici miserè conuelluntur, aliquãdo horrendum uociferantur. In apoplexia ægri quasi mortui sternuntur. Sed in quo differant, alibi diximus: nunc opportunum est apoplexiæ rationem tradere.

Apoplexiæ duplex occasio.

Est autem duplex: nam aut uentriculi obstruuntur, aut comprimuntur. Obstruuntur (inquit Galenus) pituita, aliquando uerò & melancholia, licet eam hic omiserit. Comprimuntur autem & alijs ex causis: aliquando uerò ab inflammatione cerebrum occupante. Non dixit tamen Galenus simpliciter inflammatione, sed dispositione inflammationi simili.

Rara in ipso cerebro inflãmatio.

Nam rarò in ipso ueræ inflammationes constituuntur, adeò ut quas nos in cerebro putamus esse, quidam in membranis esse contendant: quoniam illis dicentibus, eadem ferè accidentia sequuntur inflammationes cerebri, & panniculorum. Vnica forsitan est differentia, quòd dolor hic quàm illic maior est, licet reliqua symptomata sint tutiora. Quòd ergo in utroq; loco possunt inflammationes constitui, experientia ostendit. Quòd uerò materia inflammationis contra quorundam

rundam opinionem rarò ex ipso loco prouenit, frigida cerebri intempera tura arguit. Frigidum enim, non autem calidum illius recrementum esse solet. Sed sæpius aliunde materia decumbit, neque obstat uenarum angustia atque tenuitas (ut quidam ratiocinantur) nam nihilosecius onus alia rum partium huc excutitur, quàm alimentum attrahitur. Rarò ex sola cholera hîc inflammatio oritur, quando neque in alia parte ferè syncera cholera peccare depræhẽditur. Propterea à Matthæo de Gradi. Auicen na non suscipitur, qui erysipelas in cerebro potius uidetur scrupulosè excogitasse, quàm uidisse. Sed uiderit Matthæus, ne in suum parentem impius sit. Non enim erysipelas ex sola cholera committitur, sed sanguine cholerico, qui per angustias uenarum prompte ad cerebrum labitur. Com mittit autem istiusmodi collectio, phrenitim frequenter, apoplexiam uerò non nisi ex accidente, quando scilicet sua magnitudine uentriculos cõprimit. Sed plerunq; apoplexis ex pertinaci obstructione oritur. Verùm neq; hæc una semper est, sed pro magnitudine uariat, aliquando fortis ad modum, & omnem spiritum tollit, atq; huic nulla spes relinquitur. Nam magna debet esse obstructio, quæ omnem spiritum perdat. Fateor, hystericæ mulieres, quæ suffocationem patiuntur, sæpe longo tempore omni spiritu destituuntur, ac tandem redeunt: sed in his minor respirandi necessitas. etenim suffocatio uniuersum corpus refrigerat. Apoplexia uerò morbus instrumentalis est, & quæ cũ eo cõmittitur similaris, admodum parũ refrigerat. Si tamẽ corpus insigniter ex sua natura frigidũ fuerit, lõgo tempore omni anhelitu carere potest, ac deinde resurgere. Nam & id nos quoque semel uidimus. Sed Hippocrates & Galenus de ea loquuntur spiritus interceptione, quæ solius morbi magnitudinem sequitur. Nihil ergo nouum Auicenna inuenit: laudandus tamen est, qui huius casus meminit. Neque hæc sola apoplexia interficit, sed etiam & illa, in qua potius altus, quàm magnus anhelitus editur, hoc est, cum plurimis uiribus. Nam & hoc quoque magnam obstructionem arguit. Interficit & ea, in qua paruus quidem est anhelitus, sed inæqualis. Sola illa curari potest, quæ in anhelitu ordinem relinquit. hanc enim spatio temporis est curare, & tamen plerunque in paralytim alterius lateris desinit. Non po-

Matthęus de Gradi. malè reprehendit Auicennam.

Rara apoplexia ex inflammatione.

Definitio magnæ aut fortis apoplexię.

Quare hystericę sæpius referuntur q̃ apoplectici.

Rarus casus in ualde frigidis.

Apoplexia secunda, in qua spiritus altus.

In tertia apoplexia anhelitus paruus & inæqualis.

B teſt

Quarta apoplexiæ differentia, in qua anhelitus æqualis relinquere potest.

Quarta ferè decedit in paralytim alterius lateris.

Incaute Leonicenus.

An spiritus sit operatio mista.

Quorundã falsa persuasio.

test enim natura, talem materiam penitus concoquere, & foras expellere: multum est, quòd poßit in proximam spinæ partem demittere. Quòd si tanta fuerit, ut utranque spinæ partem poßit implere, ferè interficere anticipat. Atque hæc est causa, quare frequentius alterum, quàm utrunque latus, (licet forsan nunquam cogitastis) occupat. Adeò difficile est uel hanc, quantumcunque debilem, apoplexiam uincere. Proinde incaute forte Leonicenus, pro forsitan, cito, *traduxit: nã dictio Græca ad utrunq; significatum ambigua est. Nunc quomodo in apoplexia omnibus alijs operationibus pertinaciter obdormientibus, solus anhelitus seruetur, uidendum est. Quidam putant, quòd spiratio mixtum opus sit ex naturali & animali. Verùm id plane commentitiũ est: quoniam omnis operatio unius generis est. Sed neque proderit illis tale commentũ. Nam si utriusque robore perficitur, atque ipsis dicentibus magis animale opus fuerit, consequens est, ut concidente facultate animali, tanquam potiore parte, spiritus pereat. Fortè contendent, quòd aliquando sola naturalis facultas sufficiat: atque id ex commento Galeni uelint astruere, ubi iuxta antiquã translationem inquit, Arbitror ipsorum uirtutem naturaliter mobilem, mouere ipsos ex spiritus desiderio. Verùm, ut constat ex comparatione Græci exemplaris, Galeni dictio est mitior, atque hoc tantùm reddit, quòd ob eam causam ferè alijs operationibus animalibus cessantibus, solus spiritus seruetur: quia neceßitas illius magis urget, & quodammodo incessanter ipsos musculos ad opus animale excitet. Diximus enim alibi, quòd spiritus animalis non tantùm ab ipso cerebro mittitur, sed ab ipsis partibus attrahitur. Proinde ut unaquæque particula magis trahit, ita magis recipit: sic & ad nares, & ad intestina, spiritus demittitur, si quando fortiter conuellantur. Non enim frustra clysteres apopleticis iniÿcimus, atque omnibus uidẽtibus sternutamenta mouemus: sed & sensum subinde in naribus uellicatis, quantumcunque emortuum, suscitamus. adeò parum peculiare est, quod in pectore experimur. Videtis ergo, ut spiritus aliquando per angustum cogatur descendere. Ita nunc facile erat dicere, cur potius motus, quàm sensus in pectore manet, quia eius neceßitas minor existit, nõ quòd natura hoc intelligat, sed quia nõ similiter*

Ambigua dictio.

Nostra expositio.

Partes prouocatæ sua ui animalem spiritum per angustias trahunt.

Sensus aboletur, & motus manet.

liter

liter prouocat. Iam etiã per alios neruos sensus foras dispensatur, per alios motus obitur: ut in ambulantibus sub gelu intenso uidere est, qui manibus præ frigore torpent, sed tamen non segniter mouentur. Fortè ergo & in apopleticis interiores nerui sensu præditi manent, sed clam nobis, quia obiectis non tentantur. Nam exteriores nerui sunt, qui exteriorem rerum sensum, ac phantasiam recipiunt. Igitur admirari non debes, hos quidem sensu destitui, illos uerò suum motum seruare: quoniam neque tempore sanitatis unquam feriari didicerunt, sed ad attrahendum spiritũ animalem sunt edocti. Nec impedit omnino uentriculorum obstructio: quoniam spiritus aëreus ac ferè incorporeus est, nullum manifestum meatum requirens, quando per solidos neruos quotidie descendit: fortè & reliquam spiritus animalis partem potius perdit, quàm intercipit. Huic attestari uidetur, quòd unius uentriculi obstructio apoplexim atque epilepsiam committere potens est: nam altero obstructo, alter integer & liber manere potest. Vtut fuerit, ferè morbus hic interficit, nam prolixiorem curationem anhelitus difficultas non patitur. quapropter aut mors occupat, aut per fas per nefas obstructio soluta ad spinalem medullam decedit, quam paralysis sequitur. Quanquam nunc multos apopleticos curant, qui definitionẽ apoplexeos ignorant, atque omnẽ ferè soporẽ apoplexin appellãt. Non est autẽ mirũ, si ex syncopa homines facilius alleuientur: quoniã hæc per solam reuocationẽ curatur, nulla infarctione commissa. Videtur autẽ Hugo inquisiuisse quid diceret, quum ijs friuolis paginas distenderet. Magis tamen quàm Oribasius in his ferendus erat, qui apoplexiam ex quatuor humoribus diuidit, & hemiplexiam per extentionem finit, ac deinde ridiculè aurigam & quadrigam eius cum natura comparat.

Manus stupidæ, & tamen mouentur.

Exteriores nerui soli externas causas sentiunt.

Consuetudo.

Spiritus animalis subtilis.

Alterius uentriculi affectus apoplexim facit.

Inscitia & iactantia.

Syncopa facilè curatur, apoplexia difficile.

Ridicula Oribasij.

APHORISMVS XLIII.

STrangulati ac dissoluti nondum mortui non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

NOTA est spumæ ex spiritu pituitæ mixto atque intercepto generatio. facit autem hanc commixtionem subinde motus, aliquando calor, aut quia is motum excitat, aut quia pituitosam substantiam in spiri-

Calor & mouet, & substãtiam aquosã in spiritum mutat.

Irati rarò, loquaces spumant frequẽter.

tum mutat. Sæpe id in rebus externis uidere est, rarò in hominibus: quoniam in his rarò calor tantum excessum obtinet: quapropter irati rarò spumant, loquaces uerò frequenter. Non fertur autem hæc tota spumosa substantia à uentre: quia hinc citra uomitum aut nauseam nihil affatim procedere solet. Sed neque ex pulmone citra tussim quicquam subito efferri potest. Certum ergo est, quòd hæc in iratis, aut multo sermone concitis, spuma, maiorem suæ generationis partem ex saliua quæ in extremis palati partibus gignitur, obtinet, cum qua uapor & aër ex pulmone affatim facile miscetur, ac spumam pariunt. Nam uaporem nihil prohibet, citra tussim è pectore copiose effundi. Non tamen, in strangulatis, eadem spumæ causa est: in ijs enim solis saliua spumescit, qui uelociter, & multum, atq; frequenter spirant. Atqui in strangulatis ferè omnis spiritus supprimitur: quocirca necesse est, ut hæc spuma per modũ uaporis ex pectore ascendat, atque in extremo ore concrescat. Potest etiam ipsa humiditas ex pulmone exprimi. Atque hoc Galenus mortale habuit, rationem subticuit: id tantùm dixit, multam uiolentiam pulmonis significari. Videtur hoc nomine accusare pulmonis ulcerationem. Mihi tamen strangulatio potius frigiditatis atque extinctionis periculum annunciat. Nam calor, quãdo longo tempore aëris communione priuatur, primùm inflammatur, postea uerò extinguitur, ac plerunque priusquam febris succedit, animal suffocari anticipat. Tantum periculum spuma in strangulatis significat. Potest idem signum & ad apopleticos trahi: nam & ij quodammodo strangulãtur. Non est eadem fortuna aut generatio spumæ in epilepticis: hoc enim motum tantùm corporis, ac fortassis materiæ morbosæ, quæ plerunque flatulenta est, conditionem sequitur. Hoc etiam Neoterici uidentur dicere, qui ex eo solutionem morbi expectant. Veruntamen Oribasius eam ex faucibus tantùm uenire arbitratur: sed non multum is me mouet. Nam & de discrimine spumæ male ratiocinatur, quam hoc nomine periculosam arbitratur, quia spiritus interiora ossa reliquit. Quid quòd otiosas illas strangulatorum species partitur? Vtilius fuerat inquirere, cur uel in strangulatis hæc materia ascendens, nullam tussim moueat. Nempe hoc Galenus dissimulasse uidetur, cùm tamen subinde minima qualitas tussim

Ratio spumę in iratis aut fatigatis.

Generatio spumę in strãgulatis duplex.

Spuma in apopleticis significat extinctionem proximam.

Modus strangulatorum.

Spuma in epilepticis attestatur materiæ morbi.

Indoctæ Oribasij de spuma ratiocinationes.

Spuma in apopleticis tussim non mouet.

tußim moueat. An quia suauis & naturalis hæc est humiditas, minus naturam excitat? an potius, quia instar fumi ascendit?

APHORISMVS XLIIII.

QVi natura admodum crasſi sunt, citius intereunt, quàm qui graciles.

SIVE à natura, siue ex consuetudine aliquis euaserit frigidus, ac crassus, nihil ferè refert: perpetuò enim calidus per se frigido uiuacior est. Nec obest, quòd in fine commenti, Galenus crassos ex uictu præ gracilibus commendarit: nam per crassos carnosos intelligit. Duplex igitur crassitudo: altera, quæ frigiditatem: altera, quæ humiditatem citra manifestũ caloris detrimentum sequitur. Vtraque autem genuina, ac iterum accessoria esse potest. Distinguuntur autem à se inuicem: quia craßitudo quæ frigiditatẽ sequitur, laxior est: quæ uerò humiditatem, solidior. Deniq; pingues omnia propemodum munera defecta habent, carnosi uerò integra. Sciuit autem Hippocrates, quòd & ex natura aut aliter humidi sunt pinguiores quàm temperati, & rursum temperati pinguiores quàm calidi, & ob eam causam non dixit simpliciter, quòd craßi natura, aut pingues minus diu uiuant, quàm graciles: sed adiecit, Qui admodũ natura pingues sunt. *id enim dũtaxat accidit insigniter frigidis. Maluit tamẽ Hippocrates dicere, admodũ craßi, quàm admodũ frigidi: quia uno uerbo et naturã, & eius signũ ostẽdit. Iam ne sicquidẽ accipienda sententia, quòd admodum frigidi minus uiuunt, quàm parum graciles: nam econtrario posses dicere, quòd admodum graciles aut calidi minus uiuunt, quàm parum frigidi. Sed id tantùm significauit, quòd frigidi (tales sunt admodum craßi) minus uiuunt, quàm calidi, hoc est graciles. Igitur neq; id uerum, quòd admodum craßi sunt minus uiuaces, quàm admodum graciles, tales sunt tabidi, aut ad tabem procliues: nam ne ij quidem diuturni. Proinde hoc tantùm dixit, quòd frigidi breuioris uitæ, quàm calidi. Longißimè uiuunt tẽperati. An uerò hos sequantur humidi tantùm, an potius calidi et humidi, alibi inquiremus.*

Calidus uiuacior frigido est.

Crasſi dupliciter dicuntur.

Crasſitudo frigiditatem, carnositas humiditatem significat.

Carnosi solidi.

Pingues laxi.

Carnosi uegetes.

Pingues flaccidi.

Admodum crasſi, hoc est pingues.

Hippocratis compendiũ.

Sententiæ summa.

Admodũ graciles, utpote tabidi, parum uiuaces.

Viuacisſimi.

APHORISMVS XLV.

QVicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & uictuum quoque liberantur.

Quare apoplexia & epilepsia morbi similimi, diuersissima habent symptomata.

MERITO admirari omnes possumus, quòd apoplexia, & epilepsia, quum sint morbi similimi natura, tam diuersa habeant symptomata. Quippe in apoplexia, corpus ad modum cadaueris ferè sternitur: in epilepsia miserabiliter conuellitur: quidam etiã horrendùm uociferantur, alij ululant, alij latrant, uix pauci quodammodo palpitant. Nemo eius rei, quod sciam, rationem reddidit. Affert alibi Galenus, quòd in epilepsia uentriculi cerebri magis, quàm ipsa cerebri substantia, patiantur: in apoplexia uerò utraq;. Verùm id difficultatem non absoluit. nam licet ea ratione possis obtinere omnem immobilitatem, & insensibilitatem, in apoplexia: nondum uideo, quomodo ex ea differentia colliges conuulsionem in epilepsia. Videntur propius accedere Neoterici, quum dicunt, quòd in apoplexia omnes uentriculi obstruantur, in epilepsia magis anteriores. nam ex anterioribus sensus, ex posterioribus magis promitur motus. Verũ hic multipliciter errant. Primò falsum est, quòd in apoplexia omnes uentriculos obstrui sit necesse. nam hoc malum duntaxat ad postremũ & mediũ attinet. quippe duo priores ignaui sunt, olfactui tantùm obseruiũt, ac citra detrimẽtum reliquorum sensuum, aut motus, subinde obstruuntur, ac infarciuntur. Iam neq; id perpetuum est, quòd in apoplexia uel in epilepsia ambo uentriculi obstruãtur, postremus & medius simul. Testis enim est Galenus libro tertio De locis affectis, quòd alterius obstructio sufficit. Verùm hic error cõdonari potest, tam difficile est rationem reddere, cur obstructo solo medio uentriculo, impeditur commeatus spiritibus per postremum, & econtrario, postremo per medium. Nunquid ergo spiritum in utroq; uentriculo elaborari oportet, quomodo & alimẽtum & in epate oportet perfici, & in uentriculo erudiri? Forsitan satis est, spiritum in altero uentriculorum elaboratum esse. sed frigiditas alterius uẽtriculi facilè communicatur alteri, adeò ut per obstructionem

Differentia inter apoplexiã & epilepsiã iuxta Galenum.

Ratio cõuulsionis in epilepsia, iuxta Galenum.

Neotericorum opinio.

Primus Neotericorum error.

Secundus error condonabilis.

Alterius uentriculi ex duobus obstructio apoplexiam generare sufficit.

Obstructio in altero uentriculo facilè extinguit spiritum in altero.

nem

nem alterius suffocetur spiritus in utroq; . Passibilis enim admodum est, & ut radij solares per minimam nubeculam, aut caliginem, ita & spiritus animalis per minimam qualitatem impediri potest. Scio quòd hæc non omnibus arridebunt, sed malo inquirere, quàm dissimulare. Saltem hactenus nulla est inter apoplexim atq; epilepsim differẽtia. Videamus igitur, si ea quæ sequitur, melius constet. Aiunt in apoplexia uentriculos penitus obstrui, in epilepsia duntaxat conniuere, aut duntaxat motu conuulsionis (si rectè uerborũ memini) cogi. Verùm id planè commentitium est, atq; omnino etiam falsum. Non est enim uerisimile, quòd ea ratione uentriculi contrahi possent. Quòd uero uentriculi minus ac leuius obstruantur, quàm in apoplexia, facilè condonarim, & fortuna arguit: quia epileptici sæpe per se resurgunt, nec est uerisimile, magnam ac pertinacem hãc obstructionem toties per se posse dirimi. Sed nondum ex eo causam conuulsionis possis conijcere: quando neque in sopore, neque similibus affectibus conuulsio oritur, tametsi uentriculi utcunque liberi existant. Quorundam coniectura est, quòd materia in epilepsia uenenata sit. Hoc iterum reprehendit morbi fortuna: neque enim materia uenenata tam promptè possit expurgari. Mihi ergo sola ea causa apparet, quòd in epilepsia sit materia tenuis ac flatulenta, in apoplexia uerò crassa & ignaua. Argumento est, quòd pueris, utpote calidis ac flatulentis adhuc, epilepsia familiaris est. Senibus uerò maior frigiditatis excessus inest, quàm qui flatui gignendo commodus existit. Itaq; his apoplexia ex crasso succo magis propria. Hac forte de causa & Celsus dixit, quòd epilepsia uiris quàm mulieribus sit frequentior. Eadem causa est, quòd epileptici subinde despumant: nam spuma citra flatum in corpore nostro uix oritur. Paucis, materia in apoplexia naturã grauat, sed in epilepsia magis excitat, aut prouocat. Nunc ergo tempus est inquirere, an hæc epilepticorum conuulsio à natura, an à solo morbo (ut reliquæ conuulsiones alibi) fiat. Galenus mihi ambiguus apparet, atque nunc hoc, nũc illud dicere. In præsenti commẽto, uidetur hãc conuulsionem naturæ attribuere, ubi dicit apoplexiam fieri ob carentiam totius uirtutis ad neruos defluentis, epilepsiam uerò ob uitiatum motum. His adhuc magis consentanea antiqua translatio reddit, quæ impeditam, non

Spiritus animalis similis radijs solaribus.

Secunda Neotericorũ dilutio.

Ventriculi in epilepsia nõ contrahũtur.

In epilepsia uẽtriculi minus obstruuntur.

Conuulsiõis causa in epilepsia.

Quorundã coniectura.

In epilepsia materia flatulenta.

In pueris epilepsia.

In senibus apoplexia.

Epilepsia frequentior uiris quàm mulieribus.

Materia apoplexiæ magis grauat, epilepsię uerò magis prouocat.

Galeni loca aliquot, quæ conuulsionẽ in epilepsia à natura fieri indicant.

non autem integrè solutam uirtutem motiuam interpretatur. Videtur autem & Auicenna istis astipulari, qui stimulata natura illum fieri cogitat. Contrarium tamen apparet dicere Galenus, in quinto capite, libri tertij, De locis affectis, ubi ait: Ac fortaßis per morbum comitialem conuulsio haud absimilis est his, quæ à spinali medulla oriuntur, conuulsionibus, singulorum neruorum irrigatis proceßibus. Verùm huiusmodi conuulsiones non sunt interpolatæ, sed perpetuæ: quippe membrum semel conuulsum immobile riget. In epilepsia uerò, quemadmodum paulo antea ibidem dixit, conuulsiones fiunt per interualla. Itaq; diuersa apparet huius, atque aliarum conuulsionum conditio, quod & ipse paulo antè indicare uidetur, ubi dixit: Cæterùm uelox eius discußio crassum humorem, spiritus meatum in cerebri uentriculis obstruentem, hunc maxime affectum peperiße declarat, neruorum principio seipsum quatiente, quo excutiat id quod noxium est. Id longius ostendit, septimo eiusdem libri capite, ubi sic inquit, Proinde existimaui similem aliquem cerebro motum euenire, qualis stomacho à re quapiam molestato accidere solet: quippe cùm à ciborum mole grauatur, aut ubi corruptis cibis mordicus infestatur, tum singultu affici conspicitur. Atque acrem quoque humorem, non singultum modò, uerumetiam conuulsionem per uniuersum corpus efficere cõsiderauimus: deinde uomitu eiecto, quod mordicabat, illico quiescere. Quo minus mirãdum est, si neruorum principium huiusmodi motu concutiatur, ut à se expellat, quicquid fuerit quod à parte primò affecta, quippe stomacho, ad ipsum effertur. Forte hæc, & similia Galeni loca, de ea tãtùm epilepsia intelliges, quæ per consensum uentriculi accidit, sed similis utrobique apparet ratio. Atque hactenus nihil referre uidetur, siue in ipso cerebro materia colligatur, siue aliunde deriuetur. Neutro enim in loco conuulsiones perpetuæ, sed per interualla fiunt. Ac reddet aliquis diuersam ipsarum rationem, nondum tamen dixerit, cur præterea aliquando horrendùm epileptici uociferantur: id enim à sola natura naturaliter fieri nequit. Deinde difficile intellectu apparet, quòd ipsa cerebri substãtia in se cõtraheretur: & si contraheretur, quomodo uniuersi corporis conuulsio sequatur. Etenim quòd affectum principium uniuersi corporis solutio sequatur, experientia

Locus cõtrarius, qui astruit conuulsionem à solo morbo.

Conuulsiões diuersæ, continuæ & interpolatæ.

Conuulsio epilepticorũ à natura.

Conuulsionẽ cum singultu comparat.

Occupatio.

Conuulsiões epilepticorũ interpolatæ.

Epileptici sæpe uociferantur.

Cerebri infarctionẽ totius corporis torpor sequitur, sed nõ potest concuti corpus uniuersum uellicato cerebro.

tia declarat: sed quòd eodem & à frigida & humida materia obruto, uniuersalis distentio fieri possit, aut etiamdum conuulsio, nulla neruis insinuata substantia, ratione caret. Quando ergo Galenus sibi ipsi dissimilis, atque alteram duntaxat eius sententiam seruare possumus, potius est, ut motum epilepticorum ad naturam referamus, quo conatur expellere, quod noxium est: neque enim ad hoc sola semper natura sufficit, aliquando, licet nobis inscijs, uoluntas accedit: forsitan etiam aliquis, licet paruus, & obscurus sensus manet, quem procax morbi materia prouocat, quomodo & in apoplexia nares irritantur sternutamentis, & uentres clysteribus. Ad hoc confert, quia in epilepsia nequaquam pertinax ac grauis sit obstructio, in uentriculis duntaxat leuior caligo, utpote quæ aliquando uel à solo bilioso ac mordaci uapore ex uentriculo ascendẽte oritur. Omitto, quòd nequaquam in omnibus eædem species conuulsionis fiant, sed diuersæ: quod ut euidentius fiat, potius est eius differentias enumerare. Prima est, ubi per primarium cerebi oritur affectum: atque hîc simplex conuulsio apparet. Secunda est, ubi per consensum uentris exoritur: atque hîc, dicente Galeno, homines per interualla ueluti saliendo concutiuntur. Est tertia, quæ aliunde forte ab extremis membris oritur, nec à secundo multum differt, nisi quòd sit principium utriusque diuersum: atque hic fortè leuior & occultior conuulsio. Vulgus ferè quatuor species habet. Prima est, ubi egregie conuelluntur, ac contrahuntur. Secunda, ubi saliunt. Tertia, ubi per interualla membra magis extenduntur. Quarta est, ubi more canum latrant. Videtis igitur, ut diuersæ conuulsionis phantasiæ secũdùm uarias eius occasiones eueniunt. Nullam tamen inuenio, quæ citra omnẽ conuulsionem euenit. Fateor, neque perpetuo, neque per totum paroxismũ conuulsionem fieri necesse est, satis est quòd aliquando, uel clam, obscuréque accidat. Atque in hoc ego à Garioponto, Celso, atque alijs Neotericis dissentio, qui quandam eius speciem omnis conuulsionis expertem dicunt. Verùm quòd pro diuersitate materiæ magis ac minus conuellantur, antè potentia dictum est. Maxime conuelli apparent, quibus uapor biliosus initium dedit: minime, quibus melãcholia: mediocriter, quibus pituita. Atque hæc fere humidam temperaturam sequitur, quam ætas spatio tempo-

Galenus sibi ipsi dissimilis.

Nostra opinio.

Epilepsiæ aliquot differẽtiæ.

Conuulsio ex cerebro.

Ex ore uentriculi.

Ex membro aliquo extremo.

Vulgares differentiæ quatuor.

Nulla epilepsia citra cõuulsionem.

Conuulsionũ modus pro humoris differentia.

Epilepsiã ex pituita uicit ætas.

ris castigat: quoniam corpus paulatim siccius euadit. Sed & ipse calor cõsumpto humido emergit, qui prius illo strangulabatur. Itaque & si non maior, tamen paulo uegetior euadit, atque minus pituitæ obnoxius. Recte ergo ab Hippocrate postea dicetur in quinto libro, quòd morbi comitiales ferme in pubertate finiantur, & quòd reliqui commoriantur. Magnum etenim in pubertate siccitatis incrementũ, quod à sequẽtibus ætatibus sperare non licet: quoniam non amplius affatim, sed paulatim corpus exiccatur. Efficitur quidem & per iuuentutem corpus siccius, sed minus confertim quàm prius. Itaque aliquando, sed rarius, humidos morbos exiccat, sequentes uerò ætates nihil præstare possunt: quia hanc siccitatem frigiditas comitatur. Non solùm autem humida, sed & frigida est epilepsiæ materia. Omitto, quòd frigiditas humiditatis fõs, ac præcipua occasio sit: certè multo plures coaceruat humiditates, quàm ipsa humiditas. Itaq; nihil magnum sequentes ætates nobis polliceri poßunt, quemadmodũ priores, quæ cum increscente siccitate nihilo frigidiores euadũt. Dictum enim alibi est, calorem iuuenum et puerorum esse æqualem. Quod tamen ætati negatur, per uictus aut aëris commutationem comparari potest.

Affatim corpus exiccatur usque ad pubertatem, postea paulati.

Iuuentus aliquando expugnat epilepsiam.

Senectus ratione frigiditatis plures superfluitates accumulat, quàm occasione siccitatis absorbet.

APHORISMVS XLVI.

DVobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, uehementior alterum obscurat.

In eadẽ parte duo diuersi dolores esse possunt.

IN eodem quidem loco, atque eodem tempore, duo similes dolores esse nequeunt, diuersi autem poßunt. Nam in eadem parte affecta nunc quidẽ solam grauitatem sentire sese laborantes aiunt, aliquando autem subitum aliquem morsum, etiam priori grauitate manẽte. Ergo de doloribus unius generis Hippocrates intelligit, atque ij quidem ubi in eadem latè parte fuerint, quemadmodum Galenus cogitat. forte alter in brachio, alter in cubito, sese inuicem augent: quia duo affectus plus spiritus ad partem affectam prouocãt, quàm unus. Verùm ubi in oppositis partibus dolores consederunt, hîc à seinuicem reuellunt. Indicant idipsum molestæ scarificationes, anxia uincula, frictiones, & id genus alia: nam eidem parti adhibita, inflammationem augent, diuersæ uerò extenuãt. Etenim inflammatũ

Duo dolores in una parte exquisitè sese inuicem augẽt, in diuersis locis se inuicem extenuant.

Manifestum exemplum.

bras

brachium nemo ſcarificat, ſed inferius femur, aut tibiam. Fortaßis ergo non ſolùm maior obſcurat minorem, ſed & minor quoque eadem ratione lenit maiorem, dum aliquam partem ſpiritus ad ſeſe rapit, qui alioquin ad alteram partem cum humore affini, abiturus erat. Fertur autẽ ſpiritus & ſanguis ad partem affectam ferè tribus de cauſis. Primò caliditate attrahente. Secundò proximis partibus cõdolentibus, quæ pro eo quod ægrè ferunt, quicquid obuium eſt, excernunt. Multum autem confert partis imbecillitas, ratione cuius quaſi ſentina uniuerſi corporis efficitur, nedum proximarum partium. Quippe uniuerſum corpus, more aliorum onus ſuũ in imbecilliorem partem ſolet deponere. Sed hæc obiter, nam propoſitum magis arguunt ea, quæ in animo noſtro contingunt, ubi ſuper eadem re, plures affectus affectum augent. Quippe amici mors, eo eſt nobis moleſtior, quo pluribus nominibus fuerit amicitior. Quòd ſi fortuna alia grauior acceſſerit, quaſi priore neglecta, hæc ſola moleſta eſſe incipit, dum tota animi uis ſuper hanc rem, fortè bonorum iacturam, refertur. Et ſi hi affectus interim ſeſe mutuo augeant, frequenter tamen triſtitiam timor, timorem iracundia aufert. Nec tantùm dolores animi ſeſe mutuo interimunt, ſæpe etiam corporis dolores tollunt. Etenim frequẽter grauis dolor ac morbus receßit, uel timore, uel ira ſubito perculſis. Fiunt autem hæc omnia, quia animus ad ſeſe ſpiritum uitalem ſubito reuocat, citra quem ſpiritus animalis ignauus exiſtit: ergo re uera minor dolor, maiore minuitur. Aliud eſt in comparatione luminum: nam hîc ſola minoris phantaſia à maiore obſcuratur. Quæ huc Oribaſius affert, redarguere nolumus. Nam credo quòd nemo hic Oribaſiũ dignabitur legere, adeò ab Hippocrate digreditur.

Forte & minor obſcurat maiorem aliquando ex parte.

Tribus de cauſis materia fertur in locum dolentem.

Affectus animi ex eadem cauſa ſeſe inuicem augẽt.

Diuerſi affectus ſe inuicẽ auferunt.

Dolor animi ſæpe diſſimulat dolorem corporis.

Aphoriſmi cauſa.

Lumen mai' obſcurat minus, uerùm maior dolor reuera extenuat minorẽ.

APHORISMVS XLVII.

DVm plus conficitur, dolores ac febres accidũt magis, quàm iam confecto.

LVBRICA eſt inter pus & ſaniem differentia. Nam quod antiquus interpres ſaniem appellat, nouus pus reddit. Saniem Latiniores nominare uideo, quod Barbari uirus appellant: atq; ex omni credo hu-

Sanies ex omni humore pus ex solo sanguine.

more proficisci potest. Pus uerò rarò ex carne contusa, plerunque ex concocto atq; suppurato sanguine. Ita Galenus hic attestatur, atq; in eo Hugo peccat, qui pus etiam ex alio generat. Proinde in primo præsagiorum locus ille de mollibus tumoribus diligenter audiendus, non quidem tanquam simpliciter pituitosis, sed ex sanguine pituitoso obortus: quia simplex pituita suppurari non potest. Ob eandem causam & ille Aphorismus caute accipiendus, qui in septimo scribitur, Distillationes in uentrem superiorem suppurantur intra uiginti dies. Nõ enim uulgares distillationes intelligit, sed inflammationes, quæ ex proximis partibus, in has particulas decumbunt. Atq; hæ nonnunquam cõcoquuntur, atque excernuntur: aliquando suppurantur, & in pus uertuntur. Nec est in causa, ut quidam uolunt, caloris differentia, sed diuersorum obiectorũ fortuna. Nam & qui febres, & qui inflammationes concoquit, & qui alimenta hoc tempore perficit, idem est, ac naturalis nonnihil putrido permistus. Tantum abest, ut Hugoni credam, qui ut alios redarguat, plus sincere à naturali calore fieri contendit, & nouam in Galeni uerbis expositionem quærens, tandem nescio quam dilutam finitionem exhibet, ubi dicit, putridum calorem necessariò præcedere saniem, nullam tamen in eius generatione obtinere partem. Nam usque ad finem hic putridus calor cum naturali coniunctus est. Sed neque uerum est, quòd Auicenna usquam uel Galenus pus solo calore naturali describat. Quippe quòd aliquando absque omni putredine finiant, uel quòd solam naturam in definitione eius constituant, ob id tantùm fecerunt, ut in eo calidum naturale uincere ostenderent. satis id ex illorum uerbis patet. Omnes ergo hæ concoctiones (pace Galeni, & aliorum dixerim) potius conditione obiectorum, quàm caloris agentis ueritate, differunt. Nam alia est in alimento, alia in alijs humoribus, alia in ipso sanguine. Verùm & hîc rursum partitionem adhibere oportet. Nam ferè pertinacior ac crassior est sanguis, qui suppuratur, eo qui resoluitur: siue quia ex natura crassior erat, siue quia subtile aliqua ex parte ab illo sit resolutum. Nihilosecius & in ipso, suppuratio quædam est extenuatio, quam distensio sequitur, quæ præcipuum dolorem infert. Qua ratione & in colica, & reliquis affectibus, dolor

Duo Hippocratis loca obseruanda.

Idẽ calor tria agit diuersa pro obiectorum diuersitate.

Mala Hugonis expositio.

Color naturalis cum putrido permistus.

Pus à calore naturali.

Crassior sanguis suppuratur, tenuior resoluitur.

Suppurationem distẽsio sequitur.

dolor magis extensionem, quàm reliquas qualitates sequitur. Itaque usq; ad declinationem hîc magis ac magis increscit. Non enim ut in his quæ resoluuntur paulatim pus excernitur, sed usque ad finem retinetur. Distensio ergo dolorem, dolor uerò & caliditas febrem adducit, quæ continue proximas partes incalfaciens, usq; ad cor peruenit. Et si putredo eius loco affecto circunscribatur, ut in externis ferè euenit, diariam efficit, aliàs autem putridam, ac pluribus paroxismis molestam. Quòd si aliud sit suppuratio, quàm concoctio, aut etiamdum putrefactio, tamen commune est inflãmationibus, & suppurationibus, quòd hîc altera pars sanguinis suppuratur, altera concoquitur: quemadmodum ibi quoq; altera putredine, altera concoctione afficitur. Est autem & id commune, quòd quemadmodum inflammatio, ita & suppuratio plures paroxismos edat. Et rursum ut illic simul procedunt concoctio & putrefactio, ita hic suppuratio & putrefactio: non enim intelligi potest, quòd materia quæ suppuratur, atque à natura (ut potest) subigitur, paroxismos excitet: sed ea quæ corrumpitur. Et quidem inflammationes, quæ resoluuntur, per tertium exacerbantur: quæ uerò suppurantur, quotidie, ac maximè circa noctem. Etenim pus propius ad sanguinem pituitosum, atque ipsam pituitam, quàm quemuis alium humorem accedere apparet. Est autem & hoc ijs quæ suppurantur & concoquuntur commune, quòd excreta materia dolores remittantur. Sed rursum illud peculiare, quòd in ijs quæ concoquuntur paulatim ac paulo post principium, remitti dolores incipiunt, in ijs uerò quæ suppurantur, non nisi tandem, sed affatim. Nam penitus concocta materia abscessus parum subsidit, ac dolor decrescit: eruptione uerò facta funditus, omnino relinquit. Nescio igitur quid Oribasio in mentem ueniret, qui confecto pure maiores febres æstimaret, quàm antea. Credo intellexit, confecto pure, dum conficeretur. Non oportet autem multum in eo hærere: nam neque febris generationem hic cognouisse uidetur, neque pluris facio, quæ ex Auicenna allegantur tenebræ: quoniam maior est in ipsius uerbis obscuritas, quàm sententiæ diuersitas. Sed tam prodigiosa est apud illum oratio, ut unusquisque potius cõiectetur quid uelit, quàm interpretetur. Locus est in tertia quarti, ubi inquit, Quando fit materia,

Suppuratio aliquando diariam febrẽ, aliquãdo putridã efficit.

Vbiq; altera pars à natura elaboratur, altera corumpitur.

Concoctio & suppuratio simul procedunt.

Quę resoluũtur per tertium, quę uerò suppurantur, quotidie exacerbantur.

Dolor in ijs quæ concoquũtur relinquit paulatĩ, in ijs uerò q̃ suppurantur, affatim.

Oribasij errores.

Auicennæ locus obscur*.

sanies quiescit, etiam calefactio fortis, & inflammatio. Obscurior qui antecessit, ubi dicitur, Et non fiunt dolores isti in principio uehementiores, & inquanto plus approximat status, minorantur &c. Neque enim scio, ubi intendentur dolores ij, si neque in principio, neque in processu promoueantur. Quòd si pro Minorentur (licet Barbarè) legas Maiorentur, nulla erit difficultas: alioquin certe diu inquirent, priusquam quid uoluerit Auicenna, ostendent. Reliquam partem poßem cum Marsilio interpretari, Quando fit, id est, facta est: aut Quando fit, id est, erumpit. Fateor, obliqua est hæc expositio, talem plerunque requirit obliqua oratio, quæ in multis partibus degenerem nobis Auicennam fecit, ut nescias an plus deprauauerint interpretes, an commentatores.

Obliqua dictio, obliqua expositio.

APHORISMVS XLVIII.

IN omni corporis motu, ubi laborare cœperit, quies statim laßitudinem aufert.

MVLTA præter propositum Hugo hic super exercitio inquirit. Nos autem in alijs locis sufficienter horam opportunam exercitio ostendimus eam, quæ terminum utriusque concoctionis ostendit. Neque est inter Galenum & Auicennam differentia aliqua: quia concoctio quæ in uenis perficitur, eadem cum ea, quæ in epate obitur. Appellatur autem exercitium aliquando communiter motus quilibet. atque hoc modo nullum est corpus, cui non conuenit. Aliquando accipitur pro uero exercitio, quod finit sudor aut anhelitus mutatio: nam de tertio termino laßitudinis est difficultas. Marsilius usque ad laßitudinem, Hugo citra eam exercitium describit. Eadem uidetur fuiße controuersia inter ueteres. Nam Galenus, ubi potest, laßitudines cauet. Cornelius Celsus usque ad laßitudinem, sed citra fatigationem suadet. ac ut mihi apparet, tota hæc de nomine contentio. Nam certum est, laßitudinem quamuis immodici exercitij signum ac symptoma esse: proinde uerisimile est, quòd Celsus per fatigationem intellexerit ueram laßitudinem, per laßitudinem uerò laßitudinis duntaxat principium. Ita & nunc noster Hippocrates similiter laßitudinis nomine usus est. Quod duabus de causis ego coniector.

Galeni & Auicennæ concordia.

Exercitij duplex acceptio.

Discordia in nomine.

Fatigatio Celso laßitudo est: laßitudo uerò, laßitudinis initium.

Prior

Prior eſt, quia dixit, primum ubi laborare cœperit. Altera eſt, quia ueris laßitudinibus recreandis quies non ſufficit, ſed grauioribus ac operoſioribus opus eſt remedijs, de quibus Galenus in trigeſimo libro De ſanitate tuenda, ſcripſit multa, ubi & nos ſuper ea re dicemus plura. Nunc malo inquirere, quomodo à Polybo dictum eſt, quòd qui curſu fatigãtur, luctari debent: & qui ex lucta fatigationem ſentiunt, his currendum eſſe. Aſſerrem ſuper eadem re Celſum, niſi idipſum per ſe ipſa doceret experientia. Sic qui curru fatigati ſunt, per curſum recreantur: & qui ſedit, deambulatione: & quem longa laſſauit crurum contractio, eorundem laßitudinem tollit extenſio. Proinde duplicem quietem oportet partiri: altera eſt omnibus manifeſta, ubi propemodum uniuerſum corpus ſeriatur: altera occultior, ubi oppoſitæ partes exercentur. atque hæc eſt elegantißima quies: nuſquam enim magis oppoſitæ partes feriantur, quàm ubi contrariæ exercentur, tam eſt iucunda laborum diuerſorum uiciſſitudo. De ijs plura in noſtro inuenies Polybo.

Commentarij in libros De ſanitate tuenda.

Diuerſa exercitia fatigatũ recreant.

Duplex quies.

Iucũda laborum uiciſsitudo.

APHORISMVS XLIX.

QVi conſueti ſolitos labores ferre, & ſi fuerint imbecilles, & ſenes, non cõſuetis fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt.

CAVSAM huius Aphoriſmi Galenus refert, quia partes exercitatæ ſunt robuſtiores ignauis. Nam quemadmodum ante illum Plato dixit, Ignauia exoluit, exercitatio robur addit. Ambidextri manifeſto exemplo ſunt. Non tamen iſta ſimpliciter, ſed cum quadam definitione, audire oportet: ſenex enim quantumcunq; conſuetus exercitari, plerunq; multis partibus iuuene eſt debilior, atq; imbecillior. Quòd ſi alia ratione, fortè exercitationis conſuetudinẽ, aliquid roboris ſibi adiecerit, multum uincitur hoc momentum ab eo, quod ratione ætatis iuueni ineſt. Itaque hîc nihil prodeſt occaſionem uirium partiri: ſimpliciter enim iuuenes ſenibus natura fortiores exiſtunt. Iã Hippocrates contrariũ ſupponit, qui nõ tantùm cõparat ſenes ad iuuenes, ſed etiã imbecilles ad fortes. Debet ergo ſubeſſe alia ſecunda cauſa, quæ idoneos atq; inidoneos nos ad laborẽ red-

Galeni expoſitio.

Senes ſimpliciter iuuenibus debiliores.

Nostra expositio.

reddat: nec procul eam oportet quærere, sed in neruis, ac ligamentis, atque articulis eam inueniemus, quæ nonnunquam prompta, aliquando parum ad morbum comparata. Sic in pueris parum constant, propter multam humiditatem. In adolescentibus uigent, propter mediocrem siccitatem. Rursum dissueta rigent, contrà consueta expedita, atque agilia, & minima uirtute in omnem partem exercentur. Nam membrum molle facilius tractatur, quàm rigidum: molle nunc agile atque tractabile interpretor. Etenim per exercitium simpliciter durius corpus euadit, in quo soluitur Hugonis alibi dubitatio. Nunquid ergo interpretatio Galeni iniqua est? Alius profectò uiderit, an per robustam partem agilem interpretari uelit: quoniam agilis pars paucis uiribus obitur, rigida uix multis. Ego profectò non libenter à Galeno discedo. Vnde & Oribasium hoc loco consului: uerùm nihil iterum, præter nugas & tenebras, inuenio: dum nescio quid de tribus dimensionibus ratiocinatur, dicens has quidem omnes reperiri in senibus, semper autem unam desiderari in iuuenibus. Atque hac de ratione (si dijs placet) senes iuuenibus laborem melius ferent.

Dissueta rigent, consueta agilia & mollia.

Molle membrum paucis uiribus obitur, rigidum uix multis.

Iterum nugatur Oribasius.

APHORISMVS L.

QVæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint insuetis, minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari.

Paulatim in eorum naturam transimus quibus assuescimus.

SINGVLA eorum, quæ nobiscum familiariter uersantur, familiarem nobis suam naturam faciunt, atque insinuant, adeò ut temporis spatio aliquam illorum similitudinem contrahamus. Atq; id de cibo nō oportet ostendere: dictum est enim à Galeno satis. Dictum autem & ab ipso est, de aëris mutationibus, quàm difficile ferantur, ubi à calido in frigidum fit transitus. Nec tamen contraria mutatio detrimento uacat. nam saltem inæqualē in corpore intemperiem excitat, licet non æquè grauiter offendat. Idē est de omnibus alijs, quæ manifestas qualitates obtinent. Videtur in exercitio, frictione, repletione, inanitione, inedia, balneo, lecto, diuersa ratio esse. Verùm & horū unūquodq;, saltem occulte, aliqua qualitate nos afficere consueuit, qua successu temporis bene & eius con

Difficilis oīs mutatio, præsertim à calido in frigidum.

Leuior occupatio.

contrario afficimur male. Id ergo cōmune est, siue corpus à frigido transferatur in calidum, siue econtrario. Accedunt autem præter commune hoc, & alia quædam particularia incommoda. Nam si quis consuetus exercitari balneo, dilui, aut aliud simile pati, iam neglexerit, corpus implet. Quòd si contrà, iam subito ad ista præter consuetudinem transierit, ipsam uirtutem deijcit. Non una ergo ratione consueta insuetis melius afficiunt, modo duntaxat paulo deteriora fuerint. Nam si admodū peruersa sint, non est dubium, quin his etiam consuetis meliora melius tolerentur. Non oportet autem consuetum audire, quod aliquoties corpori contigit: sed quod paulatim in consuetudinem uenit, citra manifestum corporis detrimentum. atque ex hoc soluitur tertia Hugonis redargutio. Primum autem & secundum argumentum ferè eiusdem farinæ sunt. Nam uelocius afficere, atque affici, similia sunt. Neutrum autem propositum nostrum redarguit, quia non est eadem ratio de similibus atque consuetis, dissimilibus atque insuetis: etenim iuxta uulgatū prouerbium, Ab assueto non fit passio, à simili autem frequenter. Dissimilia uerò & insueta in eo comparantur, quòd perpetuo corpus immutant, & partim uiolant. Nunc ergo dicere oportet, cur corporibus sanis (nam de ijs solis nunc sermo est) insuetorum aliquando usum Hippocrates consulat, quando consueta, etiā si in genere fuerint deteriora, insuetis ipsi corpori sunt iucundiora. Galenus in commento philosophum agit: etenim philosophi duabus de causis molliorem uictum damnant, tum quòd corpus effœminat, tum quòd corpus impotens alterius fortunæ reddat. Suadent ergo uel eo tempore, quo fortuna meliorem copiam suppeditat, saltem aliquando duriori uirtuti assuescere, ut si quādo necessitas incidat, eundem melius feramus. Sic Agesilaus magnus ille Lacedæmoniorum rex, nihil de seueriore uictu suo uoluit remittere, ueritus ne si aliquando necessitate ad illum duceretur, impotenter ob dissuetudinem ferret. Contrà uulgum dicentē audias, Qui semel indulgenter sese ipsum habet, non semper miser est. atque ij sunt, qui quibusuis calamitatibus succumbunt, nec morbos nec morborum remedia ferre possunt. Præstat ergo tempore sanitatis eius insolentiam tollere. nec est periculum, ne corpus offendat: non enim id faciunt, quæ paulatim,

Commune incommodū.

Particularia incommoda.

Valde praua ubique malo sunt.

Diuersa sunt similia, & cōsueta dissimilia & dissueta.

Cur transeūdum ad insueta.

Galenus philosophū agit. Mollis uict. ob duas causas dānatur.

Agesilai prudentia.

Vulgare sed stultum prouerbium.

Insueta contrarię fortunæ corpus patiens reddũt, & intemperãtiã corporis nonnihil corrigunt.

Tam temperatum corpꝰ quàm intemperatum uarietatem quandã postulat.

Asiani. Europei.

Cõmutatio & rerum uicissitudo corpus obdurat.

Corpora quędam intẽperata morbosis causis per accidens magis resistunt, quàm temperata.

Vno & altero uerbo soluuntur plurima Hugonis argumenta.

Sana sanis, ęgra ægris.

sed quæ affatim incidunt. uerbi gratia, non est consultum semper (saltem tempore æstatis) uinum bibere: expedit aliquando aquam assumere, & alia quædam insolenter facere: conferet hoc inter alia nonnihil ad corporis intemperati castigationem. Sed neque temperatum corpus ægre feret: nam ut hoc est in medio omnium excessuum, ita nunc hoc, nunc illud illi conueniet: si quidem enim semper uno genere uteretur, illius temperatura periclitaretur. Communiter ergo tam temperato quàm intemperato conuenit uictum aliquando immutare, tum ut calamitates & morbos (quorum nemo securus est) & eorum remedia melius ferant, tum ut temperamentum melius constet. Nec solùm uoluptas, sed & sanitas quoq; in uarietate aliquo modo sita est, momẽtum etiam habet ad corporum soliditatem & robur. Exemplo sunt Asiani, & Europei: & rursum inter Europeos ij, qui ad Septentrionem uergunt, & ad Meridiẽ. Nam ut quisq; maioribus mutationibus caloris & frigoris expositus est, ita corpus habet magis induratum: unde & magis animosus, & ad bellum idoneus est. Habes exemplum in ferro, quod aqua submergitur, & rursum aqua incalfit, ut cõgeletur fortius. Videtur tamẽ ex isto sequi, quòd corpora quædam intemperata minus offendantur causis morbosis, quàm temperata, nec diu alterari uolumus. Nam ubique per se, ab eo quod per accidens est, oportet distinguere. Per accidens enim est, quòd corpora intemperata huiusmodi inæqualitati obnoxia magis resistant, utpote quia densiora & solidiora: & tamen uel inter hæc illud, quod magis intemperatum, minus resistet, ita & inter duo temperata magis solidum erit, quod uictum aliquando commutarit, adeò exquisitus uictus usque periculosus. Atque ab hoc ferè quasi à cardine pendent grauissima quæque Hugonis argumẽta. Minus urget, ubi febricitantes affert semper assuetos uino, qui nunc indesinenter aquam appetunt. Vidi ego quosdam colicos, in morbo uinum appetere, qui tempore sanitatis nihil aliud quàm aquam ferebant, aut cereuisiam. Multa alia habes eiusmodi exempla, quorũ nullum pugnat cum præsenti sententia: non enim simpliciter insueta consuetis comparat, sed eiusdem rationis, utpote sana sanis, ægra ægris. Exempli causa, inter ea quæ sanis conueniunt, magis iucunda consueta, quàm insueta: & rursum inter

inter ea quæ morbo contraria, magis erit gratum, si aliquando per sanitatem usuuenit, quàm si nunc primum insolenter obtigit. Ita & febricitantes melius ferent aquam ipsam assueti, quàm insueti: pauci tamen eo tempore uinum appetent: sed neque appetentibus dare licet, nisi quatenus causæ morbi contrarium. Nam tantum oportet mutare consuetudinem, quantum immutata est natura. Minus pugnat, quod de timore affert Hugo: non est enim uerũ, quòd ex natura timidus magis afficitur timore, quàm fortis, sed solùm frequentius. Nam fortis debet esse causa, quæ fortem exa-minat. & si ita fuerit, nequaquam hanc sententiam refellit: nam ipsa potum, cibum, ac similia respicit. Atque ab hoc Hugo auspicatur suũ quintum argumentum, in quo tam uaria atque perplexa confundit, ut in hoc uno plus sit perplexitatis, quàm toto Galeno. Tamen ferendus erat, si semper utilia proposuisset: quoniam ex mala institutione rei Dialecticæ, quæ eo tempore erat, ne bonam quidem rem suæ ætatis homines clarè exprimere potuerunt: sed & res ipsa in qua uersatur, subinde friuola est. Tale etiam est, quod de permutatione medicinarum subijcit. Nam quòd medicamenta eiusdem facultatis, atq; eiusdem ordinis, in eodem morbo aliquando expediat mutare, propter uarietatem proprietatum est. Ita & totam rationem medicaminis oportet aliquando mutare, si quidem à principio parum probè definiuerimus. In suo sexto, ac principali, ut ipse uocat argumento, ubi rerum animatarum consuetudinem ad inanimatas exigit, ipsemet hæsitare uidetur. Est tamen uerùm, quòd & in his ipsis consuetudo aliquid momenti retinet. Nam & hæ inæqualitate tentantur, atque altera qualitas alteri superueniens, difficilius fertur. Non tamen de aqua multoties calfacta, aut lapide frequẽter sublato quicquam dicere conuenit: nam nihil istorum consuetudinem inducit. Non uideo, qui hæc uiderit, cur longis illis Hugonis articulis, notabilibus, conclusionibus opus habebit, in quibus ipse subinde adeo confunditur, ut diu diuines, antequam quid uelit intelligas, uel ex ijs obiecta argumenta dissoluas. Credo illum subinde adeo sibijpsi implicatum, ut neque sese intelligat, tantum abest, ut bona ingenia ipsum capiãt. Nec meliora habet Oribasius: quod ex eo constat: quia in sola natura ascititia atque morbosa hunc transitum recipit.

Tãtum oportet mutare consuetudinẽ, quãtũ est mutata natura.

Timidus timore afficit frequentius, sed fere leuius.

Hugonis nugæ & sophismata.

Inscitia rei dialecticæ.

In lõgo morbo medicamenta uariare decet.

Consuetudo aliqd habet momenti uel in inanimatis.

Argumentũ puerile.

Hugonis perplexa omnia.

Oribasius.

APHORISMVS LI.

PLurimum atque repente euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniã omne nimium naturæ inimicum. Sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum cùm ab altero ad alterum transitus fit.

Quatuor sũt corpora quę mutationem patiuntur.

TRES sunt aut quatuor dispositiones corporum, in quibus mutationem aliquam tentamus: insignem atque affatim in ægris: euidentem in insalubribus, hoc est intemperatis: occultam, in neutris: ualde paucam, in salubribus, tum propter imminentes fortunas, ut prius diximus, tum ne unum aliquod elementum nimia licentia atque indulgentia ultra alia immodice luxurietur: interim enim idem temperamentum seruare uolumus. Sed neq; in neutris corporibus aliquid affatim facere conuenit: quoniam horum intemperamentum hactenus modicum existit. Ne insalubria quidem, licet multum à medio recesserunt, repentinam mutationem, alterationem, uel euacuationem tolerant: quoniam dicente Galeno, corporum sanitas qualiscunq; sit, in mediocritate sita est, quæ immodico tollitur, affatim exhibito. Igitur melius est paulatim promouere, uel ob eam causam, quia nulla præcipitatione opus est: adde quòd prior mediocritas affatim citra dolorem tolli nequit: alioquin enim quamprimum intemperaturam primam tollere decebat: in solis morbis acutis hæc plurima atque repentina alteratio uolupe est. Conueniret & in longis affatim, atque in eodem ordine, siue gradu, medicamentum contrarium dare, sed uirtus plerunq; imbecillis est, uel hac ratione tam in acutis, quàm longis, ubi ipsum medicamentum in eodem ordine licet exhibere, tamen satius est idipsum in parua quantitate paulatim admouere. Ita neque euacuatio in longis cõuenit affatim facta, in acutis tamen aliquando expedit. Nam idem autor in primo Aphorismorum dixit, deiectiones non multitudine, sed lenitate æstimandæ. Igitur multa & subita euacuatio, uel alteratio in sanis periculosa semper, in ægris plerunque, hoc est, quod in fine scripsit Hippocrates,

Sola ægra corpora repẽtinam ac multam mutationẽ tolerant.

Potius ĩ acutis quàm longis morbis mutatio conuenit affatim facta.

Medicamentum in eodẽ ordine sed parua quãtitate.

Euacuatio affatim in acutis tantùm.

Tum

Tum aliàs, tum quum ab altero in alterum fit transitus. *Sed hoc Galenus non explicuit: atque hæc fuit causa, cur interpretes in eo loco hæserunt, atque alij aliter reddiderunt.*

Expositio posterioris appendicis in Aphorismo.

APHORISMVS LII.

OMnia secundùm rationem facienti, si nõ succedat secundùm rationem, nõ est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio uisum est.

MORBI acuti omnibus ferè euidentes sunt: at longus in principio occultus est: proinde consultius est, hic medicamẽtum differe, & diligenter aliquot diebus singula attendere, quàm obiter aliquid audere. Hoc est quod Fabius dixit, & medicos & Imperatores sæpe magis proficere quiescendo, quàm multa agendo: plus enim oculus, quàm manus, & his omnibus maior intellectus. matura ergo deliberatione est opus: ita nihil temere ages. Sicut uerò imprudentis est aliquid obiter facere, ita inconstãtis est subitò consilium aut remedium mutare: quoniam multi morbi usq; ad mortem pertinaciter resistunt, neque ullis (quãquam iustis) medicamẽtis obediunt. Omitto, quòd multi morbi diuinitus sunt, uel ob scelera, uel tentationem immissi. Igitur eadem medicandi ratio seruari debet. Nam ipsum medicamentum pluribus formulis mutare licet, ac ex ijs quæ eiusdem generis sunt, nunc hoc, nunc illud accipere. Tametsi enim omnia eãdem qualitatem obtinent, proprietatem tamen rarò eandem, quam quia tu ratione distinguere non potes, naturæ multorum copiam facere debes, uel ob eam causam, quòd natura contemnere solet, atque in se conuertere, quod diu usui fuerit, quũ & ueneno mulier Atheniensis familiariter assueuerit, multo facilius reliqua medicamenta tandem uim amittent. Verũ nemo est, qui non aliquãdo erret, & Galenus in seipso deceptus est. Igitur si forte nunc nobis alius morbus ostenditur, quàm primũ uidebatur, iam toto genere medicamentum mutabimus. Atque id si raro euenit, condonandum. Sed quid ijs facies, qui ne centesimum quidem morbum agnoscunt, ex ijs quos medicantur? Nec refert, quòd pauci intereãt: rarus enim error mortalis est. uerùm nihil boni committere potest, qui morbum ignorat:

Morbi longi in principio occulti.

Medici & Imperatores sæpe plus proficiũt quiescẽdo, q̃ multa agendo.

Non decet temerè aliqd tentare, aut rursum mutare.

Multa sunt quæ iusta medicamẽta cõtemnunt.

Medicamenta eiusdẽ facultatis commutanda.

Omnis homo errorib⁹ obnoxius.

Vulgare periculum.

Paucos curat qui medicatur multos.

rat: & quomodo singulos morbos agnoscet, qui nihil didicit? & sine discrimine quàm plurimis quotidie manum adhibet?

APHORISMVS LIII.

QVicunque aluos humidas habent, siquidem iuuenes fuerint, melius commutant ijs, qui siccas habent. Ad senectam uerò deterius commutāt. Nam senescentibus magna ex parte exiccantur.

PARTIM, sed non omnino, hic sermo idem est cum eo qui dictus est: non enim ibi dicitur, sed hic adijcitur, Qui siccas habent, melius commutant. *Vbi interpretes uariant, quidam pro* cōmutant, *transferunt, degunt. In hanc forte sententiam scripsit Galenus in sexto De symptomatum differentia, quòd deiectiones in senibus, quæ breuibus fiunt interuallis, potentiam excusant: quæ uerò longiori, accusant. Nā priusquam nouum alimentum recipitur, utile est uetus excrementum, modò effatu dignum fuerit, excerni, non modo in uentre, sed & in uenis, & habitu corporis. Duo sunt, quæ ab hac interpretatione dissentiunt. prius est, quòd nequaquam tota uitæ felicitas pēdet à uentre: deinde quòd nihilo felicius, imo infelicius uiuunt senes, quibus uenter humidus, quàm siccus. Forte ergo posterior particula uult, quòd deterius uiuunt senes, quibus uenter humidus: quia ex natura illis magna ex parte uenter est siccus. Sic apparet etiam intellexisse Cornelius Celsus: ubi dicit, Melior est in iuuene fusior, in sene astrictior: nam in senibus prioribus nunquam uenter humet, nisi propter magnam alicuius intemperaturæ excessum. Est tamen uel hæc expositio paulo durior. Alij* cōmutant, *pro concoquunt, audiunt. Nam ut ferè pueris alacrior cōcoctio, ita & excrementa ipsorum sunt liquidiora. Hanc commentationem & altera interpretatio feret, quæ pro* cōmutant, *refert degunt. Nam & qui promptius concoquunt, & facilius excernūt, melius degunt. Ferè autem in senibus appetitus minor est, quo fit, ut in his magna ex parte uenter exiccetur. Ac si humidior fiat, potius infirmitas retentiuæ, aut alterius uirtutis, quàm cōcoctionis firmitas, in causa putanda est: nam in his fere uirtus inualida. Itaque nulla ex his tribus* expo

Interpretum uarietas.

Prima expositio.

In senib⁹ melior uēter siccus, quàm humidus.

Secunda expositio.

Tertia expositio.

Venter humidus in senib⁹ suspectus.

expositionibus mihi apparet admodum propitia, nec tamen possem comminisci aliam.

APHORISMVS LIIII.

MAgnitudo corporis iuuentæ quidem neque indecens, neque illiberalis; senectæ uerò inutilis & deterior paruitate.

NON dammauit Hippocrates (quemadmodũ Galenus attestatur) hoc uerbo, corporis, proceritatem siue quadraturam. Nam ipsa ferè optimæ temperaturæ est argumentum. Craßitudo uerò non minus in iuuenibus, quàm senibus redarguitur. Carnositas uerò in ambobus commendatur. Sed nec ipsa latitudo uitium habet: quoniam cerebri magnitudinem, & cordis calorem imitatur, & uulgo uiuaces perhibentur, qui latis humeris nascuntur. Igitur sola longitudo corporis hic auditur, quippe hæc sola senectutem magis, quàm iuuentutem onerat. Sequitur autem astrorum forsan, & materiæ magis, quàm caloris conditionem, fortaßis omnium. Quòd autem ex parte temperamentum imitetur, argumento est, quòd uiri mulieribus plerunque longiores sint. Quòd si cum caliditate humiditas quoque exuperet, hæc omnibus alijs proceriora uidentur. Hac de causa in Septẽtrione quoque, & adeò Europa, corpora ferè maiora sunt, quàm in Asia. Sed & quòd Gigantes hodie nulli sint, ut prioribus seculis, ex eo euenire uidetur, quòd corpora nostra paulatim declinant, atque degenerant. Sed de his alibi.

Quadratura ubiq; bona est.
Craſsitudo mala.
Carnositas bona.
Lati uiuaces.
Longitudo in senibus inutilis.
Lõgitudinis causæ.
Corpora in Europa maiora.
Corpora nostra paulatim degenerant.

APHORISMOR.
LIBER III.



MIRATVR Galenus, quòd ueteres commentatores hunc librum neglexerint: ego magis miror, quòd uel ipsi posteriores, qui alios libros enixè sunt perscrutati, hunc omnino omiserunt: nam ob duplicem causam hic ferè potius, quàm quiuis alius cõmentatione indiget. Prior est, quia eorum quæ hic narrãtur demonstratio, ferè maioris est negotij & ingenij, quàm quorũuis aliorum. Posterior est, quia uel ipse Galenus, hunc præsertim librum perfunctoriè, & (ut dicam) non nisi leuiori brachio percurrit. Oribasius tamen in hunc quoq; librum suas commentationes edidit. Verùm ipsum in hoc libro omisimus, quoniam nihil relatu dignum attulit. Hugo Senensis hunc omnino non attigit: quapropter Forliuium illius loco accepimus: neque minori libertate erga hũc, quàm Hugonem usi. An uerò id magis fecimus contradictionis, quàm ueritatis studio, Deus opt. max. iudicabit. Sæpe etenim & hunc & alios dißimulassem, tantùm simplice ueritate contentus, nisi in illorum sophisticis rationibus mediocria ingenia hæsura putassem. Nam de ijs omnibus ego præclare sentio, nec dubium quin eadem fuerint cum nostris ingenia, sed seculi uitio corrupta. Itaque neque nos aliam methodum seruassemus, si quidem illis temporibus nasci contigisset. Gratulari ergo nobis debemus, quòd longius ab illis tẽporibus natura nos distraxerit: cõdolere autẽ ipsis, quos prior infelicitas obscurauit: sed & alioqui redarguere, neminẽ autẽ cõtemnere oportet. Non enim aliud habemus, quàm accepimus, adeò frustra in eo gloriamur. Caueant uicißim alij, ne nimis pertinaciter pro sua secta contendant, imo uerius pro se contra ueritatem pugnent. Etenim dies reuelat omnia, & ueritas oppugnari potest, expugnari non potest. Omitto, plus quàm sacrilegũ esse, qui sui studio, ueritatẽ per fas per nephas pessundare studet. Atque Deus reliquos iudicet: nã in hoc mihi cõscius sum, nulli ex

Demõstratio eorum quæ hic dicuntur difficilima.

Forliuius.

Veterum pręclarissima ingenia temporum iniuria conspurcata.

Redarguere licet, superbè contemnere neminem licet.

Veritas oppugnari potest, expugnari nequit.

In spiritum peccat, qui prudens ueritatem pessundat.

li ex professo mendacio me uelle patrocinari. Sed in omnibus uerum dicere, nemini obtigit unquam: itaque neque nos alterius iustam recriminationem recusamus: quippe & nos ipsi nostra, Galeni exemplo, castigare gaudemus. Sterile enim, & minime fœcundum ingenium ego puto, quod antiquis laboribus tandem nihil adijcit, aut detrahit. Tanto minus fieri potest, ut aliorum omnium nos ubique, uel etiamdũ æquam censuram subterfugere speremus. Etenim hoc natura constitutum est, ut minus alijs in nostra uitia simus oculati: fit autẽ id partim proprio studio, partim uerò laboris perplexitate. Districtum enim uarijs commentationibus ingenium, non potest singula æquè discernere, ut qui recens in ea inciderit. Nam & ij, qui primùm rem aliquam intuentur, subinde eam clarius discriminant, quàm qui longo obtutu aciẽ habuerint hebetatam.

Felicia ingenia sua paulatim corrigũt.

Diligentia sæpe obcæcat.

APHORISMVS I.

MVtationes temporum potissimùm morbos pariunt, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes caloris, aut frigoris, & alia pro ratione eodem modo.

TRES, neque plures sunt generales omnium morborum occasiones. Aliquot enim errorem uictus, multi temperaturæ uitium, atque ætatis mutationem, plurimi uerò aëris ambientis intemperiem sequuntur: atque ij epidemiæ uocantur, si non tantùm similem, sed & dissimilem temperaturam obtineant: nam minor excessus intemperiem tantùm affinem offendit. Atque eos quidem, qui uictum sequuntur, alibi sparsim, nec uno ordine, Hippocrates percurrit. Qui uerò ob ætatum discrimina eueniunt, posterior huius libri pars exequitur. Prior uerò tota ac maior, eos qui ex aëris intemperie sunt, ostendit, adeo magnum præ cæteris causis aër momentum habet, ac multo frequentius, quàm aliud quiduis, morbos parit. Quapropter ego subinde Hugonem sum admiratus, qui reliquos quidem omnes libros expendit, hunc unum ne attigit quidem. Par etenim huius cum cæteris utilitas, neque minor difficultas, si quis in ipsis rectè exerceatur. Tamen Galenus quasi aliud agens, eosdem exposuit.

Tres generales morborũ occasiones.

Magna aëris intemperies epidemias facit.

Duo huius libri argumenta.

Pleriq; morbi aëris uitiũ sequuntur.

Galenus etiã obiter hunc librum perstrinxit.

Itaque nemo uitio uertere debet, si aliam subinde rationem adiecimus, quando ipsius commẽtatio imperfecta nobis uisa fuerit. Tale aliquid & in hoc primo Aphorismo deprehendimus. Sed potius est ab initio eius commentationem reddere, quoniam non una, sed uarijs uana forsitan sententia apparet. Quidam per mutationes temporum naturales, quatuor anni temporum uicißitudines siue succeßiones cogitant, quòd harum singulæ suos, hoc est, nouos morbos inferant, ut postea prolixè docebitur, ac nunc quoq; Galenus in commento leuiter attingit. Atque hãc quidem commentationẽ Galenus damnat, propter uerbi, potissimum, adiectionem. Paulatim enim hæ mutationes accedunt, & nihilominus morbos antiquos corrigunt, quàm nouos produnt. Igitur ipse permutationes temporum primò uarias, ac multas eiusdem temporis alterationes, intelligit: nunc in calidum, nunc in frigidum, fortaßis ab humido in siccum, & econtrario. Semper enim omnis inæqualitas dãnata est, ac nihil magis, quàm frequentes istæ mutationes (etiam si paruæ fuerint) morbos pariunt. quippe magna aliqua mutatio, etiam si duntaxat semel atque iterũ inciderit, morbos inuehit. & hoc Galenus in secunda Aphorismi particula intelligit. At ne hæc quidẽ Galeni cõmentatio mihi placet. Nã diuinanti simile apparet, in priori particula frequentes ac paruas, in posteriori uerò unam duntaxat mutationem, aut uicißitudinem accipere, sed magnam. Potius ergo est, ut in priore sententia, mutationem in diuersas qualitates audiamus, ut fortè æstatis calidæ in frigidũ, et hyemis frigidæ in calidum: in secunda uerò ipsarum excessum. Non enim sola ea mutatio, quæ repente fit à calido in frigidum, morbos gignit, uerùm etiamnũ ea, quæ à parum calido ad calidißimum fit demutatio. Argumento dies Caniculares, sub quibus nõnunquam grauißimi suboriuntur morbi. Iam nõ minus ratione caret, quod in priori loco, uel omnium, uel plurium anni temporum mutationem audire debeamus, in posteriori uerò unius: quippe utrobique pluraliter Hippocrates protulit. Ac tu quidem, si placet, Galeni expositionem retinere potes, mihi uerò altera magis placet, uel ob eam causam, quòd unumquenq; Aphorismum quàm generalißimum seruare oportet. Multo autem plura complectetur iuxta secundam, quàm

Varia huius Aphorismi expositio.

Naturales tẽporũ successiones priores morbos corrigunt, & nouos afferunt.

Galeni expositio.

Frequens inæqualitas plurimos morbos parit.

Galeni cõmẽtatio displicet.

Nostra expositio.

Duplicia tẽpora morbos gignunt, & quæ qualitates speciem mutãt, & quę modum non seruant.

Optima cõmẽtatio, quæ est generalissima.

quàm primam expositionem. Placet & nobis ob alteram coniecturam. quia non scripsit Hippocrates mutationes caloris aut frigoris: sed adiecit, magnæ, *in eadem qualitate scilicet uarias mutationes leuiter indicans. Neq; longe istius causa abest: quoniam tales mutationes ad magnum sub inde excessum temperaturam trahunt. Sæpe antè dictum est, quòd natura nostra in mediocritate sita est, & quòd ab omni excellente qualitate peruertitur. Quomodo uerò mutationes à calido in frigidum, aut econuerso corpori nostro officiant, & hoc quoque circa eum Aphorismum,* Longo tempore assueta sunt, *dictum est. Adijcere quasdã ex Forliuio ambages. Verùm obscuriores sunt illius propositiones, quàm res ipsa: quas facile definiet, qui has rerum summas intellexerit.* Commentationis nostrę attestatiões. Omnis excessus tẽperaturã corrũpit.

APHORISMVS II.

Naturarum hæ quidem ad hyemem, hæ uerò ad æstatem bene maléue sese habent.

NATVRAM hìc communius audire oportet, quàm in secundo libro, in eo Aphorismo, In morbis minus periclitantur, quorũ naturæ &c. *pro quauis temperatura, scilicet non tantùm genuina, sed etiam ascititia, siue ratione aëris, siue uictus, siue cuiusuis alterius consuetudinis, fuerit contracta. Quoniam ut uulgo dicitur, Consuetudo altera natura est. Definitur autem Galeno hæc temperatura, naturæ nostræ principalis substantia. Potes hìc per naturam, formam intelligere, uirtutem, aut etiam calorem naturalem: his enim omnibus temperatura substernitur. Nam de forma multi dubitauerunt, an à temperatura esset alia. Atque id ut omnino uerum est, ita quòd temperaturæ forma proxima sit, falsum non est: quoniam non nisi suo more temperato corpore forma aut retinetur, aut excipitur. Secundo loco, potentiæ ipsæ nomine naturæ accipiuntur, quòd ipsis statim corporis administratio creditur. sed quia eam obeunt caloris naturalis intercessione, propterea & hunc tertio loco naturæ nomine dignamur. Etenim ipse non tantùm instrumentum, sed iustus artifex omnium eorum, quæ in corpore nostro obeuntur, apparet: quippe & sacræ aliquando literæ sanguinem pro anima brutorum* Natura quæuis temperatura. Variè accipere licet naturã in ipsa definitione. Forma temperaturę proxima. Virtutes aliquando nomine naturę inaudiuntur. Tertio calor naturalis naturæ uocem subit. In sanguine anima.

habent, quòd in eo fortaßis calor plurimus sit. Non est autem ipse solus instrumentum, sed & temperatura ipsa. Quapropter temperaturam quoque naturam appellamus, & genuinam, & quamuis aliam in habitum traductam. Ergo non uno modo naturam audire oportet, ubi Galenus in commento naturam definit, id quod secundùm ipsam maxime substantiam naturæ est. Sed naturam secundo loco aliquam ex tribus intellexit. Priori uerò loco per naturam temperaturam intellexit, quæ tribus illis prioribus substernitur. Atque hæc (ut ad Aphorismũ redeamus) melius ex magna parte sese habet ad dißimilem aëris conditionem, quàm similem: etenim à simili plerunque exasperatur, à dißimili uerò emendatur & castigatur. Quippe uix unquam aut hybernus, aut æstiuus aër tam nobis obtingit similis, qui non multo temperaturam nostram excedat, atque offendat: non enim ad conseruationem nostri corporis, solam qualitatem requirimus, sed & quantitatem, siue gradum (ut uocant) æqualem. Atq; in hoc facile soluitur tota illa Forliuij dubitatio. Nam simile quodmodum mutat, nihilo plus, quàm oppositum conferet, tametsi qualitate sua nobis magis familiare fuerit. Ita calor æstatis, biliosæ temperaturæ magis similis est, quàm frigiditas hyemis. Neutra tamẽ qualitas biliosum corpus conseruat, sed hyberna tempestas emẽdat, ac præseruat: etenim præseruatio, quemadmodum curatio, quodammodo perficitur suo contrario. Quemadmodum ergo biliosa temperatura hyeme bene afficitur, ita pituitosa æstate. Huic tamen clam aduersari apparet Aphorismus, qui antè dictus est, Ventres hyeme & uere natura calidissimi. *Nam rationabile est, ut eo tempore naturæ pulcherrimè sese habeant, quo naturalis calor est copiosior, atq; fortior. Non enim solius coctionis, ut sæpe diximus, artifex est, sed omniũ eorum, quæ in corpore nostro bene administrantur. Multa autẽ in primo libro super ea re diximus, quibus hoc unũ adijcere possumus, uitam nostram duorum opera ualere, primò caloris naturalis, secundò ipsius temperaturæ beneficio. Et caloris quidem naturalis magis: nam ipse, ut diximus, principalis artifex est nostræ uitæ: quo ergo hic fuerit uberior, eò & uita nostra melior. ita euenit, ut aliquando uel frigida corpora tempore hyemis felicius & iucundius degant. Aliquando tamen*

Definitionis naturæ explicatio.

Tẽperatura plerunq; à similibus offẽditur.

Quæ nos cõseruãt, & specie & modo qualitatis, debent esse similia.

An frigidæ naturæ alacrius uiuãt æstate.

Vita duobus constat, tẽperaturę modo & caloris naturalis beneficio.

men intemperatura uincit, & morbos parit. Hanc distinctionem eò diligentius animaduertere oportet, quò (quod sciam) à nemine ante nos posita sit. Quòd autem ista diuersa sint, possum alio exemplo ostendere. Nam iuuenes ex natura humidi, ijdem senes ægrotāt minus: attamen in his & calor, & reliquæ functiones, pro modo caloris, fortiora prius fuerunt. Sic mulieres & senes hyeme quàm æstate uiribus magis ualent, attamen aliquando citius morbis corripiuntur. Optimè tamen hyemem ferunt corpora calida & sicca: mediocriter corpora, quæ in altera qualitate conueniunt, atque altera pugnant. An autem calida & humida, melius afficiantur hyeme, quàm æstate, fortunatū mihi apparet, prout hæc uel illa qualitas in istis temporibus magis exuperet. Quòd si ex æquo cōueniant ambæ qualitates, uerisimilius est, quòd melius hyeme afficiantur prædicta corpora, quàm æstate: quoniam frigiditas magis actiua est, quàm siccitas, itaq; & commodū illius maius. Ac tantū super Forliuij quæstionibus.

Naturæ frigidæ tempore hyemis meliꝰ ualent, sed citius ægrotant.

Fortunatum.

APHORISMVS III.

MOrbi quoque alij ad alia bene maléue sese habent. Et quædam ætates ad tempora, & loca, & uictus genera.

CONQVERITVR Galenus inordinatum loquendi modum. Ego autem cupiuissem, quòd Hippocrates ætates comparasset simul cum naturis ad has cōditiones, & seorsum dixisset de morbis: quia hi alterius naturæ existunt: tamen in eo conueniunt hæc omnia, quòd ætatis aliquando intemperaturæ & morbi semper gaudent contrarijs, & offenduntur ferè similibus. Iam loca & tempora ad unum caput, aërem scilicet, referre oportet. decet autem hinc præter uictum tertiò quoque temperaturam adijcere: ad unumquodq; enim istorum morbus aut bene aut male sese habere inuenitur. Quippe calidus morbus à calido uictu, aëre, promptè generatur, atque difficile soluitur. Hoc est fortaßis, quod Galenus in commento dixit, morbos bene sese habere, ut ad generationem similes, uel ut ad solutionem uerò contrarios: quasi hoc dixerit, morbos bene sese habere ad eam conditionem, quæ illos potius idonea est gignere, quàm soluere:

Aetates aliquando, intēperaturæ, & morbi, oēs gaudent contrarijs.

Morbi inferuntur ad aērem, ad temperaturas, ad uictum.

Galeni expositio.

forte etiam bifariam morbos bene aut male sese habere ad tempora, & reliquas conditiones, intellexerit priore modo secundùm generationem, posteriore uerò secundùm solutionem. uerbi causa, morbus calidus respectu æstatis bene sese habet: quia hic prompte oritur. Sed & respectu hyemis bene sese habebit: quia si ab æstate in hyemem inciderit, nonnihil ab ipsius frigiditate diluitur. Igitur relatione oppositorũ tẽporũ bene ac male, sed diuersa ratione, idẽ morbus forsitã sese habere dicitur: male quidem tanquã ad generationẽ parũ idoneus, bene uerò tanquã ad solutionẽ opportunus. Vt tamẽ sermo sit lucu lẽtior, & minus pateat sophismatibus, melius est uno modo, morbos, naturas, & ætates ad has conditiones comparare, ut bene dicãtur se habere morbi ad ea, quæ ipsos soluunt & corrigunt: male uerò respectu eorum, quæ eosdem committunt. Atque hoc quidem modo, respectu ueris, nullus morbus bene sese habere potest: quoniam nullus morbus ex temperie potest consistere, nisi forsitan cogites, quòd temperies hominis temperati, bilioso nihilo minus molesta sit, quàm biliosa temperato. Reliqua tempora quosdam terminant, quosdam generant: hyems calidis morbis aduersatur, ut æstas frigidis. Atque ijs paucis uerbis prima Forliuij disceptatio eruitur. Eodem modo uictus discrimina cum morbis comparare oportet, nec aliter cum temperamentis: nam ut morbus calidus in aëre calido, ita temperatura quoque calida promptè gignitur, atque rursum à contraria facile tollitur. Cum ijsdem & ætates conferre oportet: nam et hæ alterum altero melius tolerant. frigidæ enim ætates, ut quæ post trigesimumquintum annum succedunt, aërem magis amant calidum, priores uerò frigidum. Sed neque ætates ad singulas temperaturas æquè bene sese habent. Sed ut uulgo dicitur, unaquæque suos manes patitur. humidis pueritia molestior est: calidis & humidis adolescentia: siccis uerò & calidis iuuẽtus: frigidis autẽ declinãs ætas tota: adeò ut his ætatibus singulæ tẽperaturæ, & incõmoda, & pericula grauiora subeant. Sic neque uictum unũ omnes ætates admittunt. Senibus enim & liberalius & plenius uinum ad remorandam senectutem permittitur. Iuuenibus autem, atque adolescentibus, ad confirmandam atque conseruandam solidam caloris substantiam, modicè conceditur: pueris interdicitur.

Altera expositio.

Morbus bene sese habet dupliciter, respectu ipsorũ quę ipsum soluunt, & rurs' quę ipsum generant aut augent.

Nullus morbus ex temperie.

Victum cum morbis.

Aetates cum morbis & in tẽperaturis.

Vnaquæq; ętas suum patitur genium.

Humidis molesta pueritia.

Calidis & humidis adolescentia.

Senib' uinũ.

Adolescentibus modicè conceditur.

Pueris interdicitur.

etenim substantia illorum mollis est, ac spiritus non nisi halitus quidam, qui prõptissimè à uino reflatur. Eadem de causa puerorum sanguis promptius accenditur: quippe & in ijs quæ foris sunt, non semper primò inflãmatur quod est calidius, sæpe quod est rarius, ac tenuius. Iam licet uinum phantasia humidum, aliquando tamen energia siccum. atq; hactenus uel per se magis conuenit iuuenibus, quàm pueris & infantibus. Nam humiditas in infantibus nequaquam uel molesta, uel innaturalis est, sed ad multa idonea: itaque nulla castigatione opus habet, nisi præter modum ætatis exuperet. Adeò ubique quod per se est, ab eo quod per accidẽs est, oportet distinguere: & ubi magis ætas uel temperatura urget, perpendere. Plerique enim iuuenes melius ualent tempore hyemis, quàm tempore æstatis: at quidã ex natura admodũ frigidi, alacrius degunt tempore æstatis. Nouissimè temperatos ab hoc sermone oportet excipere: nam hi ubique gaudent societate similium. Discriminis causa est, quia temperata omnia ferè eiusdem rationis, intemperata uerò multis modis inuicem dissident. Nam neque in his integra similitudo in numero ac qualitate offendit, sed conseruat: tamen intemperatura sicca magis recreatur modico humido, quàm similiter sicco: quippe hic excessus seruatur, ibi emendatur. Idem est & de alijs intemperamentis. An autem morbi tutiores sint, in tempore simili, quàm dissimili, in secundo diximus. Neq; ego con iectari possum, cur aut hîc aut alibi Forliuius tantum uerborum fuderit. Nam uno aut altero omnia perfici poterant, credo ego illum multitudine et prolixitate uerborum fuisse oblectatum.

Aliquãdo citius accenditur tenue q̃ calidum.

Humiditas in pueris utilis.

Temperati ubiq; amant similia.

Forliuij prolixitas.

APHORISMVS IIII.

IN temporibus, quando eadẽ die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

Autumnalis intẽperatura ubiq; magis facit autũnales morbos, quàm hyemalis hyemales, aut æstiua æstiuos.

NEQVAQVAM tẽpora, sed quæ sunt in ipsis intẽperies, morbos gignunt. Igitur autumni inæqualitas, quandocũq; inciderit, autumnales morbos pariet: siquidẽ idem nõ est facere, nisi idẽ. Non est autẽ simile de reliquis reliquorum temporum temperaturis: non enim æstiua in hyemem

mem incidens, æstiuos morbos facit, sed illegitimos: fieri enim non potest, ut æstiua tam integrè in hyemem transeat, quàm autumnalis in hyemem, aut æstatem: etenim hyems & æstas longißimè à se inuicem dißident: autumnus uerò utrique communicat. Quare nihil mirum non est, quòd æstatis temperamentum hyemi insinuatum, non æstiuos, sed illegitimos morbos committit: quoniam hoc modo inæqualitas quædam in hyeme reperitur: neq; enim hyems unquam poterit integram æstatis naturam accipere. Ob has ergo forsitan causas Hippocrates inæqualitatem autumni, magis quàm reliquorum intemperaturam, ad alia tempora expendit. Potuit etiam Hippocrates de reliquis intelligere, quod de uno explicuit. Neq; enim redargui poterit, qui dixerit, quòd in hyeme, æstatis temperatura æstiuos morbos facit. Minus mirari debemus, quòd inæqualitas illa, quæ in singulis diebus naturalibus committitur (etenim nox ferè semper frigida, & dies calida) citra morborum discrimen feratur. Paulatim enim hæ uicißitudines fiunt, neq; nomen inæqualitatis merentur. Forliuius aliter excusat, quia hæc naturalis, illa uerò innaturalis existit. Sed nomenclatura detrimentum afferre non potest, neque quia innaturalis, aut naturalis dicitur, obest ac prodest, sed quia talis est. Similia uerba sunt, ubi inquit, quòd inæqualitas obest magis, quæ committitur in duobus diebus, quàm uno: Nã eo magis offendunt inæqualitates, quo sunt sibi inuicem proximiores. Non tamen medicina in tertio ordine calida, applicata affectui, in similiter frigido malum affert: quia huiusmodi inæqualitas ægris uolupe est, ac tantùm in sanis uituperatur. Tanto magis Forliuij pudendus error est, qui ob tantillum argumentum medicamentum non quidem simpliciter in eodem ordine, sed tantùm effectiuè affectui accommodat: quippe tale, quod paulatim talẽ affectum demolitur. Quo fit, ut medicamentum secundi ordinis cum Neotericis dicat tertij. De hoc in Techna.

Hyems nunquam posset totam æstatis naturam accipere.

Coniectura.

Inequalitas dierũ & noctium.

Diluta Forliuij excusatio.

Alter Forliuij error.

Pudendus Forliuij error.

APHORISMVS V.

AVstri auditũ hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quando huiuscemodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiun

tur

tur. At si Aquilonia fuerit, tusses, fauces, aluiduræ, difficultates urinæ, horrores, costorum dolores & pectoris. Quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.

VT quatuor partes nostri horizontis sunt, Oriẽs, Meridies, Occidẽs, & Septentrio, ita quatuor ab his partibus principales difflantur uenti, Subsolanus, Fauonius, Auster, Aquilo, siue Septentrionalis: qui exquisitius partes cœli scindunt. Vnumquenque istarum partium trifariã partiũtur, & à singulis tres rursum uẽtos educunt. Vnus enim ab Oriente æquinoctiali, alius ab occidente æstiuo, alius hyberno: ita tres Orientales uenti sunt, medius Subsolanus, ab altera parte Cæcias, altera uerò Eurus siue Vulturnus. Ab occidente principalis Fauonius, sed à lateribus Corus, & Aphricus. In Meridie Auster lateralis, Euronotus & Lybanotus. In Septentrione tres ex opposito inuenies, Coriceũ, & Boream: in medio uero exquisitè Septentrionalem, quem Aquilonem posses fortassis dicere: atque tantũ refert siue Boream, ut antiqua, siue Aquilonem, ut Leonicenus transfert, legas. Quam fortassis differentiam nostri non animaduerterunt: sed parum refert: omniũ materia, ut in alio seorsum opere diximus, aër est. Itaque hactenus parum differunt, sed dum à uarijs mundi locis feruntur, diuersa temperamẽta sortiuntur. Euidentissima est inter Austrũ & Septentrionalem contrarietas, in duabus scilicet qualitatibus: inter Orientalem uerò & Occidentalem minus euidens est: tametsi enim Fauonius frigidus sit, Subsolanus calidus, in alijs qualitatibus non æque pugnant: quinimo & Cæcias & Aphricus, tametsi contrarij uenti sint, nõ tamen contrarijs qualitatibus affecti sunt, quoniam uterque humidus. Eurus uerò & Corus ambo sicci, & hi tamen oppositi. Ob eas igitur causas, reliquorum neglectis differentijs, potissimum Austri & Aquilonis naturã medici dignati sunt asscribere. Nam hi ut temperaturas insigniores obtinent, ita maiorem uim ad pariẽdos morbos habent. Auster enim quia humidus est, corpora potissimum humida, ut cerebrum, replet. Non sunt autem leuia symptomata, quæ humidius cerebrũ sequuntur: nam ad

Quatuor uẽti distinguuntur iuxta quatuor partes horizontis.

Singulis iterum partibus tres distinguuntur uẽti.

Aquilonis & Boreæ discrimen.

Omnium uẽtorũ materia aër est.

Auster & Septẽtrio inter uentos maximè cõtrarij.

Auster humectat atq; implet.

humectationem illius, uniuersi spiritus animales obruuntur, ac turbātur, quorum cerebrum est promptuarium, atq; ita non solum caput grauatur, sed omnis sensus & motus obtundūtur, nō quòd à cerebro desluat pituita per totū, sed quòd obruta ui animali per humidū, in cerebro idipsum senti āt omnia reliqua organa. Iā ut caput, ita & reliquæ partes per se Austro onerantur. Hebetantur autem præsertim uisus & auditus, non aliam ob causam, quàm quòd horum spiritus multo subtiliores sint cæteris. Ne mireris ergo, quòd Hippocrates potius hos, quàm alios sensus hoc Aphorismo notarit. Parum ergo olfactus, minus gustus, minusq; tactus, hac constitutione læditur, quòd is crassissimus sit, motus tamen paulo torpidior redditur: quoniam illi multo spiritu opus est, qui prædicta conditione nonnihil resoluitur, laxaturque, nec tantùm spiritus motiuus, sed & quiuis alius, atque adeò ipse calor, hac constitutione emollescit, & effœminatur. Quare præter motum, & reliquæ uires sub Austro collabuntur: quod Hippocrates per dissolutionem corporis intellexit: sub Aquilone uerò non nisi frigidæ & siccæ partes offenduntur, quales musculi sunt. Verū quia hi uarijs partibus seruiunt, inde illorum symptomata, uarias morborum facies præbēt: alij pectoris sunt, quorum intemperies tussim excitat: alij uentrem cohibent, qui si amplius infrigidentur, & exiccentur, plus satis feces retinent, ac non nisi sicciores & duriores excludunt. Nam proximæ partes longiore tempore, quicquid est in illis, exugunt. Atque hoc est, quod uoluit in fine cōmenti Galenus, cùm diceret, Omnia humectantur. *Videtur tamen hîc, nescio quid, subesse mendi, & mallē legere, exiccantur (nam sic quoque Græca lectio exhibet) atque idipsum ad excremēta transferre: non est enim dubium, quin spatio temporis, uel sub aëre humido, euadant sicciora: congeminat autem ipsorum asperitatem, aëris externi siccitas, à quo externæ partes sicciores redditæ, ut intemperaturam suam corrigant, à proximis partibus, atque hæ ab ipsis fecibus, humiditatem trahunt. Eodem modo si musculus uesicam astringens fortius exiccetur, urina cohibetur: horrores uerò refrigeratis totius corporis musculis fiunt. Aliquando pectoris ac costarum musculi appræhendētur, atque in ijs leuior dolor euenit. adeò faciles morbi sunt, qui Aquilonem sequuntur.*

Cerebro onerato perit uigor omnium operationū animalium.

Visus & auditus ut sunt alijs sensibus illustriores, ita facilius offēduntur.

Motus maioribus eget uiribus.

Soluūtur prę terea uirtutes naturales.

Musculorū diuersum opus.

Locus in cōmento suspectus.

Partes exiccatæ magno suo desiderio proximas exiccant.

Potius noua symptomata Aquilo, q̃ nouos morbos parit.

Quan

Quanquam præstaret dicere, non morbos, sed in morbis prædictis, sympto mata Aquilonem committere: etenim ipse nusquam ferè morbos commit tit, aut duntaxat leuiores, & ferè immateriales, nisi forte ipsa corpora ad hoc prius idonea fuerint. nam quibus antè plenũ caput erat, excipiente Aquilone, ex distillatione tusses facile patiuntur: quoniam ut manus ple- nam spongiam, ita Aquilo impurum caput exprimit: quo fit, ut fauces ali quando obiter afficiantur, delato per illas humore. Nunc quanta sit diffe rentia, uide. Auster caput, atque adeo uniuersũ corpus onerat, Aquilo ue rò exonerat: nec sua iniuria, sed corporis incommoditate, distillationes mo uet, ac duntaxat partes frigidas, suo frigore percutit, hinc tusses siccæ, gra uedines, raucedines, horrores, costarum pectoris dolores, urinæ alui diffi- cultates: fiunt enim hæc omnia, partibus natura frigidis, paulo amplius re frigeratis. Itaque Aquilonis summatim non nisi unum est incommodum, atque illud leue admodum. Iam neque in ægris (de ijs enim ipsa est senten- tia, ne idem bis dictum putes) semper sub tali constitutione ista expecta- re debes: sed si præualuerit, hoc est, diutius durauerit: non enim in momen to, sed temporis spatio corpora uitiantur, quorum affectus symptomata imitãtur. Adeo friuola est Forliuij quæstio, an hæc accidẽtia flatus ipsos, an morbos sequãtur: nam hæc leuiora symptomata ferè leuiores affectus, atque à primario morbo diuersos, consequuntur. Magis est puerilis illius de naturis morborum conflictatio: nam quum symptoma aliquod, morbo- rum naturam sequi dicimus, id nullo extraneo accedente, sed solùm ratio ne morbi primarij cõmitti uolumus, diuidentes ab ijs, quæ flatus ipse uel aër committit.

Aquilo corpora impura afficere potest: pura uerò admodũ rarò.

Auster caput onerat, Aquilo exonerat.

Partium frigidarum frigiditas augetur.

Non statim Aquilo offẽdit, sed tẽporis spatio.

Leuis Forliuij quæstio.

APHORISMVS VI.

QVando æstas fit uerisimilis, sudores in febribus multos expectare oportet.

QVIA temperatum uer, temperamentum corporis nulla sensibili mutatione afficit, temperatum dicitur, ac re uera est. Sæpe tamen obi- ter Galeno excidit, ut uer calidum & humidum diceret: quippe & in hoc commento (si quidem diligens sis) idem audies. nec mirum: quoniam

Ver temperatum aliquando calidũ dicitur, & humidum.

& hæ qualitates uincunt in temperato homine. Quid quòd & ipse Hippocrates, nunc uer humidum innuit, in quo æstatem cum uere comparat? etenim ea sola ratione uernalis æstas ad mouēdos sudores paratior est, quia humidior: humidus enim aër humidam temperaturam reddit, corpus impurū efficit, ac sudoris materiam sufficit. Sed & si æqualis utroque tempore superfluitas esset, humida tamen, quàm sicca constitutio, euidentiorem sudorem eliceret, quia siccus aër humiditatē extenuat, ac per halitum difflat, quam humidus subtiliare nequit, sed in sudorem sensibilē uertit. Cur ergo per æstatem tum in sanis, tum in ægris, multo plures sudores, quàm uere fiunt? id enim per experientiam constat, & docetur in eo Aphorismo, Aestiuæ quartanæ &c. Atque hic alius aliud dicet; mihi autem apparet, quòd licet in uere utraque qualitas ad sudorē conferat, tamē utraque infirma est, & duæ in uere minus ponderis habent, quàm altera in æstate. Nam ut in altera qualitate, æstas & uer quodāmodo conueniunt, ita in modo eius differunt. ergo in hac æstate non oportet utranque ueris qualitatē accipere, sed tantùm humiditatē ab eo mutuare. Scio quòd Galenus in principio commenti utroque modo æstatem ueri uideatur aßimilare, sed finis reclamat, refragatur ratio, & experientia. Nam æstas calida quàm frigida plures sudores ciet, sicca tamē pauciores, quàm humida. Hoc est quod Aphorismus significat, & de quo Forliuius male litigat, quando æstatem cū uere in duabus qualitatibus comparat. Quippe in hyeme, atque autumno simili ueri, si quidem materia æqualis fuerit, æquales quoque sudores expectare oportet, plures tamen in legitima æstate, quàm uere. & rursum plures in æstate simili ueri, quàm in altera qualitate naturali.

Humida æstas magis sudorē mouet, quàm sicca: idq; duabus rationibus.

In æstate plures fundūtur sudores q̃ in uere.

Plures sudores in æstate quàm uere, & rursum plures in æstate simili ueri q̃ naturali.

APHORISMVS VII.

IN siccitatibus febres acutæ fiunt, & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionē, tales plurimum morbos oportet expectare.

Siccitas cum frigiditate.

SENTENTIA indistincta apparet, & dubia. si quidem enim siccitatem cum frigido copules, multo plures melancholicos, quàm biliosos

ſos depræhendes: ſi uerò cum caliditate, potius eos ad caliditatem, quàm ſiccitatem refert. Reliquis igitur duabus qualitatibus mediocriter ſeſe habentibus, ipſam per ſe ſiccitatem ſpectare decet: & inuenies, quòd ſub tali conſtitutione ſanguis citius in bilem quàm melancholiam euadit, aut ſuccum melancholicum: quippe non niſi una qualitate à bile diſtat, ac paulo amplius excalfactus, facilè in bilē tranſit. Multo minus ex pituita hoc tempore melancholicum ſuccum generabis: quoniā pituitam prius in ſanguinem, quàm melancholiam conuerti oportet. Quanquam non ignorē, Neotericos iandiu dixiſſe, aduſtam pituitam ſtatim mutari in melancholiam. Sed hoc poſtea refellemus, nunc enim parum refert, quoniam tempus ſiccum ipſi quoque pituitæ aduerſiſsimū eſt. Poſſem admittere, quòd ſiccitas ſumma, melancholiæ magis, quàm bili conuenit: quomodo & ſumma ſiccitas terræ debetur. Sed hoc quoque cum noſtro propoſito maxime conuenit, ac ob id prius in choleram, quàm in melancholiā ſanguis abit. Sed neque hoc admodum euenit, adeò talis tempeſtas omnium fere morborum expers, atque ſaluberrima: ac licet in ea febres acutæ ſint, admodū tamē raræ. Atque ex ijs facile ſoluuntur longæ illæ Forliuij ambages. Secūda pars Aphoriſmi breuius poterat dici hoc modo: Tales ut plurimum morbi ſunt, qualis annus magna ex parte contingit. uictus enim à natura transformatur, ac ferè talis euadit, qualis natura eſt. In exemplo lac eſt, quod in bilioſo uentre in bilem uertitur, in frigido acreſcit. Fieri tamen non poteſt, quin & ipſa natura à uictu aliquo modo immutetur: ſed multo plus ab ipſo aëre: nam uictus primum eruditur in uentre, aër uerò ſtatim ad cor fertur: iam non ſolùm per os, & halitum, ſed & per uniuerſam cutē illi inſinuantur. Recte ergo dictum, quòd morbi magna ex parte pro diſcrimine aëris ſequantur.

Siccitas cum caliditate.

Siccitas per ſe potius acutos quàm lõgos morbos parit.

Leuior occupatio.

Sicca conſtitutio expers morborum.

Magis aër quàm uictus corpora immutat.

APHORISMVS VIII.

IN conſtantibus temporibus non tempeſtiuè tempeſtiua redduntur, morbi conſtantes & boni iudicij fiunt: in inconſtantibus autem inconſtātes & mali iudicij.

CLARIUS dixit Theodorus, legitima hæc sunt, quæ & qualitatē, & qualitatum modum seruāt, illis temporibus communē, aut opportunum. Pariformiter legitimos morbos dixit, qui secundùm legitimam cōditionem temporis sese habent, atque ij simplices sunt. Appellat eosdem boni iudicij, quia bene terminantur, uel ut innuit Galenus, cum accidentibus satis securis, ac quæ à primo ferè die omnia signa per se ferūt salubria. Tertiò potuit eos boni iudicij appellare, utpote quos nulla insequitur recidiua. omnium causa una est, ac eadem humoris simplicitas. nam simplici morbo hæc omnia insunt. Econtrario morbus ex uaria materia solet recidiuam facere, præsertim ubi uirtus fortis fuerit: nam & debilitas uirtutis aliquando in causa est, cur imperfecta crisis fiat. Quòd autem in his temporibus aut uaria materia succrescat, aut uirtus debilis fiat, ex quadam inæqualitate euenit: quippe illegitima tempora citra inæqualitatem aliquam esse non possunt: neque enim bene fieri potest, ut æstas omnino tam frigida sit ac humida, quàm hyems. nam si tota æstatis phantasia aboleretur, credo nihilo periculosiores morbos cōmitteret æstas, quàm similis temperatura hyemis (idem enim non est natum facere, nisi idem) nisi quis fortaßis naturam, ut ex uarijs est composita, ita & uarijs temporibus, uarijs recreari oportet: ijsdem enim generamur & conseruamur. Quòd si tempora speciem qualitatis, non autem modum seruauerint, ut si fortaßis æstas præter modum calida sit, neque hæc morbos parum periculosos faciunt: licet enim similia sunt, tamen à medio nostræ sanitatis longißimè discedunt. Itaque non minus periculosi erunt morbi, quàm si dißimiles essent, parum à mediocritate recedentes. Fiunt autem illegitimi morbi, potißimum ubi omnia tempora illegitima sunt: uerūtamen uel unius solius importunitas aliquando sufficit. Atque hæc de Intemperatis: nam Forliuio non credam, qui autumni transmutationem in temperatum esse malam putat. Ego autem non solùm autumni, sed omnium aliorum temporum cuperem in temperatum permutationem, quo modo & in temperata regione ferè omnia tempora temperata sunt. saltem autumnus & uer omnem illic intemperaturam exeunt. Hoc puto Auicenna spectauit, qui pluuiam modicam in autumno lauda

Tempora legitima.

Morbi boni iudicij.

Omniū causa.

Duæ causę recidiuæ.

Illegitima tempora semper cum quadam inæqualitate.

Illegitima tēpora quę modum qualitatis mutant.

Forliuij error.

Auicenna.

laudauit, illam nec æstati uitio duxerim: quippe nec in hyeme humiditatem absque siccitate probarim, sed ubiq; excessus insalubris est. Proinde ubi Hippocrates illegitima tempora uituperat, ferè ea quæ ad excessum spectant, intellexit.

APHORISMVS IX.

AVtumno morbi acutissimi atque exitiales maxima ex parte, uere uerò saluberrimi, & minime exitiales.

MORBI acuti in intimis uisceribus disponuntur, & magna ex parte ex materia calida. hoc æstati est proprium, illud uerò hyemi: utrunque (non tamen insigniter) autumno congruit: non enim collecta materia in æstate statim euacuatur, sed sæpe in autumno reseruatur: omitto quòd & ipse autumnus quadam caliditate participat. Rectè ergo Hippocrates morbos acutissimos autumno asseruat, sed neque usquam plures eiusdem speciei exitiales. nam ferè hîc omnia conueniunt, quæ ad morborum malitiam conferunt, uirtus imbecillis, materiæ diuersitas, loci profunditas. Neq; ijs obstat, quòd quartanas hic uidere est, & plurimos alios morbos salubres, ac rursum quòd inter acutos, exceptis pestilentibus, semper plures sint, qui in salutem terminantur, quàm in mortẽ. quoniam respectu eorum morborum, qui in alijs temporibus fiunt, hæc comparatio sumitur. Nunc in æstate, licet uirtus debilior, materia tamen solutior: in hyeme econtrario licet materia compactior, uirtus tamen fortior. Iam hyems morbis aßimilatur ex plenitudine, autumnus uerò ex corruptione. Sunt autem morbi multo periculosiores ex corruptione, quàm ex simplici cruditate: ex eadem corruptione euenit, quòd autumnus cæteris anni temporibus sit pestilentior. in quo frustra tandiu Forliuius digladiatur. Magis ignaua est prima illius quæstio, ubi inquirit, nũquid in autumno acutißimi morbi fieri possunt: non enim in hoc tantùm, sed & alijs possunt contingere temporibus. Melior ergo est secunda illius dubitatio, nunquid plures aut acutiores in ipso fiãt, quàm alibi. Sed hoc antè definimus, & ipse in eo errat, quòd autumnum duntaxat cum hyeme & uere com

Autũnus duobus modis opportunus ad morbos acutos.

Omnia concurrunt in autũno ad morborum perniciem.

Occupatio.

In æstate uirtus debilis, sed materia soluta.

Morbi ex corruptione ubiq; periculosiores.

Imperfecta Forliuij comparatio.

comparat: nos etenim eandem ipsam rationem habere cum æstate diximus. De uere nihil oportet dicere: nam quia temperatum est, satis constat, quòd nullos morbos potest parere, adeò ut qui in eo fiant, potius fiant corporis importunitate, quàm illius iniuria.

APHORISMVS X.

AVtumnus tabidus malus.

Autũnus calidis & humidis naturis prodest.
Autũnus uires colligit.
Tabescentiũ differentiæ.

AVTVMNVS morborum ex sua natura alijs temporibus magis ferax est, quia sua inæqualitate sanguinem quadam corruptione tentat: non tamen omnibus simpliciter malus: nam calidis & humidis naturis plus confert, quàm æstas: uerùm & uires plus quàm æstas recolligit, & corporis molem reponere incipit. Spectatim ergo tabidis suspectã mouet. Sunt autem horum multæ differentiæ: quidam ex ulcere pulmonis contabescunt, quibus cor exiccatur, quia non bene difflatur: atq; hæc proprijssima est tabidorum species. Proxima est eorum, qui hectica febre extenuantur. Sed & asthmatici, quos pulmonis infarctio angit, tandem contabescunt, facilius qui mœrorem patiuntur. Succedunt qui atrophiam patiuntur, cuius plurimæ rursum differentiæ: potissima est, quæ ex immodica difflatione oritur: denique & amore, inuidia, studio, & odio, multos est uidere contabescere. Omnibus autem est una interitus uia, atque idem affectus, siccitas scilicet. Hactenus igitur ijs æstas potius, quàm autumnus mortalis, aut molesta, quia autumno multo siccior existit. Hecticis etiam plus æstas, quàm autumnus officit, quia calidior. Autumnus tamen ad distillationem omnibus alijs temporibus magis opportunus est. nam propter ipsius inæqualitatem nihil magis tussim aut distillationem mouet. Itaq; licet Galenus dissimulat, est uerisimile, quòd de ijs solis, qui ex ulcere pulmonis contabescunt, Hippocrates suam sententiam astruxerit.

Aestas qui ex siccitate cõtabescũt, peior autumno.
Hecticis ex ulcere pulmonis autũnus grauissimus.

APHORISMVS XI.

DE temporibus, siquidem hyems sicca, & Aquilonia fuerit, uer uerò pluuiosum, & Australe, necesse est æstate febres acutas, & lippitudines (Græ

ci ophthalmias uocant) & intestinorum difficultates, præcipue uerò mulieribus & uiris, qui natura sunt humidiores.

MELIOR fuisset ordo, si primùm definiuisset Hippocrates in tẽporibus legitimis morbos legitimos. Deinde perstringere poterat singulorum illegitimorum temporum morbos, idq́ue per se. Tertiò locus erat tẽpora inuicem comparare. Neque hic una morborum facies oritur, sed pro diuersa ad se inuicem temporum comparatione, interdum tempori, in quo oriuntur, similes, aliquando omnino dissimiles, aliquando partim similes, partim dissimiles. Tales sunt morbi, quos hîc in principio æstatis narrat calidos & humidos, non quidem in quibusuis particulis, aut naturis potius humidis, quàm siccis: nam siccæ nihil graue patiuntur, sed ueris humiditate quodammodo recreantur. Videtur autem neq; humidis natura, grauis esse huiusmodi successio: nã humiditatẽ ueris eò alacrius tolerabunt, quò per præcedentem hyemẽ magis fuerint exiccatæ. Quærit Forliuius huius argumenti solutionem, sed non inuenit. Videtur mihi & Galenus ipse negligenter hunc modum præterire, qui obiter humiditate ueris ad aliquod tempus, corpora hæc ad medium traduci admisit, sed tandem efferri, atque ultra medium promoueri putauit. Verba tantùm apparent. nam nihilo plus poterit humectare importuna ueris humiditas, quàm exiccare illegitima hyemis siccitas. Vna mihi differentia harum constitutionum apparet: & reuera est, quòd illic humiditas corporum sub æstatem paulatim minuitur, illic uerò augetur. Itaque in altera constitutione paulatim dante operam natura, humiditas corrigitur, priusquam æstatis caliditas superuenit. Econtrario ubi hyems sicca, uer uerò humidum fuerit, humiditatem ueris statim excipit, & incendit caliditas ipsius æstatis. Hæc apud Forliuiũ diu quæres, antequam inuenies, Talis est & in secunda sua dubitatione, in qua miratur acutas hîc febres annumerari: siccitati enim magis, quàm humiditati congruunt. ac nescio tandem, quid eas per accidens fieri dicat: nam causam illius non satis explicat, & utcunque eueniat, eodem ferè modo, dictis Hippocratis re-

Legitimus ordo.

Humidis naturis & particulis grauis hæc constitutio.

Forliuij hæsitatio.

Galeni excusatio.

Nostra commentatio.

Morbi acuti siccitatẽ potius sequuntur, quàm humiditatem.

pugnat. frustra enim naturas temporum Hippocrates partitur, si iydem morbi & siccitatis & humiditatis æmuli sint. Melius ergo dixisset, non tantùm siccitatem, sed & caliditatem febres acutas sequi. Credo quòd Hippocrates potius respexerit alterum genus acutarum febrium, quam Synochon appellamus: nam & hæc acuta est, & maximè in humidis constitutionibus, & humidis, quas notat, naturis euenit: præsertim ubi cum humido committitur calidum: nam citra calidum potius longas parit. Attestantur nostro sermoni, quæ de ophthalmijs asscripsit: nam hæ quoque, ut cæteræ inflammationes, ferè ex sanguine calido & humido fiunt. Capiuntur autem potius oculi, quàm aliæ partes, his morbis, quia natura humidi sunt. Sunt autem & in intimo corpore multæ partes humidæ, sed has natura quandiu potest, uindicat, & ad externa materiam destinat. Tamen aliquando ignaua uiscera, utpote intestina, ab hac tempestate intentantur, quoniam tametsi humida non sunt, neque per se ad putredinem opportuna, excrementorũ tamen sentinæ sunt, ac facile illorum humiditas, uel etiam pituitosa, à calore æstatis accenditur, & quodammodo salsa, & ad exulcerandum idonea redditur. Hos morbos usq; ad solstitium æstiuum expectare oportet: nam postea Ethesijs, siue anniuersarijs, ab Aquilone flantibus paulatim tolluntur. Cur uerò Aquilones anniuersarij, ab æstiuo Austro, & ab hyberno solstitio flant citius, & anniculares dicti (quamuis & hi ab Aquilone ueniant) tardius, apud Aristotelem est uidere: hîc satius est perpẽdere, quare iuxta id, quod in commento allegatur ex Hippocrate, mulieres & pueri, qui euadunt æstate calida & humida, afficiantur quartana: nisi statim sequatur post Canis ortum aqua & tempestas hyberna: nam quartana potius siccas naturas inuadit, quàm humidas: tempore quoq; potius sicco, quàm humido. Non diffiteri possum, quin autumnus ad quartanam natura sua sit idoneus: nondum tamen coniectari possum, cur humidæ naturæ, in quartanam hîc magis incident, quàm siccæ: aut rursum, cur humidas naturas potius quartana inuadet, si quidem talis præcesserit cõstitutio, quàm legitima. adde, quòd hydropisis, quam hîc quoq; timet, potius sequitur quartanam ex succo melancholico, quàm ex melancholia. Hæc sunt, quæ nos fate

[Margin notes:]
Altera Forliuij fluctuatio.
Synochos humidam constitutionẽ sequitur, synocheis siccitatem.
Natura partes interiores uendicat à morbis.
Intestina per accidens humida.
Quęstio physica.
Grauis ex cõmento dubitatio.
Quartana potius siccas q̃ humidas naturas tentat.
Altera dubitatio.

fatemur ignorare. Est & alius in commento locus paulo antè obscurus, ubi dicitur, Rectis hominibus stantibus ad tusses. *sed hoc iniuria interpretis factum apparet: nam id tantùm cogitat Galenus, quòd talis hyems Aquilonia, inter cætera etiam orthopneam afferat, in qua homines non nisi recti spirant.*

Interpretis negligentia.

APHORISMVS XII.

SI uerò hyems Australis, & pluuiosa, & serena fuerit, uer autem siccum & Aquilonium, mulieres quibus partus ad uer inest, ex quacunque occasione abortiunt: quę uerò parient, imbecilles & morbidos infantes pariunt. quare uel statim intereunt, uel tenues & ualetudinarij uiuūt. Cæteris uerò mortalibus difficultates intestinorum, lippitudines siccæ fiunt. Senioribus autem distillationes, quæ cito interiment.

OFFENDVNT omnes, quæ subito fiunt, immutationes: quia inæquali intemperie priorem corrumpunt, maximè tamen illæ, quæ à calido in frigidum decedunt. Nam paratius est calidum corpus ad suscipiendam frigiditatem, quàm frigidum ad excipiendam caliditatem. Per frigiditatem enim corpus astrictum est, per caliditatem uerò laxius redditū: quo fit, ut succedens frigiditas ad intima corporis, nō tantùm summa, insinuetur, admittaturque, maximè si subita mutatio fiat. minus offenduntur, quæ id paulatim patiuntur. Sunt etiam quæ iuuantur, ut quibus per puram tempestatem caliditas & humiditas immodica creuit, nisi fortaßis & in humoribus uitium fuerit: nam intemperaturam sequens conditio corrigere potest, humores uerò saltem immodicos consumere nō potest. Sed si fortaßis in capite adhuc hæserint, ad inferiores partes præcipitabuntur, sæpe ad oculos, quòd ea pars aquea est, & imbecillis, atque lippitudo fiet, non qualis antè humida, sed sicca: quia propter circunstantem aëris frigiditatem & siccitatem ipsum cooperculum redditur den-

Frigiditas & siccitas intemperaturā corrigere possūt multitudinē absorbere nequeunt.

Causa lippitudinis siccæ in proposita constitutiōe.

 sius,

sius, quàm ut facile per ipsum aliquid effluere possit, & si quid fortassis effluat, ab aëris siccitate statim absumitur, maxime si & tẽperatura ipsa sicca fuerit, quæ & ipsa non parũ ad resolutionẽ siue exiccationẽ cõfert. Quapropter neq; omnibus siccas lippitudines fieri Hippocrates existimauit, sed alibi biliosis adiecit. Profectò lippitudines simpliciter humidis quàm siccis potius eueniẽt: nã & difficultates intestinorũ in ipsis humidis potius quàm siccis timet, nõ tamen ex simplici pituita, sed salsa: quippe ratione humiditatis pituita cõgeritur, sed ratione caliditatis bilis illi adijcitur, atq; ex ambobus salsa generatur. Hic ergo est ille humor, quẽ in cõmẽto Galenus hac tẽpestate abũdare ratiocinatus est: nã tametsi uitrea pituita, aut alia admodũ frigida, dysenteriã aliquando inducere poterit, hac tamẽ cõstitutione minimè abũdat, atq; hactenus humida corpora offendũtur. Obnoxia sunt huic constitutioni præterea corpora seniorum, & puerorum, præsertim infantium nuper natorum, adhuc uerò magis eorũ, qui in utero sunt, fœtuũ. hi enim facilimè lædũtur à quauis causa, non omnino quia debiles sunt, sed quia illorum corpora rara sunt, si ad reliquas ætates conferantur: rara autem dicimus, non quia porosa, hoc enim modo iuuenes corpora habent rariora, sed quia minus densa, minus compacta: quomodo ignem rarissimum, ac aërem aqua terra rariorem dicimus. Facit autem & hæc raritas, ut subiectum à quauis causa facilius patiatur: nam & aquæ non solùm aëri quæuis qualitas & citius & intimius quàm terræ insinuatur, atque ab ea excipitur. Eadem causa est, cur puerorum frequentius, quàm adolescentium corpora frigido percutiuntur, tametsi calor illis æqualis sit, imo facilius quàm declinantes his frigidiores. Hunc scrupulum alibi Forliuius uidit, sed parum exoluit. Sub hac ergo tempestate fœtus percussus, in utero, priusquam excludatur, sæpe perit. aut quia antè debilis fuit, in ipso enixu succumbit, ac in discrimen uenit, saltem tenuis & ualetudinarius uiuet. tenuis quidem, utpote attenuatus à præsenti tempestate: attenuatus uerò nunquam probe nutrietur, sed ad omnem offensionem opportunum sese exhibebit. Non tamẽ ijs, quæ in autumno parient, periculum idem imminet: quoniam hæc mutatio paulo modestior est: non enim autumnus statim frigidus est, sed hyems:

Humidis hic citius fiẽt lippitudines, q̃ siccis.

Generatio pituitæ salsæ.

Secundò hęc cõstitutio offendit corpora rara.

Senes & infantes.

Rarum subiectum facile patitur.

Fœtus pericula.

Attenuatus nunquã probè nutritur.

Autũnus parientibus min⁹ periculosus.

ems:autumnus uerò nunc calidus, nunc frigidus. Fateor, hæc inæqualitas molesta est, sed quia utraque qualitas remissa est, minus offendit. Atque hæc de pueris. Eadem de causa & senes ipsi in hac tempestate laborant: nam & ipsis rara sunt corpora, quæ uim Aquilonis prompte admittũt: non est ergo mirum, quòd distillationes patiuntur, quæ per expreßiones fiunt. Sed illud admirandum, quòd cito interimant: nam licet mortales sint, longæ tamẽ omnes in senioribus esse solẽt. Itaq; alij legere maluerũt, nõ interimẽtes. Sed quia hic locus in libro De aëre & aqua similiter negatione uacat, primã scripturã melius est seruare, ac nõ de uulgaribus distillationibus intelligere, quæ ad pectus ruunt, sed quæ ad alias uenas, ut inquit Galenus, descendunt. Verũ neque id liquet, qua ratione hæ quàm illæ potius interficiunt, nisi fortaßis ad iugulares fluxio decumbat, quarũ interceptio quàm apoplexia acutior est: ut in eo Aphorismo dicemus, Si quis ebrius &c. nec tantùm in uenas, sed & spinalem medullam decurrens, subinde mortem citat, ac paralysin parit, nunc quidem dextri lateris, nunc uerò sinistri: utrunq; enim habet lectio Græca. Quare misera mihi uidetur Neotericorum contentio, quorum aliqui frequentiorem sinistri lateris paralytim dicunt, autoritate Auicennæ freti: alij dextri, autoritate Galeni in proposito confisi. autoritatibus utrique rationes adiecerunt, hi partem sinistram imbecilliorem adferunt, illi uerò dextram, ad exceptionem materiæ magis opportunam: quoniam, ut inquiunt, calidior latiores habet meatus, & influxui materiæ magis idoneos. Mirabilis cõmentatio: nam licet dextra pars calidior sit, non tamen statim ob id uenæ uel arteriæ in dextra quàm in sinistra multo ampliores: certè si qua subsit differentia, minima est. Deinde illorũ excusatio improbior apparet, quàm accusatio: non enim materia, quæ paralytim facit, in neruos, sed neruorum decumbit principia, quæ eo promptius obstruuntur, quo fuerint angustiora. Ergo plusquam puerilis hîc est Forliuij compositio, qui ut hanc discordiam ducat in concordiam, dextram partem appellat eam, quæ magis parata est excipere. Nam si ita nomina interpretari fas sit, nulla erat dictio tam falsa, quam non licebit asserere. In hoc tamen illum laudo, quòd liberè utrunque latus eodem iure habuerit, & mihi fortunatum potius apparet,

Corpora senum rara.

Morbi senũ longi.

Per distillationes intelligere apparet fluxiones ad iugulares arterias, aut spinalem medullam.

Misera Neotericorũ disceptatio.

Inextricabilis error.

Mirabilis expositio.

ret, quàm ratione fultum, quòd huic potius lateri, quàm illi paralytis insidet. Certum ergo est, quòd Hippocrates utrunque primo scripserit: sed iniuria transcribentium multa sæpe omittuntur, & inuertuntur. Sed neque interpretes in commẽto idem agunt. Vbi nostra habet, Senes pati propter raritatem. scripsit antiqua, Propter constipationem. adeò manifeste dissident, quẽadmodum in plerisque alijs locis illorum est diuersitas, ubi incũbit rei difficultas. Mauult enim ferè ubique antiqua translatio reddere quod sentit, quàm quod inuenit, sicubi illi inuentum displicet, quemadmodum in alijs frequenter ostendimus. Leonicenus in hoc uidetur fidelior, qui mauult reddere inuentum, quàm proprium commentum. Nihilosecius, ut nunc huic, nunc illi magis assentiendum puto, ita in hoc loco antiquã non recipio, quæ uerita est reddere, Propter raritatem. quoniam senilia corpora & in alijs, & in sequentibus densa dicuntur, utpote frigida. Sed nihil confert hanc scripturam hîc mutasse, quoniam in primo libro De morbis rationem etiam adijcit, cur senum corpora rara sint. Propter elementorum, inquit, casum. Quapropter in proposito, raritas nõ est aliud, nisi quædam partium tenuitas, cum qua committi potest ex frigiditate densitas. Nec debes hoc raritatis significatum contemnere: quoniã alioquin uel uulgo cõsueuit Rarum pro Tenui dici. Quòd autẽ & Galenus hîc similiter Raritatem acceperit, ex eo uerbo constat, quod adiecit, Propter eliquationẽ. Hæc enim raritas frequẽter ex eliquatione occasionem habet. Rarum ergo tripliciter dicetur, uel quia minus corpulentũ, ut aqua respectu terræ, uel quia porosum, uel quia tenue ac collapsum. Reliquos Rari significatus, quos Neoterici excogitarunt, neque desideramus, neq; communis sermo agnoscit. Nunc ad ipsum Aphorismũ uenio, in quo nõ est minor interpretũ differẽtia. Antiqua reddit, Tranquilla, cuius loco Laurẽtianus retinet Tepida. Leonicenus uerò uertit Serena. & hæc minime fieri potest. Nã licet Auster cõmitti potest cum sereno, pugnat tamen serenum cum pluuio: ergo tepida & tranquilla hyems melius quàm serena dici poterit: quoniam Auster Aquilone multo mitior est, adeò ut qui Austrum respectu Aquilonis tranquillum dicat, eundem tepidum dicere possit: nam proprium Austro, ut sit pluuius & tepidus.

Mana

Interpretum diuersitas.

Mos antiqui interpretis.

Causa erroris antiqui interpretis.

Raritas & tenuitas in proposito idem.

Eliquatio raritatis causa.

Rarum trib⁹ modis dicitur.

In Aphorismo translatorũ diuersitas.

Nostra lectio.

Manardus ὑνδάων *legendum putat, quod humidum significat: uerùm & hoc uerbum uacare uidetur, quoniam in pluuia continetur. Attamen ipse super hac re integrum reliquit commentarium. Nobis uerò hæc sufficiunt, ne in alieno opere desudasse uideamur.* Inanis Manardi commẽtatio.

APHORISMVS. XIII.

SI uerò æstas sicca fuerit, & Aquilonia: autumnus uerò pluuiosus, & Australis: dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, atque grauedines, quibusdam autem & tabes.

NON de his iterum morbis præsentes Aphorismi sunt, qui illegitimam aliquam alicuius temporis temperaturam sequuntur: sed de ijs, qui ipsas mutationes comitãtur. Hactenus ergo hi morbi differũt ab his, qui in prima conditione numerantur: quia duobus prioribus similibus tẽporibus, tertiũ succedit dißimile: hìc enim illa naturalis hyems excipit, illic uerò legitima æstas. Ita putredo, quæ in illis ueris cõditione cœpit, succedẽte æstatis caliditate facile accenditur: hyemis autem frigiditate corrigitur: proinde potius humidi quàm calidi hac tempestate morbi fiunt. Etenim hyems humida est, quæ inuentam humiditatem auget, non diminuit. Hac de causa potißimum capitis dolores fiunt: quippe hæc pars, ut cæteris humidior est, ita magis recrementitia. Non sequitur autem continenter dolor ipsam humiditatem (quoniam ea intemperies forte citra dolorem est, saltem cæteris minus dolorifica est) sed distentionem, quam cõmittit humoris copia. Multa uerò talia sunt symptomata, quæ non statim, sed alijs interuenientibus accidentibus, intemperaturam sequuntur. Ex eodem capitis onere morbi fiunt, qui sequuntur, raucedines, grauedines, tusses: eiusdem enim temperaturæ soboles sunt. fiunt uerò omnes hæ, materia à capite ad inferiores delapsa, quæ si pro ratione prioris tempestatis, calida aut salsa fuerit, uas aliquod spatio temporis in pulmone, aut ipsum pulmonem aliquando erodit, nisi prompte expuatur: quod difficile euenit ijs, qui angusto pectore, & oblongo collo fuerint. Tenuis enim plerunque hæc distillatio est, quæ sæpe spiritum intercipit, priusquam per longam uiam eò

Constitutionũ differẽtia.

Morbi humidi.

Capitis dolores.

Humoris copia distentionem parit.

Symptomata sæpe sequũtur morbi causam.

Distillationes.

Phthysis.

expur

expurgari possit. Sed & pectoris angustia impedit, quo minus expeditè sputum efferatur. Non oportet autem te intelligere per angustiam asperæ arteriæ contractionem, sed meatuũ (ex quibus primùm fit expulsio) paruitatem. Atque ista quidem ad Aphorismi ipsius expositionem uidentur sufficere, nec est quisquam, qui aliud super hac sententia attulerit. Sed dum hunc ad priorem confero, mihi rursus multiplex difficultas nascitur.

Prima difficultas. *In primis mirum est, cur hic ophthalmias, & dysenterias omisit.* Secunda. *Secũdò, cur non similiter in hyeme parturientibus timuit.* Tertia. *Tertia est, cur distillationes, quas hîc asscripsit, ibi omisit.* Quarta. *Nouissimè, cur hîc tabes, illic graues distillationes annumeret. Diu profectò hi nodi nos tenuerunt: nam ut illic*

Constitutionum comparatio. *hyemi Australi, superuenit in uere frigiditas Aquilonia: ita hic autũno pluuioso, hyems frigida. Quæ constitutiones in nullo differunt, nisi quòd hyems humida, Aquilo uerò siccus. Suspicari tamẽ nõ possum, quòd uel illa hîc, uel ista illic Hippocrates temere omisit. Sed ut in omnibus alijs, mirabilis artifex, mirabilis naturæ speculator, sæpe exhibet nobis quod miremur: neq; nunc scio, suspicor tamen, & nos horũ discriminũ cau-*

Nostra suspicio. *sam posse reddere. In primis longe alia mihi apparet Aquilonis, alia hyemis natura.*

Aquilonis frigiditas magis præcellit quàm hyemis. *Nam Aquilo penetrat, atque etiamdum intestina uiscera sua frigiditate percutit. Hyemis frigiditas, crassa ac ignaua est, ac tantùm exteriora inuadit, certè interiora minus offendit. Ergo sub uere Aquilonio magis, quàm naturali hyeme, prægnantibus timendum est. Eadem forte causa dysenterias hîc omisit, quòd non nisi grauiorem expressionẽ sequuntur: forte etiam differentia euenit, quòd uere superuenit æstas calida, au-*

Breuis omnium quæstionum explicatio. *tumno uerò hyems humida. Igitur & lippitudines hîc fieri possunt, siccæ uerò nequeunt. Eadem erit causa, quare graues illas distillationes cito interimẽtes omiserit: nam fortius expuit Aquilo frigidus et siccus, quàm hyems frigida & humida. Itaque hîc duntaxat leuiores distillationes cõmittuntur. Tabes cõmuni ratione in utraque constitutione fieri putarim, nisi quòd hyems magis onerat, Aquilo uerò penitus refrigerat.*

APHORISMVS XIIII.

SI uerò Aquilonius & siccus, his, qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet, reli-

quis

quis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines, nonnullis uerò & atræ biles.

NON tantùm humidis confert ea constitutio, sed & modicè siccis: nam licet istorum temperaturam non corrigit, excrementis tamen asserit, quæ & in siccis, non tantùm humidis naturis, quotidie colligunt. Hactenus igitur illis potius prodest, quàm obest. Cōtrà immodice siccis plus officit, quàm proficit: quibusdam enim istorum lippitudines siccas parit, & febres ex bile acutas: quia hoc tempore humidißima pars sanguinis, inquit Galenus, absumitur, & acerrima, hoc est biliosa & craßißima, quippe melancholica relinquitur. Vtrisque ergo nocet, & melancholicis & biliosis: biliosis quidem, quia biliosor pars sanguinis siccitate uertitur in bilem: melancholicis uerò, quia auget succi melancholici copiam. Sed & bilis hac tempestate prompte aduritur, atque in ueram melancholiam conuertitur: & forsitan Hippocrates sub uno nomine atræ bilis, aut melancholiæ, utranque humoris & morbi speciē complectitur: nam nomē ad hæc commune est. Quanquam quæ ex bile adusta est, proprie ferina dementia appelletur. Melancholia uerò ex succo est melancholico, ex utroque genere melancholiæ, magis tamen melāncholico succo febres longæ hac tempestate oriuntur. & mirum est, quis ex sententia hac primùm lōgas febres expunxerit: nam in libro De aëre, aqua, & locis, ipsas habet. Aristoteles tamē uel ipse in Problematibus tantùm acutarum meminit, & siccitas proculdubio potius acutas, quàm longas parit. Difficilius dictu est, cur grauedinis meminit, raucedines uerò & tusses omisit, cùm hi tres morbi eiusdē generis sunt. Fortè in uno reliqua subaudies, ut redargutionē magis subterfugias, quàm Hippocratis sentētiā ostēdas. Ego malo dicere, quòd in hac cōstitutione frequētius grauedines, quàm tusses, aut raucedines fiant: quoniā illæ partes externis iniurijs magis expositæ sunt, ut quæ aëris primū rudimentū ferūt. Summa ergo istarū rerū est, quòd hæc constitutio Aquilonia humidis prodest, siccis nō uno modo nocet, sed si quidem præterea calidi fuerint, acutas febres, & siccas lippitudines facit: sin autē frigidi, melancholiam & quartanam, aliquando etiam grauedines. Tu

Vel modice siccis pdest.

Melancholiā auget & bilē.

Ex succo melācholico prriè melancholiæ, ex cholera adusta ferina dementia.

Aristoteles hic tantùm acutas legit.

Breuis quæstio.

Leuis coniectura.

Sententiæ summa.

ex his poteris alias deinceps temporum immutationes, iuxta Galeni monitionem, commentari, ac secundùm eas morbos ostendere. Melius est autem, ut primùm legitimas temporum conditiones ob oculos ponas, & deinceps legitimos morbos annumeres: postmodum ad innaturales constitutiones, easq; paruas ac simplices uenias: postea cum uno, ac deinde cum duobus, quartò cum omnibus eas conferas, ac proprios ubiq; morbos definias, quorum materiam inuenies magna ex parte uincenti temporis quantitati respondere, morbos uerò ipsos non semper: Nam hi neq; hanc, neq; illam temporum naturam sequuntur, sed illorum mutationes. Vide tamen, ne horum temporum euentus ac fortunas in omnibus regionibus inquiras, sed præsertim in temperatis: nam in regionibus intemperatis aliquando grauiores, aliquando leuiores, interim nullos morbos inducũt, sed potius regionis intemperiem corrigunt, quippe calida & sicca regio, sæpe frigida & humida æstate, temperatur. Atque hoc est, quod dixit in commento Galenus, quòd ab hoc sermone excipere oportet Thraciam, Aegyptũ, & Lybiam, hoc est, omnem regionem intemperatam: quoniã hæ regiones intemperatæ sunt, exceptis in his locis maritimis, quorum (ut ex Galeno audis) intemperies nonnihil per accidens remittitur, scilicet illic maritima sunt parum calidiora, hîc uerò frigidiora. Nõ tamen hæc nobis frustra dicta sunt, sed in regionibus intemperatis tantum adijcimus, aut detrahimus, quantum ipsa proportio requirit. Calidæ enim temporũ mutationes, in frigidis, aut paucos, aut nullos morbos inferunt, sed contrà regionis ruditatem obtundunt: in calidis uerò corpora magis exasperant. Alioquin & reliqua ferè omnia ad temperatam regionẽ æstimare oportet, quæ ab Hippocrate aut Galeno dicta sunt, aut ab ipso Auicẽna: simpliciter uerò ea in regionibus temperatis audire oportet, qualem Galenus zonam putauit, quæ per Coũ ducitur: nam illa saltem regionibus, quæ ad utrunque polum, aut ad Meridiem spectant, temperatior est. An uerò ea quoque, quæ sub Aequinoctiali est, sit temperatior, diuersa est opinio. Nostri eam tantùm, quæ sub Aequinoctiali est, simpliciter temperatam putant, quòd æstum solis diurnum noctis æqualitas mitiget: quippe & apud nos, quo æstiui dies prolixiores sunt, eo calor ferè est æstuantior. Maior tamen

Methodus.

Primo ista ad regionem temperatam conferre decet.

Maritima loca à mediterraneis ferè differunt.

In ĩtẽperatis regionibus ista cum quadam definitione audire licet.

Zona p Coum temperata est.

Recentiorũ de Aequinoctiali disputatio.

men apud omnes debet esse Galeni autoritas, quàm ut illius experientiæ diffidamus, qui hanc parallelum simpliciter temperatam, ac mediam orbis terram appellat, non quidem secundùm situm, sed temperiē. Dicit autē Galenus, si rectè memini alibi, quòd eadem regio singulis annis, quodam modo, bis hyemem sortiatur, & bis æstatem, saltem bis in anno fructus edit, ac nisi obliuio me capit, in ijsdem regionibus autumnum cum uere reliquis partibus anni magis temperatum habet. Proinde ubi Hippocrates autumnum inæqualem describit, aut ad regiones intemperatas confert, aut quadam alia comparatione temporum intelligit. Distinguuntur autem tempora anni à se inuicem, uarijs modis. Quidam duobus solstitijs, & totidem discernunt æquinoctijs. Galenus uerò longe aliter, initium æstatis auspicatur ab ortu Pleiadum, hoc est, paulo ante Maium: autumnū uerò inchoat in ortu Arcturi, hoc est, quasi Septembris duodecima: hyemē ducit ab occasu Pleiadū, hoc est, si ad nos referas, à fine Octobris, uel primis diebus Nouembris. Durat autem hyems usque ad æquinoctiū uernale, quod apud nos ferè existit circa decimam Martij: atque hîc ferè ueris initium. Auicenna aliter tempestates (si rectè memini) distinguit: hyemem metitur frigiditate & humiditate, & reliqua tempora eadem ratione. secundùm huius definitionem, non uideo quomodo uer intemperatum, aut hyemem frigidam & siccam ostendet. Qui hæc intellexerit, parum in Forliuij hærebit dubijs: nam nihil difficultatis continēt, ac re uera potius uidētur ad supplendas paginas, quàm explendam sententiam excogitata.

In regione tēperata bis fructus, autumnus & uer tēperata.

Temporū uaria distictio. Galeni discriminatio.

APHORISMVS XV.

EX anni autem constitutionibus (quod in totum dixerim) siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

SI rationem consulas, fortaßis tot morborum species inuenies ex siccitate, quot ex humiditate. nam & ex inanitione febris est, non solùm ex plenitudine. Verùm euentus multo rariores. Etenim corpus nostrum sæpe oneratur humido, rarò laborat sicco. Nam præter reliqua corporis excrementa, duo sunt, quæ neque per uesicam, neque per uentrem promptè

Rationes morborum ex siccitate æquales, sed euentus morborū ex humiditate plures.

Excremēti in habitu corporis duo genera.

euacuantur. Crassum alterum, quod ex contumacioribus quibusdam alimenti partibus est: alterum serosum, quod uniuersi succi fuit uehiculum: utrunque, nisi expurgatur, morbū tandem facit. Nec potes id balneo quotidie expurgare, quando non ab uniuerso corpore, sed tantùm ab exterioribus elicit: exercitio fortaßis poßis, sed id Galenus dißimulauit. Nos autē dicimus, quòd paucis singulis diebus id obire uacat, minus operosum esset, uel singulis mensibus, uel secundo quoque mense, id purgatione ducere: qualiter quidam per phas per nephas ab instante podagra, chiragra sese uindicare nituntur, excrementa singulis hebdomadibus præcipitare anticipantes. Sed ij non minus se, quàm morbos conficiunt. saltē Galeno duobus modis peccant. Primùm inquit, Sibi ipsis nocent. *quia ubique frequens medicamentorum usus noxius, tum quòd (ut Celsus innuit) corpus nutritione expoliat, tū quòd corporis naturam ueluti intoxicat. Nam solutiua, & alexipharmaca, inter uenena & medicamenta media, ac non nisi in grauioribus affectibus opportuna. Obscurius est, ubi secūdò inquit, quòd naturam in malam consuetudinem ducit. Neque enim tam imperitus es naturæ operum, ut putes naturam sperare in futura purgatione, ac ob id ab ea quæ per cutem fit, molliter desistere: tum enim natura intellectu potiri uideretur. Credo ita euenit, quia corpus ad difflationē ineptius redditur: tractu enim temporis meatus concidunt, & corpus densatur: quo fit ut ipsum excrementum, uel etiam tentante natura, foras ferri nequeat. Forte etiam intestina frequentibus medicamentis obstupescunt, ac tandem non nisi grauißimis causis obaudiunt. Quando ergo medicamentorum purgantium frequentia, pestilens est, balneorum uis tenuis, exercitationum usus molestus est, difficilius tempus erit, quod excrementis corpus onerat, salubrius uerò siccū, quod superfluo liberat. Est quidem uerū, quòd & caliditas pulcherrime humores euacuat, sed alijs modis obest, atque incōmodat. Sed id ad ipsos Physicos pertinet. Id magis nobis dicendum, quòd raro ex eo excremento morbus nascitur, quod in habitu corporis colligitur, sæpius ex eo quod in uenis relinquitur, pituita dico, bile, melancholia. Atque hos quidem humores parum siccitas aëris expurgat. Verùm eosdem à putredine fere uindicat, dum tenuiores (qui cum eis com*

Balneum tantùm proximiora ac tenuiora elicit.

Exercitium profundius expurgat.

Frequentis purgationis duo generalia icōmoda. Prius incommodum duplex. Posterius.

Rerū capita.

Duplex excremētū, alterum in habitu corporis, alterum in uenis.

Occupatio breuis.

committi solent) absorbet & exiccat. Rectè ergo dictum est, quòd siccitates imbribus sunt salubriores. Etenim pauciores morbos parit, & qui in eo fiunt, minus mortales existunt. Atq; huius duplex causa existit. Prior est, quia in morbo eiusdem speciei tempore sicco materia est breuior: ecõtrario tempore humido copiosior: iam in tẽpore humido uirtus solutior, in sicco uerò constantior & solidior. Fateor, morbus ex siccitate plerunq; difficilior, quàm qui ex humiditate: sed & ij, qui tempore sicco generantur, frequentius quoque ex copia quàm inopia fiunt. Ex ijs facile cõcides, quæcunque Forliuius inaniter disputat. Quare nunc non est operæ pretiũ illorum meminisse.

Duobus modis morbi in siccitate salubriores.

APHORISMVS XVI.

MOrbi in pluuiarũ multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, & attoniti, quos Græci apoplexias uocant, & anginæ. In siccitatibus autem tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum.

PRIOR Aphorismus, generatim siccitatem imbribus prætulit: hic uerò (ne idem bis dictum conqueraris) utriusque morbos speciatim enarrat. Multis etiam nominibus ab eo, qui dictus est, Austri auditum habetant, *discrepat: nam ille Austri duntaxat incommoda enumerat, hic uerò etiam pluuiæ. Vt est autem hæc conditio multò grauior, quàm simpliciter Austrina, ita & quæ hîc recensentur uitia multo etiam molestiora: nam illic tantùm audiebantur quædam aucta in prioribus morbis symptomata, hîc etiam noui oriuntur morbi. Igitur & siccitatem maiorẽ, quàm ibi, audire oportet: alioquin aliquot, qui hîc describuntur morbi, temere erunt allati, aut ibi male omißi. Est autem morborum in pluuiæ multitudine, eadem ferè natura, eadem materia, nempe pituitosa. Nam licet duplex humor humidus sit, sanguis & pituita, hîc tamen pituita potius, quàm sanguis exuperat, modò in reliquis qualitatibus constitutio mediocriter se habeat: non ut tu forsitan cogitasti, quia pituitæ quàm sanguini humidi-*

Triũ Aphorismorũ inuicem comparatio.

Constitutio hæc grauior.

In humida constitutiõe magis exuperat pituita q̃ sanguis.

tas magis peculiaris sit, sed quia sanguis maiorem perfectionem postulat, pituita uerò imperfecti caloris imperfectum opus existit. Duabus ergo de causis hæc constitutio lõgas febres parit. Primum, quia pituitosas, quæ lõgæ esse solent: secundò autem, quòd humiditas corpus onerat, siccitas uerò nonnihil liberat, & euacuet. Quippe superflua, quæ quotidie in corpore nostro colliguntur, promptius difflantur tempore sicco, quàm humido. Iis accedunt alui profluuia, præsertim dyarrhœa: nam tametsi & hæc ex uarijs humoribus ortum alibi habent, plerunque tamen pituita simul cum succo ipso in uentre concocto deijcitur. Eo autem diutius hic quàm alibi durabunt profluuia, quo ipsa pituita est magis copiosa: non enim antea fluxus desinit, quàm tota pituita descendit. Putredines uerò non quidem in omnibus, sed magis calidis: nam ut in libro De temperamentis dictum est, humiditas prima, caliditas secunda putredinis occasio existit. Comitialis uerò, & apoplexis frigidioribus eueniunt. Sed cur potius anginæ, quàm pleuritidis, aut peripneumoniæ meminerit, aliquis merito admiraretur, nisi in libro De uictus ratione in morbis acutis, Hippocrates ostẽdisset, anginam nihilo rarius pituitosam esse, quàm calidam. Diuidunt autem Neoterici & pleuritidem in calidam & frigidam, in pituitosam & melancholicam. atqui id durius est, quoniam omnes Græci pleuritim inflammationem definiunt ex sanguine. Fateor, is uariæ temperaturæ aliquando biliosus est, aliquando melancholicus: ueruntamen in eo loco nunquam sola melancholia colligi possit, aut pituita. Tanto ergo sunt periculosiores morbi in humida constitutione, quàm sicca. Nam acutæ febres, quæ in sicca conditione audiuntur, non quidem omnibus eueniunt, sed siccis. Quòd si & humidis naturis sub tali constitutione quæras, pro his febres continentes subinde reperias biliosis febribus multo acutiores. Iam si forsitan in sicca tempestate aliquod genus morbi eueniat, quo altera caret, nec hoc propositum refellit. Satis enim est, quòd alij alterius speciei plures atque etiam grauiores euadant. Igitur species amborum, æquales numero sunt, fortunæ tamen eorum, qui ex humiditate sunt, ac euentus, frequentiores, multi etiam periculosiores. nihil enim oportet dicere de apoplexi, & similibus morbis: quoniam omnibus alijs, etiam febribus acutis, hominem citius

Duabus de causis humida cõstitutio febres lõgas parit.

Dyarrhœam ferè facit pituita.

Putredo hic calidos uexat.

Sæpiꝰ hic angina quàm pleuritis.

Pleuritis ex sanguine.

Comparatio morborũ in humida & sicca constitutione.

tius rapiant. At in siccitatibus Hippocrates potius morbos quærit, qui fieri possunt, quàm ostēdit, qui quotidie fiant. Talis est tabitudo, nec quæuis: nam quæ ex ulcere pulmonis cōtigit, citius omnem aliam quàm hanc tempestatem sequitur. quare quod ad hanc tabem attinet, Galenus merito sententiam refellit: nam licet siccitate laborent, tamen plerunque illis magis aër siccus, quàm humidus, conuenit. Verisimile ergo est, quòd Hippocrates alterum genus tabis, quod ἀτροφίαν *appellamus, intellexerit, in qua partes ob frigiditatem & siccitatem ignauiores sunt, quàm quæ alimentum attrahere possunt. Bona est & altera Galeni dubitatio, in qua inquirit, cur hic difficultatem intestinorum, & urinæ stillicidium annumerauerit. Nam si hæc proprie audias, nullo modo huic constitutioni congruunt, aut certe ea, in Aquilonia constitutione, quæ præterea frigida est, male omissa sunt. Galenus quidem multis distinctionibus eam controuersiam componere nititur. Inclinat mihi animus (licet dicere non ausim) quòd dysenteriam generatim pro alui duritie acceperit: nam & prius, & postea quoque statim duritiem alui sub Aquilone conqueritur: & quidem prius Galenus illius causam penes Aquilonis frigiditatē esse putauit. Mihi uerò uel ipsa quoque siccitas in causa esse poßit: nō sunt enim intestina tantùm frigida, sed & sicca. Ergo & de urinæ difficultate idem dicendum esset: uerùm Hippocrates hîc nunc pro ipsa stranguriam posuit, quocirca dysuriam per stranguriam accipiemus, aut earum ex bile casum audiemus. Nam si Galenus lippitudinem hoc tempore ex sanguine bilioso lubens accipiat, non uideo cur ex bile difficultatem intestinorum, ac rursum stranguriam recuset. Nunquid ergo Hippocrates frequenter hos morbos ex tempore depræhendit? Non est uerisimile, sed quales fieri possunt, tantùm inquisiuit, atque edocuit. Fient ergo hoc tēpore duplices. priores ex bile: tales lippitudines, intestinorum difficultates: posteriores ex siccitate naturarum ac partium oriuntur: tales uero sunt tabitudines, urinæ, intestinorum imbecillitates, & articulorum dolores. Quippe articuli ut sicci sunt, ita siccitate promptè offenduntur, & immobiles redduntur, præsertim si siccitatis excessus magnus fuerit, qualē hic intelligimus. Nūc ad commentum uenio, quod in eo loco Galeni, ubi inquit,* Nam misceba-

In sicca constitutiōe morbi potius quæruntur quàm deprǽhendū tur.

Tabes ex ulcere pulmonis hîc rara.

Atrophiam per tabē Hippocrates intellexit.

Iusta Galeni dubitatio.

Nostra suspicio.

Frigiditas & siccitas tā uētrem quàm uesicam difficilē reddunt & astringūt.

Lippitudines stranguriæ, intestinorū difficultates eādem ferè causam sequuntur.

Summa morborū duplex.

Commentū uitiatum.

tur bene temperate &c. *proculdubio uitiatũ est, ac pro* tẽperatè, in-temperate *legendum est: nam simplicẽ intemperiẽ discribit siccam, quæ committitur cum temperie in calido & frigido.*

APHORISMVS XVII.

QVotidianæ autem constitutiones Aquiloniæ quidem corpora densant, contendunt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciunt, & aluos exiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem auget. Austrinæ dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauãt, & uertiginem faciunt, oculis atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant.

Trium sentẽtiarum collatio.

TRES fuerunt nunc super Aquilone & Austro sententiæ, tamen diuersæ. Nam prima notabat incommoda, quæ in morbis facerẽt: ista quæ in sanis: media uerò etiam integros ostendebat morbos. Rursum illa (mediam dico) longam aliquam constitutionem describebat: ista uerò, & prima breuem. Proinde si pro Quotidianis, Diarias legeremus, clarior esset Aphorismus. Non intelligimus autem diarias constitutiones, quæ quotidie per totum annum, aut uniuersum aliquod anni tempus eueniunt, sed quæ unius aut breuium dierum clauduntur spatiis. Ac tanta est inter hos Aphorismos phantasia similes, differentia profectò magna. Nã licet multa Aquilonis diuturnitas mala inuehat, breuis aliquando eius conditio corpus emendat. Primùm, inquit, hæ constitutiones corpora condensant: frigidi enim est condensare, sicuti calidi rarifacere. quòd si id parum tibi uideatur (quod magis est) uniuersum sanguinẽ & spiritum cogunt, atque corpora contendunt, hoc est, firmiora reddunt. Quippe laxum effœminatum & imbecille esse solet, tensum uerò firmum: ac fortior etiam calor est in spiritu & sanguine coacto, quàm latè fuso. Rectè ergo in commento dixit Galenus, uerbum, contendunt, *ad utrasque operationes referri,*

Diaria & breuis constitutio.

Breuis constitutio Aquilonia corpora emendat, lõgior uitiat.

Laxum infirmũ, coactum firmum.

ri,tum naturales,tum animales:utuntur enim ambæ ſpiritu & calore naturali. Ac de naturalibus operationibus,id uno ſigno arguit,dum inquit, Coloratiora faciunt. Color enim ſanguinis & caloris copiam arguit, pro cuius modo naturales operationes fiunt. Hoc experientia indicat. nã uel obiter ſub Aquilone nobis exercitatis,licet frigeamus,tamẽ facies efloreſcit. Problema phyſicum eſt,quod pauci intelligunt:nam licet ſanguis ſub aëre per antiperiſtaſin auctior recurrat, tamen externa corporis phãtaſia obiter refrigeratur,eaque ſola argumento eſt,quòd ſtatim domum ſubeuntes,ſæpe inſigniter iiſdem partibus incaleſcimus. Facultatem uerò animaliũ operationum pluribus exemplis oſtendit. Primùm bene mobilia dixit:motus enim animalis eſt. Quòd uerò melius hoc tẽpore adminiſtratur,non ex eo tãtùm eſt,quia ſpiritus copioſior,ac uirtus fortior:ſed quia & ipſi muſculi omni onere uacant:ſenſus uero non omnes, ſed præſertim unũ atque alterum enunciat,auditum ſcilicet,quòd is ſenſu tactus,guſtus, & olfactus tenuior ſit, & emunctior:reliqui enim (excepto uiſu) craſſi ſunt,neque facile obſcurantur,aut momẽtaneũ ex aëre diſcrimẽ accipiũt. Quare fruſtra reliquos huius exẽplo Galenus intellexiſſe apparet. Ex eadẽ cauſa mihi apparet,quòd neq; hîc, neq; in Auſtrina cõſtitutione, operationũ primariarũ meminerit,in quibus tertia conſiſtit animalis facultatis differẽtia. nã paruũ eſt mutationis momẽtũ,quod ab externis cauſis accipiũt. Cuius ratio inquirẽti ea mihi uidetur potiſſima,quòd operationes hæ primariæ potius ſpeciebus utuntur,quàm ſpiritibus,certè ſpiritu minus,quia magis incorporeæ. Sed neque organis euidenter utuntur, quæ per aërem confundũtur, aut impediuntur. Hoc ergo uno hæ conſtitutiones leuiter obſunt,quòd aluos exiccant,ac difficiles reddunt,oculos mordent,quòd iis caro tenacior,ac ad patiendum opportunior. nam quòd dolorem augere poſſunt, uix numerare oportet, quoniam nouum inferre nequeunt. At contrà Auſtrinæ præſens incommodum afferunt, corpora, *inquit,* diſſoluũt, & humectãt. Galenus præpoſterum ordinem habet, & econtrario humectant, ac diſſoluunt, mallet ſcribere: quia cauſa effectũ debet præcedere. Sed ſeparata mihi apparẽt, & aliò, diſſoluũt, aliò mihi ſpectare apparet, humectãt. *nam,* diſſoluũt, *mihi ad calorem*

Animales & naturales operatiões utuntur calore naturali.

Problema phyſicum, ꝗd ſub Aquilone facies rubet.

Motus hoc tempore duobus nominibus alacrior.

Viſus & auditus citius offenduntur reliquis.

Noſtra opinio.

Galeni commentatio.

Intellectus parum iuuatur aut offenditur aëris mutationibꝰ.

Aquilonis leuiora incommoda.

Incommoda Auſtri.

Noſtra commentatio.

Diſſoluere caloris. Humiditatis eſt onerare.

refertur: hic enim eſt, qui corpora rarefacit, ſanguinem aut ſpiritum eliquat, atque operationes tam naturales quàm animales diſſoluit. Verùm quia eædem conſtitutiones humectant, atque corporibus difficilem motum præſtant, uniuerſum corpus, præſertim caput, onerant, uiſum & auditum obtundunt, uertigines inducunt. Etenim uapores, dum per cerebrum circunferuntur, ſpiritus ſecum rapiunt, ac uertigine afficiunt. Leuiores tamen hæ uertigines, quàm quæ apoplexim prænunciant: quoniam non ex humore, ſed uapore hæ initium capiunt. Recte ergo apoplexim ſubiicuit. Atque hæc in hoc loco ſufficere mihi uidentur: nam fruſtra Forliuius mihi indignari uidetur, quòd Galenus in fine commenti, operationes animales partibus ſolidis acceptas referat: quoniam nerui, præcipua illarum, ac ferè ſola organa exiſtunt: & ob id alio quodam loco Galenus eas, quæ à uoluntate ſuſcipiuntur, muſculorum proprias eſſe dicit, cerebrum tamen ſpiritus animalis officina exiſtit. Habet & in primo ſuo dubio Forliuius multa argumenta, ſed quæ ex ijs quæ diximus facile eſt elicere.

Vertigines ex uapore ſolo leuiores.

Operationes animales ſunt ſolidarũ partium.

APHORISMVS XVIII.

PEr tempora anni uere quidem, & prima æſtate pueri, & qui hos ſequuntur ætate, optimè degunt, & ſani ſunt maximè. Aeſtate uerò & autumno uſque ad aliquid ſenes. Reliquũ in hyeme, qui mediam ætatem habent.

NON omnes ætates, aut naturæ, temperatis optime afficiuntur, ſed tantùm temperatæ. Quæ uerò inter omnes ætates ſit temperatiſſima, eſt dubium. Et quod ad calorem pertinet, omnes priores ætates æquè temperatæ ſunt: ratione uerò humiditatis, non item, ſed ſola extrema adoleſcentia, aut etiam iuuentus temperata erit. nam de ijs duabus eſt contentio. Hanc difficultatem auxit Græcum nomen, ἀκμή, quod in uarios ſignificatus diſtrahitur, ac nunc iuuenilem, aut florentem, nunc adoleſcentem ætatem, noſtri interpretes interpretari coguntur. Forliuius in hoc loco neſcio qua diſtinctione utitur, ac ſi recte memini, tandem iuuenes tempera-

tos statuit, quos Galenus hic, ut apparet, biliosos describit, & solos adolescentes temperatos habet. Non est tamen de uere ulla contentio: quoniã inter omnia tempora absque controuersia habetur temperatissimum. Quapropter Galenus non quidem pueros, sed extremè adolescentes cum uere comparat. Sed neque pueros mihi admodum bene cum initio æstatis confert: quoniam humiditas quæ in pueris exuperat, potius huic ætati grata & utilis, quàm molesta apparet, & est reuera: nam ad incrementum corporis confert quàm maximè. unde licet ferè senectus sicca humidum alimentum desiderat, nemo tamen pueritiæ siccum alimentum administrat, multo minus per aërem siccum castigari postulat. Ergo ego cum Hippocrate audiam, quòd & pueri, & qui hos sequuntur ætate, hoc est puberes, & extremè adolescentes, optime uiuant in uere. Adolescentes quidem, quia uerisimiliter temperati: reliqui uerò, licet humidi, non tamen tales, qui contrario debent castigari. Iam esto, quòd humiditas pueris grauis sit: ne sic quidẽ cũ æstate ipsos in utraque qualitate bene cõferre possis: quoniam tametsi æstatis siccitas pueris grata esset, inimica tamen caliditas. Ita difficile est aliquod tempus inuenire, quod pueris utrinq; conferat. Sed (quod licet dicere) opportunissimum adolescẽtibus uer est: reliquis uerò temperaturis, quæ bifariam intemperatæ sunt, optimum tempus in duabus qualitatibus oppositum, ut uiris hyems. quod qua ratione intelligendum sit, antea dictum est. Sic & autumnus aliquibus inuenietur conferre, quippe calidis & humidis: quoniam magis frigidus, quàm calidus est: tamen Galenus inæqualitatem illius timet, & propterea mauult dicere hoc minus offendi, quàm simpliciter iuuari. Econtrario uerò uer nullis obest, sed quibusdam minus prodest. Nam uer senibus minus conducit, quàm æstas, quòd æstas plus potest energia alterius suæ qualitatis, quàm uer utriusq;: utraq; enim in eo ignaua & modica est.

Sola extrema adolescentia tẽperata est.

Difficilis col latio puerorum cũ æstate.

Meli⁹ Hippocrates quàm Galenus. Vtriusq; ratio.

Temporũ & ætatum summa comparatio.

Aestas senibus plus confert, ꝙ uer.

APHORISMVS XIX.

MOrbi omnes quidẽ in omnibus temporibus fiunt: quidam uerò magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & exiccantur.

NON soliu anni intẽperatura (ut antè diximus) morbos cõmittit, sed & uictus error, atque ipsius temperaturæ infelicitas. Frequenter uerò uictus ipse rationem naturæ imitatur: exemplo lac est, quod in frigido stomacho acescit, à calido in bilem uertitur, atque omnino cibus à calore nostro castigatur, atque eruditur. Aër uerò integer ad penitißima uiscera, atque adeò ipsum cor traducitur. Proinde licet singuli morbi in singulis temporibus fieri possunt, ratione uictus atque naturæ, plures tamen occasione temporis. Et hoc est, quod nunc Hippocrates dixit, Quidã tamẽ magis in quibusdã ipsorũ fiunt. *tales uerò sunt tempori affines: multos etenim depræhendes in tempore frigido frigidos, paucos autem calidos. Nec erit difficile, eos qui ratione aëris, uictus, aut temperaturæ eueniunt, discriminare: etenim qui in una quamplurimos seorsum familia inuadunt, ferè uictum sequuntur: quemadmodum qui totam aliquam ciuitatem inuadũt: aërẽ: qui uerò seorsum aliquot determinatas naturas, temperaturæ uitium.*

Aphorismi breuis ratio.

Morbi ex uictu unam seorsum familiam, ex aëre uniuersam ciuitatem præhendunt: ex natura uerò propria priuati sunt.

APHORISMVS XX.

VEre etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tusses, & impetigines, & uitiligines, & pustulæ ulcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.

VER, quia temperatum est, nullos per se commitere morbos potest: quòd si biliosum, aut alioquin frigidum corpus à uere patiatur, hoc est illius potius fortuna, quàm ueris propria iniuria: etenim mediocritatẽ obtinet, sanguinis tamen copiam auget, qui deinceps non solùm instrumentales morbos, sed & similares uariè parit, atque eos quoque, qui ex solutione fiunt. Verùm hæc omnia non per se uer facit, ac continenter, sed alicuius accidentis intercessione, scilicet multitudinis, quæ à natura impotenter dirigitur, ac corrumpitur. Atque hi sunt morbi, qui ueri familiarius accommodantur ex plenitudine. uidetur eos nunc complecti nomine profluuij sanguinis: nam multo plures sunt morbi ex plenitudine, ut syno

Primum genus morborum in uere ex sanguine. Varij morbi initium accipiunt ex plenitudine.

synochus: nõnunquam ex sputo sanguinis phthysis. nõ solùm autẽ sanguis exuperat tẽpore ueris, sed & alij humores pituitosi, melancholici, cholerici fundi incipiunt. Ex quo est, quòd uer singulorũ temporũ morbus communicare uidetur: si quidem cholerici superfuerũt, cholericos uer prodet: si pituitosi, pituitosos. Non oportet autem te cum Oribasio cogitare, huiusmodi humores à pristinis temporibus relictos in corpore, ut biliosos ab æstate, & melancholicos ab autumno: sed potius naturæ intemperiem, aut uictus errorem sequutos: rarò enim autumno toto, & hyeme, latere possunt, citra manifestam morborum occasionem. Secundi ergo morbi ex fusione humorum contingunt. Sunt autem ij morbi in triplice generatim differentia. Vel enim humores ad interiora uiscera mouentur, aut externa membra, aut ad ipsam cutem: tales sunt furores, atræ biles, morbi comitiales, anginæ, raucedines, & grauedines: secundi generis, articulorum dolores. Circa cutem uarij quoque morbi oriuntur. Primæ duæ hîc differentiæ sunt, scabies & lepra: & lepra quidem Græcorum mihi uidetur ea, quã Celsus agriam, aut feram scabiem appellat. Scabies ipsa tum ex bile, tum ex pituita euenire potest: quapropter Æginetam miror, qui scabiem ut lepram ex sola melancholia facit. Distinguitur autem species scabiei inter se facile. nam biliosa scabies siccior est, atque pruritum maximum adfert, & furfura exterit. Pituitosa uerò scabies latior, & humidior est, & minus prurit. Iã pituitosa scabies parua sæpe animalcula habet, quæ psydraria appellantur: non enim hæc, ut neque pediculi ipsi, ex acri humore fieri possunt, salso, aut amaro, sed ignauo. Scio à Celso, & reliquis (puto ipso Galeno) psydraria ulcera appellari: uerùm non omnia, sed ut mihi uidetur, soli tractus longi, quos huiusmodi animalcula penetrãt, ac effodiunt. Quare nõ solùm ipsa ulcera, sed & ipsa animalcula sic mihi appellantur: ulcera quidem psydracia, quasi ab animalculis istis facta. Scio quòd à frigore facta quidem arbitrantur: sed mihi neque altera displicet coniectura, uel ob eam causam, quòd & uulgus tam Gallica quàm Flaminga lingua in ijs animalculis simile nomen retinet, ac syron appellet. Ab utraque specie dissonat lepra, nam ea pro furfuribus squamas deijcit: at quæ ex succo melancholico oritur, elephantiasis est. Iam ad ipsas

Secundũ genus morborum ex fusione humorũ.
Puerilis Oribasij opinio.
Morbi ex fusione triplices.
Morbi in prĩcipalibus uisceribus.
Morbi in articulis.
Morbi circa cutem.
Lepra ferina scabies ex bile adusta.
Scabies ex omni humore.
Æginetæ lapsus.
Scabies biliosa magis prurit & fastigiata est.
Psydraria ulcera.
Scabies furfura exterit, lepra squamas.

pustulas, quæ fere in scabie committuntur, uenio: atq; has quoque in easdē humorū differētias est distinguere: biliosæ acutæ sunt, pituitosæ latæ: pituitosæ ferè phlyctænæ dicūtur, exāthemata, sudamina magis biliosa sunt: epinitis cum sanguine participat: iā ex acri & pituitoso quædam fiunt, & in capite appellantur achores. Ab ijs omnibus multo interuallo dißident uitiligines, impetigines, & tubercula. Tubercula tum alibi, tum in facie nascuntur, ex craßiore sanguine, qui non resoluitur, sed suppuratur. Vitiligo mihi uidetur Iudæorum lepra: nam Moyses eam definit maculis albis, & pilis in colorem album mutatis, rarus apud nos morbus, quemadmodum propter uictus uarietatem rarus apud ipsos elephantiasis. Eiusdem generis ferè cum uitiligine alphi, nisi quòd maligniores ac difficiliores. Impetigines Græci lychenas appellant, atq; ex craßiore succo & sanguine fiunt, neque omnem partem obsident, sed ferè manus, pedes, & ungues: ijs propè aßident papulæ, nisi quòd papulæ faciliores. Quidam ex interpretibus exanthemata per papulas reddit: sed Celsus, cui magis credo, distinguit, atq; impetigines magis in mēbris, hoc est, manibus & pedibus definit. sed exquisitior horum omnium differentia, ad libros De differentia morborum attinet: ibi ex professo tractari possunt, hîc uerò non nisi obiter. Est autem & in phymate, siue tuberculo, controuersia: nam uulgus tuberculum pro omni leuiore tumore accipit, quod fusis humoribus circa cutim euenit, & in ijs tertium genus morborum uernaliū consistit. Superest nunc obiter eorum morborum, qui hîc numerantur, materiam distinguere. Furores quidem, ut alibi ostendimus, ex bile fiunt: atræ biles, siue melancholia, quæ cum tristitia est, ex melancholico succo, altera quæ cum insania, ex cholera adusta: morbi comitiales tum ex melancholico, tū ex pituitoso succo fiunt. Anginā in proposito Galenus autumnalem dicit. Sunt uerò autumnales plerunq; ex melāchol ia, aut cholera. ueruntamen quæ in uere contingit, magis pituitosa deprehenditur. Eiusdem generis sunt tusses, raucedines, grauedines, ubi à partibus principalibus ad minus principales materia pituitosa destillat. Articulorum morborum uaria est materia, aliquando sanguis, sæpe pituita cum bile permista: nam rubor sæpe per accidēs accedit, ac magis dolorem arguit,

Pustularum differentia.

Tubercula.

Vitiligo Iudæorū lepra. Moyses.

Impetigines & lychenes in manibus & pedibus. Papulæ.

Diuersa morborum materia.

Morborū in articulis materia.

quàm

quàm materiam morbosam distinguit: etenim ad omnem dolorem, sanguis affatim secundo accurrit. Ergo uernales morbi tres sunt, aut ex multitudine, ex humorum uitio, aut eorundem fusione. idq; rursum tripliciter: aut ad uiscera, aut articulos, aut ad cutem. Neque ulla est alia constitutio, in qua Hippocrates plures, aut magis uarios morbos numerat. Quare tu sola sermonis phantasia ductus, putares uer omnibus alijs temporibus morborum, eorumq; admodum diuersorum, feracius esse. Sed cõtrà te æstimare decet, nequaquam ueris propriam temperaturam, sed potius corporum conditionem, occasionem fuisse: argumento est, quòd non omnia corpora, sed tantùm quæ accepit impura, aut onusta, sic afficit. nã quæ mediocria acceperit, mediocria relinquet. Sed neque impura corpora ex professo & studio affligit, sed dũ expurgare nititur: nã quod alijs euenire solet, cateruatim egrediẽtibus, idipsum humoribus subĩde accidit, quos dum natura expurgare conatur, multitudine aut craßitie impingũt, idq; circa cutem: rarò enim ad principales partes materia decumbit. Atque ob hanc causam, cæteris eiusdem speciei minus periculosi sunt: magnum enim ad salutem compendium facit naturæ industria.

Vernalium morborum breuis collectio.

Multitudinis morborũ in uere magis est causa corporis importunitas, quàm ueris inequalitas.

Morbi in uere ferè salubriores.

APHORISMVS XXI.

AEstate autem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres, & quartanæ, & uomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris ulcerationes, & genitalium putredines, & sudamina.

VARIA potest esse coniectura super ijs morbis, quos communes æstati cum uere dixit. forte furores intellexit. nam & ij ex bile fiunt: fortè profluuia sanguinis: forsitan ulcerosas pustulas: de ijs tamẽ illud dicere licet, quòd ipsarum uarietas minor sit tẽpore æstatis, quàm ueris: nam in uere omnes humores efflorẽt pro fortuna corporis, in æstate autẽ dũtaxat biliosi. Atque hæc fortè causa est, cur Hippocrates pro uarijs pustulis, sudamina asscripsit. At de ijs postea. Nunc secundo licet nobis dicere, quòd rariores sunt in æstate, quàm uere, ex fusione in cute ægritudines, uel ob eam

In æstate ferè morbi biliosi.

Morbi ex fusione supra cutem rariores in æstate.

eam causam, quoniam cutis eo tempore rarior est, & resolutio copiosior, quàm ut ibi humores consistere possint, aut ulcera induci, nisi fortassis cutis admodum tenera sit, & ulcerari prompta, qualis in ipso ore. Igitur ut ad propositum reuertamur, primum genus in æstate morborum est, illud quod cum uere cõmunicat. Secundò uerò, in æstate seorsum fient morbi ex bile, in interioribus particulis superflua. Tales febres tertianæ, continuæ, & ardentes: nec enim quæuis cõtinua ardens est, sed ea potius, quæ quarto aut tertio die terminatur, ac cæteris, quæ decimo quarto finiũtur, magis æstuat. Fit autem id, uel quia cholera insigniter calida est, uel quia multa, uel quia in locis cordi admodum propinquis disposita. Reliqua aut longiorem, aut intermittentem parit. Quòd si fortè fortuna cholera crassior uratur, non tantùm ex bile tertianæ, sed tertio ex illius adustione, quartanæ euenient. Inflammationes biliosæ eiusdem generis cum his, quæ ex bile sunt: præcipue tamen in superioribus partibus eas oportet expectare, quoniam biliosus ac calidus sanguis potius ad supernas, quàm infernas rapitur, nec iterum ad quamuis partem, sed tantùm debiliorem, qualis est oculus: nam quia humidus est, & laxus, ad excipiendas fluxiones est idoneus. Huc etiam referri debet uomitus, & alui profluuium, multo discrimine differens ab eo, quod nuper in multitudine humiditatis dictum est. Nam illud pituitosum erat, & longum: id uerò biliosum, & breue. Quòd si ad naturam partium respicere uolumus, quintò erunt morbi in partibus cholericis, ex choleræ abundantia, siue tales ex natura eius multitudinem colligunt, siue aliter recipiunt, quales aures, quæ ex cerebro excrementum biliosum excipiunt. accedit, quòd siccæ sunt, & potius biliosum, quàm humidum ex sese pariunt. Non sine ratione ergo Hippocrates scripsit, Aurium dolores. *Patiuntur sextò partes humidæ, præsertim si non humidæ, sed & calidæ fuerint: nam adueniente æstatis calore, facilè putredine tentabuntur: tales genitales partes sunt, in quibus Hippocrates hoc tempore putredines notat: adijce, si uelis, & intertigines. Tanto magis Galenum admiror, qui huiusmodi humiditates non audiuit in æstate simplice, sed cũ quadã humiditate prædita: nõ enim hic Hippocrates illegitima, sed legitima describit tẽpora, cũ intertiginibus ego audirẽ sudami*

Primum genus morborũ in æstate.

Secundũ in internis uisceribus ex bile.

Febrium ex bile differentia.

Tertium ex cholera adusta.

Inflammationes in partibus superioribus.

Quintò morbi biliosi in partibus biliosis.

Sextò patiuntur partes humidæ.

Galeni scrupulus.

damina. Verùm Galenus pustulas quasdam in summa cute hærētes interpretatur, idem & Celsus alibi sequitur. Tanto magis errant quidam ex Neotericis, qui ad hæc sudamina conantur morbum sudorium trāsferre, similes ijs, qui uoluerunt morbum Gallicum ad lepram & uitiligines antiquorum retorquere. Sed & de morbo Gallico, & sudorio, quid sentimus, alibi seorsum diximus. Sudamina.

APHORISMVS XXII.

AVtumno uerò & plurimi uel æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes (quas Græci asthmata uocant) ilei, morbi comitiales, furores, atræ biles.

AESTIVOS morbos ex bile nominat. Reperiuntur autem hîc in autumno, tribus de causis: tum quia initium autumni extremæ æstati comparatur: tum quòd alioqui autumnus inæqualis est, calidus, non solū frigidus: deniq; quòd multa portio eius, quæ in æstate generata est, in autūno relinquitur, atq; ad interiora retruditur: quo fit, ut ex eodē humore in æstate externi, in autumno interni morbi committantur, ac tanto periculosiores, quanto interiores. In quibusdam uerò corporibus non solùm bilis relinquitur, sed atra bilis generatur, dum ipsa aduritur. atque id proprium est in autumno: nam calor autumni, humorum adustionem facilius perficit, quam calor æstiuus inchoauit. Iam ut in declinante ætate, ita & in autūno crassior bilis generatur, quæ adustioni magis est idonea. Secundum ergo genus autumnalium morborum, ex uera melancholia est, tales quartanæ, & ferinæ dementiæ, atq; in ijs autūnus cū æstate cōmunicat. Nam & in æstate quartanæ numerabatur, hîc tamen seorsum erraticarū meminit. Nec est uerisimile, quòd id temere Hippocrates fecerit, quāuis Galenus differētiā dissimularit, sed quòd quartanæ ex utraque melancholia sunt, erraticæ uerò ex succo melancholico. Atque hinc est, quòd erraticæ in quartanam finire dicantur. Cur autem succus melancholicus potius,

Trib' ex causis morbi biliosi in autūno.

In autumno morbi biliosi interni, in æstate uerò externi.

Secundū genus morbi autumnalis ex atra bile.

Erraticæ ex succo melancholico.

tius, quàm quiuis alius, erraticas parit, alibi dicetur à nobis fusius. Nunc tantùm licet obiter dicere, quòd succus melancholicus, ut est frigidus & siccus, ita ad putredinem minime idoneus: & ut pulsus in eo maxime inæqualis, ita & ipsius putrefactio. Hinc est, quòd non solùm quartanā, sed & quintanam, & aliam facere potest, ac tandem in quartanam desijt. Nam postquam semel totum corpus putredo obtinuit, ordinem fere seruat. Est autem hæc difficilima, & ferè ad hydropisim uel ad tabem senem ducit: nam priusquam accenditur, ferè ipsum corpus contabescit. Potest tamen erratica & in aliam finire, sed rarius: nam & tertiana in quotidianā potest euadere, assumpta bile priore, & rursum quotidiana in tertianā, si forte pituita prius putrescat: ex natura enim citius putrescit occasione suæ humiditatis, quàm cholera ratione caliditatis. At de ijs alibi longius. Tertium ergo in autumno genus morborum, consistit in succo melancholico. Etenim temperatura autumni magis frigida est, quàm calida, sicca autem euidenter, & ad melancholicum succum parandum idonea. Ex eodem succo melancholico, non solùm febres quartanæ, sed & qui postea scribitur morbus comitialis, & atra bilis: eiusdem generis sunt, lienes, hoc est, splenis tumores, non quidem splene immodicè illum attrahēte, sed ipso hepate mittente: non solent enim uiscera bene affecta, quod immodicum est attrahere. ac de symptomatis eius ac illorum causis alibi dicemus. Insigne uerò illius accidens, quòd eo magis corpus extenuatur, quo ipsum splen amplius augetur. atque huius quidem causa mihi aliquando exquisita, nec tamen alia inuenta, quàm quòd tumor ipsius splenis non multo segnius, quàm hepatis nutricationem infirmat: infirmaret autem & in hepate, sed nusquam ferè alibi, quàm in splene, à tali humore huiusmodi tumor committitur, & ferè hydropisis sequitur. Recte ergo post lienes hîc aquam intercutem numerat. Denique propter inæqualitatem illius, & humorum uarietatem, non solùm ista fiunt, sed & morbi ex putredine succedunt: tales sunt plerunque difficultates intestinorum, leuitates, & urinæ stillicidia. Stillicidium enim urinæ nihil aliud est, quàm uesicæ leuitas, quum nihil tam exiguum continet, quod non statim excludat. Galenus & Oribasius, alias horum morborum causas reddunt, ex quibus.

Melancholicus succus inęqualiter accēditur.

Quartana ex succo melācholico difficilima.

Autūnus idoneus ad parādum succum melācholicū.

Varij morbi ex succo melancholico.

Quo splen magis intumescit, eo corp⁹ magis contabescit.

Hydropisis.

Quartum gen⁹ morbi autumnalis ex inæqualitate.

bus, meo quidē iudicio, quædam hyemi, quædā æstati magis quàm autūno conueniunt, & quidem difficultatem intestinorum, quam hîc describit, ex utraque specie melancholiæ, atque ipsa bile est possibile fieri: sed non nisi ex altera specie melancholiæ morbus comitialis gignitur, multominus apoplexis ex cholera adusta, aut etiam cholera fieri possit, quoniam acria potius aperire, quàm infarcire solent. Certè raro morbus comitialis ex bile oritur, quoniam ipsa flatus expers est, cuius morbus comitialis particeps est. Recte ergo Galenus in commento inæqualitatem, ad morborum comitialium generationem conferre dixit: quoniam nihil promptius flatus excitat, quàm permista caliditati frigiditas. Quod amplius est, autor libri De flatibus, illum adueniente hyeme cessare asserit. hoc tamen præsertim de morbo comitiali ex melancholia intelligendum est. Poterat igitur hîc & apoplexim adscribere, sed quia sæpius generatur in hyeme, maluit in descriptionē hyemis reseruare. Tanto ignauior est Oribasij commentatio, cui satis est, morbum comitialem, & alios quosdam morbos in autumno hyemales dicere; nam quid hoc aliud est, quàm autumnales cum hyemalibus confundere? Sed neque cur coxendicum dolores hîc potius, quàm in hyeme fiant, in hyeme uerò contrà pleuræ & pulmonis inflammationes, uel Galenus ipse manifeste reliquit. Neq; ego nūc aliam causam inuenio, quàm quia coxendicum dolores, non ex sanguine fiunt (ut pleuritis & pulmonia) qui hyeme abundare incipit, sed magis ex pituita mixta choleræ: ac talis quidem permixtio (propter inæqualitatem) in autumno maxime reperitur. Quòd si tibi pro ratione sufficit dicere, in autumno magis quàm hyeme urgere humorum uitium, non tantùm hos morbos, sed & omnes alios in autumno potius, quàm hyeme fieri colliges. Superest opportunior quæstio, ecquid coxendicum potius, quàm aliorum articulorum meminit: an quia in uere ad exteriores articulos materia rapitur, in autumno uerò ad interiora reuertitur? Mihi quidem ita uidetur, at non tam facile deprædendere potui, cur potius ileum, siue uoluulum, quàm colicum dolorem hîc suspectum habuit: aut cur rursus in hyeme, pro ileo lumborum dolores Hippocrates posuit. Huius rei difficilè dabunt rationē Neoterici, qui ambos ex eadem causa generant. Verùm

Difficultas intestinorū ex utraque bile, morb⁹ comitialis & apoplexia tantū ex altera fieri possunt.

Raro epilepsia ex bile.

Calidum per mistum frigido facile flatum suscitat.

Coxendices in autumno. Inflammationes pleuræ in hyeme.

Nostra suspicio.

Eneruis ratiocinatio.

In autumno coxendices. In uere reliqui dolores articulares.

Galenus uoluulum finit ex bile, aut inflammatione biliosa. atque hæc procul dubio familiarior autumno, quàm hyemi generatur: quippe in æstate ad exteriora uertitur. Nimis obiter hæc omnia Galenus percurrisse uidetur: nã neque illud curauit distinguere, cur hîc scripserit asthmata, in hyeme uerò separet pulmonis inflammationes. Nã quia asthmata ex pituita generantur, ea in hyeme cum tussi, raucedine, & grauedine notare debuit, nisi quòd & ipsa destillationem sequitur, quæ per autumni inæqualitatem maxime prouocatur. Verùm hac ratione & raucedinem, & grauedinem, & tussim ipsam asscribere debuisset. Sed de hoc disseremus statim postea. Nunc ut epilogo dicamus, quæ præteximus, quinque sunt in autũno morborũ genera. Primũ ex bile, talis febris biliosa, furores, & anginæ. Secundũ ex cholera adusta: huc pertinet altera species melancholiæ. Tertiũ ex succo melãcholico: huc spectant tumores lienis, hydropisis, & altera melancholia. Quartum ex inæqualitate humorum: huc dysenteria, nam ferè ex pituita salsa, & alia. Quintum ex flatu. hac de causa in eo potius morbum comitialem, quàm apoplexim timuit.

Voluulus frequentior in autumno, q̃ in hyeme. Colicus & lũborũ dolor frequentior in hyeme. In autumno asthmata. In hyeme pulmoniæ.

Quinq; genera morborum in autũno.

APHORISMVS XXIII.

HYeme uerò morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atq; lumborũ, & capitis dolores, uertigines, & apoplexiæ.

Galeni opinio. Nostra suspicio. Minus communicat principium hyemis cum fine æstatis, quàm aliorum temporum extrema. Frequentes inflammationes in hyeme.

NIHILOSECIVS Galenus in hyeme autumnales, quàm in autũno æstiuos fieri morbos autumat, & quod in præcedentibus definiuit, hîc quoque adijciendum putauit. Erit uerò, cui non sine ratione Hippocrates id subticuisse uidebitur: quoniam principiũ hyemis ad finem autũni minus accedit, quàm initiũ autumni ad extremũ æstatis. Hîc enim autumni principium extremæ æstatis temperaturam calidam subit: hyemis uerò principium autumni temperaturam nequaquam, sed contrà autumni finis potius transit in naturam ipsius hyemis. Hæc est causa, quare rariores autumnales, hoc est, ex inæqualitate morbi in hyeme fiunt, sed multi ex sanguine, nõ quidem in partibus exterioribus, magis interioribus,

bus, præsertim in pleura & pulmone, alijsque uisceribus. Non possum ergo satis mirari in commento Galenum, qui hos ipsos, ex frigiditate fieri putat. Nam tametsi pleura frigida, tamen pulmo est calidus. Iam de dolore laterum ex frigiditate, secundo loco meminit: ergo priores ex inflammatione calida intellexit. Quia tamen hyems insigniter frigida est, facile nares, fauces, accitissime pectus perstringit: continuo enim spiritu refrigerantur. Eadem ratione & lumborum, & simplices laterum dolores: etenim hæ omnes particulæ natura frigidæ. Vbi Forliuium in ea quæstione rideas, an omnia membra tempore hyemis melius pectore à frigore uindicari possunt: faciem enim opponit, & pedes obijcit, nec intelligit Galenum de medijs partibus loqui. Sed transeamus: puerilis enim est hæc, & multæ aliæ apud illum disputationes. Magis lubet inquirere, cur prius anginæ, hic uerò inflammationis pleuræ, & pulmonis meminit: an quia istæ sunt præcipuæ partes, quæ inflammationibus capiuntur? an quia plerunq; ex sanguine fiunt, angina uerò ex quouis humore? Atque ita mihi uidetur. Sed nos iterum angit, quòd asthma in autumno posuit, et loco eius nunc tussis, raucedinis, & grauedinis meminit. Nam asthmata, ut ex pituita fiunt, ita magis hyemi congruunt. Vna est differentia, quòd asthmata nequaquam simplicem frigiditatem sequūtur, sed crassorum humorum infarctionem. Atque hæc nihilominus, imò subinde magis in autumno quàm hyeme uiget, utpote qui sua inæqualitate distillationes copiosè mouet.

Galeni mirabilis oscitatio.

Secūdū gen⁹ morborū ex frigiditate.

Puerilis Forliuij quæstio.

Angina ex quouis humore.

Noua difficultas.

Asthmata magis cōgruunt autumno quàm hyemi.

APHORISMVS XXIIII.

IN ętatibus uerò talia contingunt paruis, & nuper natis puerulis: oris ulcera, quæ aphthæ uocantur, uomitus, tusses, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

EO diligentius in infantibus & puerulis iuxta ætatem morbos debemus distinguere, quo ex ipsis pueris est difficilius ipsa symptomata audire. Nam iuuenes possunt interrogationibus respondere, pueri nihil possunt diffinire, interim ne loqui quidem. Hæc etiā forte est causa, cur Hip-

pocrates exquisitius primarum ætatum discrimina, quàm posteriorum habuit, morborum uerò horum unum ac idem generale principium, quòd quælibet ætas suum habeat genium, hoc est sua commoda ac incommoda. Igitur unaquæque ætas pro sua intemperantia morbos patitur, præsertim si intemperatura ex ætate conueniat cum ipsa natura: sic enim geminatur incommodum. Ita qui ex natura frigidi sunt, in declinante potissimum ætate periclitabuntur, quoniam ultra naturam hîc frigiditas augetur. Quibus uerò natura insigniter calida est, in discrimen calidorum morborum maximè tempore iuuentutis ueniunt. Sic qui sanguinea præditi sunt natura, fortassis in uigesimo anno, atque extrema adolescentia morbos ex sanguine incurrunt, quòd eo tempore sanguinis copia præter modum increscit. Optimè sese habent in infantia, excellenter sicci: econtrario qui natura humidi sunt, in prioribus ætatibus maxime conflictantur: quoniam & qui natura temperati sunt, in pueritia, & magis in infantia, humiditatem suam ægrè ferunt. Hinc aurium humiditates. Intertigines uero non solùm hîc, sed & in prouectioribus inuenies, ut mihi uidetur, propter illarum partium cõtactum, ac affrictum, nec alius quisquam morbus pueris familiarior est. Galenus internarum aurium partium humiditatem intelligere maluit, & causam illius reddidit, quia propter immodicam infantium humiditatem, præter consuetudinem aliarum ætatum, natura per aures quoque sese expurgare nititur. Hoc Forliuius sequitur, fortassis Galenum reueritus. Atq; ita quidem pueris aliquando euenit. Sed mihi prius commentum placet, puto eadem humiditatis occasione, & antea quàm nascuntur, in utero matris nonnũquam latos uermes (tineæ dicti) subnasci, de quibus postea: nõ tamen febrem aliquam, synochon ex sanguine in his reperies, quantumcunque calidi sint, & humidi: non enim multitudo calidæ & humidæ substantiæ tales febres committit, sed sanguinis in uenis copia, qui in pueris totus in nutricationem (quæ illis prompta est) transumitur. Reliqua, quæ deinceps Hippocrates numerat, temperaturam non sequuntur, sed quædam alia illius accidẽtia: nam statim præcisionem umbilici, sequitur illius inflammatio, rarius tamen, quoniam sanguis modicus est, qui inflammationem committet, crebrius infla

Admodũ frigidi periclitãtur in declinante ætate.
Calidi in iuuentute.
Sãguinei in extrema adolescentia.
Humidi parum alacriter ferunt suam pueritiam.
Morbi ex humiditate.
Galeni commentatio.
Nostra commentatio.
Lati uermes.
Secundũ genus morbi accidentale est.
Inflatio umbilici.

inflari ipsum ex flatulento spiritu ibidem concepto contingit, Sed neque oris ulcerationes per se eueniunt, sed propter lactis usum. Putat Galenus integrum lac, dum sugitur, has partes ulcerare. Ego id illi magis in sangui nẽ confecto tribuo. Etenim biliosi aliquid habet, modicũ quidẽ, sed quod sufficit tenerrimum palatum, linguam, labia ulcerare. Ne mireris, quòd has potius partes erodit, quàm alias: omitto, quòd calidiores humores sem per feriunt superiora. Quartum genus morbi, superfluam lactis quantitatem sequitur, hic est tußis, uomitus, pauor, forte insomnia. Nec mirum ui deri debet, quòd infantes plus æquo appetant: idem enim & uiris euenit, dum potius qualitate quàm quantitate capiuntur. Iam infantes ut plus pos sunt concoquere, ita fere minus retinent: quoniam illorum corpora humida sunt, quæ opportuniora sunt ad concoquendum, quàm retinendum. Nam concoctio in humido, retentio in sicco perficitur. Non ergo una ex causa, sed duabus, citius infantes, quàm alij uomitum patiuntur: ob eandem causam quoque frequentius uomitum incurrunt, quàm alui profluuium. Nam præ onere natura donec ad fundum uentriculi descenderit, nõ sustinet, sed per uomitum præcipitare anticipat. Sed & lac ipsum, quia humidum est, magis stomachum, quàm uentriculum laxat. In quo si fortaßis nonnunquam diutius moratur, uapore suo caput opplet, & demum ad inferiora delabens, tusses mouet. De hac quidem in proposito nihil dicit, uerùm in tertio ab hoc Aphorismo, maxime infantibus familiarem affert, nec tamen aut hîc, aut ibi causam explicat: & fieri potest, quòd ob corporis paßibilitatem, prompte percutiantur exteriore frigore. Forte etiam difficiles illæ tusses, de quibus paulopost in fine infantiæ, hoc est, dum dentiunt, hîc incipiunt: non enim hic primorum tantorum dierum affectionem describit, sed totam infantiam usque ad dẽtitionem perstringit. Vtut est, & tusses quoque potius alimenti multitudinem, quàm aliam occasionem habent. Ex ijsdem sunt insomnia: nam multus ci bus multum uaporem ad caput eleuat, qui diuersa insomnia edit. Etenim craßiores uapores spiritus obscurant, ac pauores inducunt: sæpe diluti ac suaues sunt uapores, qui à lacte efferuntur, & propterea subinde in somno ridere depræhendũtur. Quippe & uiri quidam ubi meracius biberint, in

Tertium genus morbi ex lactis acrimonia.

Quartum ex lactis copia.

In infantibus frequens uomitus.

Infantes tußiunt.

Difficile quoddam genus tußis in fine infantię, aut prima pueritia, & durat ferè diebus quadraginta.

Tusses & insomnia alimenti sequũtur copiam.

Pueri in somno sæpe rident.

in somno uarijs insomnijs torquentur:hoc quidā in ijs euenire putant, qui

Qui luculēti ori & calidiori sunt cerebro, ferè multa somniant, præsertim à crapula.

bus cerebrum calet.Ego uerò in ijs magis fieri credam, quibus spiritus luculentus est. Nam & illi potius capiuntur suffusionibus, quibus lumen illustre, quàm ij quibus obtusum. Nō licet ergo perpetuo ex insomnijs temperaturam capere, quoniam cōditionem alimenti sæpe imitantur. Si uerò

Pueri ex natura sua somnolenti.

per insomnia uigilias intelligas, rarius illis eueniunt: contrà somnolenti sunt: & propterea Galenus, qui hoc modo Hippocratē audiuit, coactus

Galeni commentatio.

est accidens aliquod pro hoc symptomate inquirere. Affert autē dolorē, aut aliam in decubitu molestiam: ueruntamen & in omnibus alijs ætatibus eadem accidentia promptius uigilias, quàm in infantibus facient. Quapropter hoc loco, ego intelligere malo insomnia: nam hæc inter somnum & uigiliam sunt quodāmodo media. Tot ergo sunt tum ratione ex

Fœtus in utero raro ægrotat, qa purissimo utitur lacte.

cessus humidi, tum ratione iniqui lactis, in infantibus morbi, quibus rarissime ipse fœtus in utero capitur: quoniam licet humidior puriori alimento utitur: nam infans utitur toto lacte: fœtus uerò non nisi suauiore sanguinis parte: nam & craßior & serosior relinquitur. Hinc est, quòd neque infans ante usum lactis ullum effatu dignum in uentre excrementum suscipit: iam neque ipse sanguis in uentrē trahitur: hic enim quàmprimū

Maior est delectus uenarū, quàm ipsius infantis.

corrūperetur, sed per uenas hepati transmittitur, ac tanto maior est delectus in uenis attrahentibus, quàm in infante sugente. Nam neque folliculus flauæ bilis, neque renes quemuis succum alliciūt, sed tantùm propriū.

Fœtus in utero neq; uitio laborat, neq; multitudine.

Ex eadem causa neque in fœtibus adhucdum in utero existentibus, morbi ex multitudine fiunt: nam tantùm id quod satis est accipiunt: difficilè etiam corpus potest sordescere, quod syncerißimo alimento fruitur. Pauci igitur morbi in priori parte infantiæ, hoc est, primo anno contingunt: qui uerò in secunda parte eueniunt, sequenti Aphorismo excipiuntur.

APHORISMVS XXV.

IN progressu uerò cùm iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia, & maxime cùm caninos edunt dentes, & his præsertim pueris, qui crasisissimi sunt, & aluos duras habent.

DEN

DENTES anteriores τομεῖς γελασῖνοι dicuntur: sequuntur utrinque canini, qui cibum potius frangunt, quàm incidunt: deinceps utrinque maxillares, qui minutißime molunt. Numerus certus illorum non est: Galenus plerunq; trigintaduos, alij plures numerant. De natura autem illorum dubitare non oportet, quoniam ossei sunt, neque per se sensum obtinent, sed propter neruos illis insitos præ alijs oßibus sensu dotati uidentur. Scio tamen locum in libro quinto, De medicamentis secũdùm loca, ubi Galenus dolorem in substantia dentis, ab eo qui in ipsis gingiuis, atque adeò in ipso neruo, qui ex dente enascitur, separat, sed horum differentias ego accipere malo, prout in carne, neruo, uel dentis ipsius substantia, affectio primùm incipit. Nam neque caro per se sentit: sed neruus ipsius sensus instrumentum est: & quomodo ergo id oßibus continget? Veruntamen alium sensum exhibebit, si affectio in dente primùm, alium si quidẽ ab ipso osse cœperit. Manifestum huius rei argumentum præbet stupor, qui in dentibus est: nam nusquam alibi depræhenditur similis. Quòd autem renascantur præ alijs omnibus oßibus, non est, quia illorum substantia mollior: nã saltem neruis & alijs membranis duriores: sed quia fortunatius alimentum sortiantur, ac non nisi ipsius mandibulæ accessorium, ac quoddam auctarium. Sed de solis doloribus propositum est dicere, qui dentium exortum sequuntur, atque insolentiam, præsertim, inquiunt, quum caninos exigunt dentes: hi enim ut magis teretes sunt, & acuti, ita ad stimulorum naturã magis accedunt, & pungunt. atque id ad expositionem eius loci sufficit. Verùm Galenus huic loco quandam definitionem adiecit: nam ubi Hippocrates inquit, Cùm iam dentire incipiunt, *adijcit,* nec adhuc morantur. *Græca lectio, ὀ μέλλωσι habet: certè ipsam sententiam magis obscurauit, quàm illustrauit: nõdum enim scio, quid uoluit. Cõiectari possum, ipsum significasse, tum præsertim nasci dolores, quum non amplius immi net dentiũ exortus, sed iã iã exeunt. Rectè autẽ tum Galenus, tum Hippocrates hunc dolorem cum quodam pruritu definierunt: ferè enim leuiores causæ, dum paulatim accedunt, hunc sensum inuehunt. Suspicatur aliud Forliuius: nam causam eius putat retentas seminis particulas: atque id absurdum, etiamsi alioqui quàm uerißima esset Galeni sententia, qui*

Diuersum dẽtium opus.
Dentium numerus.
Dentium natura.
Dentes carẽt sensu per se.
Galeni opinio.
Neru⁹ instrumentum sensus.
Stupor dentium.
Dentes renascuntur.
Dentes canini maiorem dolorem mouẽt, quia acutiores.
Difficilis scriptura.
Prurit⁹ ex leuiore & acriore causa.
Absurda Forliuij opinio.

ossa ex semine generat, spatio enim temporis putresceret. Sola ergo huius causa punctio est, qua à dentibus paulatim erumpentibus gingiuæ afficiuntur. Nam quando affatim erumpunt, grauissimos dolores afferunt, atque hic ferè inflammationes sequuntur, conuulsiones, ac febres, præsertim diarriæ. Fient autem aliquando et putridæ, si quidem materia idonea fuerit: nã & citra dolores aut inflammationes, in hac ætate, febres incipiunt: etenim in priori calor erat suauior, quàm qui in febrilem mutari posset. Sed & antehac neruorum substantia solutior, quàm quæ conuelli potuit. potes, si uelis, in conuulsione Galeni commentum ac ferè contrarium accipere, sed tum difficile reddes, cur in priori ætate hæc non apparuerint. Sed siue hanc, siue illam causam inquiras, raro in hac prima pueritia conuulsiones inuenies. Non enim uidetur duntaxat obuios morbos, per ætates, Hippocrates descripsisse, sed qui in ipsis primo fieri possunt, aliquãdo quæsiuisse. Horum autem omnium morborum materia, alimẽti copiam sequitur, à quibus facile asseritur, si quidem uentrem fortunatum, ac lubricum habuerint. in his enim materia, quæ in prædictos morbos abire possit, ferè per uentrem expurgatur. Possunt nihilosecius ac alui profluuia ex dolore dentium per imbecillitatem sequi: facile enim dolor uirtutem exoluit. Est aliud quæstione dignum, cur hic pro uomitu, alui profluuia posuit: an quia uentris os, antea ob humiditatem laxum erat, & nunc paulatim siccius redditur, atque solidius? Iam non omnes ex æquo has ægritudines incurrunt, sed qui sunt crassissimi, inquit: hi enim ab interioribus offenduntur promptius. Quòd tamen temperati (ut Neoterici quidam arbitrantur) his possent asseri, falsissimum: ac frustra de ijs longos logos faciũt: nihil enim tale temperatum in sua definitione continet, sed per accidens multis modis uitiari potest, licet ex se nullis morbis sit obnoxium. Videtur autem mihi ordo uerborum in hoc Aphorismo nonnihil diuersus. Nam conuulsiones crassis magis accidunt, & aluo duris. Proinde melius dixisset, Cũ dentire incipiunt, & maxime caninos edunt dentes, gingiuarum prurigines, alui profluuia. Febres uerò, & conuulsiones his qui crassissimi sunt, & duras habent aluos.

Dentes affatim erumpẽtes grauissimos dolores mouẽt, inflãmationes ac febres, cõuulsiones.

Febres hic incipiunt.

Galeni commentum difficile seruabitur.

In pueris ferè omnium morborũ causa alimẽti copia.

Venter lubricus à multis afferit incommodis.

Alui profluuium sępe natura dolore exoluta.

In hac secunda parte frequẽtior alu[9], q̃ uomitus.

Crassissimi offenduntur prõptius.

Tẽperati etiam sua habẽt incommoda.

Melior uerborum Aphorismi digestio.

APHO

APHORISMVS XXVI.

CVm uerò magis iam adoleuerint, tonsillæ, & uertebræ, quæ est in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos Græci asthmata uocant, calculi, lũbrici rotundi, ascarides, uerrucæ (quas Græci acrochordones uocant) satyriæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipuè antè dicta.

VARII ac multi sunt, qui in proposito numerantur morbi, quorũ methodum si spectes, breuiter omnes ex uno ferè pendent humore, uidelicet crasso, partim frigido, & pituitoso, partim calido & sanguineo. Nã quo temperatura euadit siccior, eo fere humor crassior. Fit autem corpus affatim siccius hic, duabus de causis: nõ enim sola ætas peccantem humiditatem castigat, sed & cibus: antè enim lacte & molliori cibo utebãtur, nũc in omni cibo luxuriant. Scio quòd & in sequentibus ætatibus crescit siccitas, & alimenti ruditas, sed hæc omnia redimuntur, aut etiã uincuntur, ea quæ, illic emicat, caliditate. Etenim sanguis egregiè biliosus esse incipit, & magis caliditas extenuat, quàm siccitas inspissat. Cum multa ergo ratione inflammationes hic potius pituitosæ quàm biliosæ existunt. Sunt autem hæ in duplici differentia: quædam ad suppurationem festinant, ac phymata appellãtur: quædam maiorem duritiem exhibent, atq; scirrhum minantur. utrunque genus hic audies. Eiusdem ferè rationis sunt uermes, & calculi: quippe & hi ex concretione materiæ fiunt, et similẽ quodammodo cum tuberculis habẽt generationem. Clam & in priori ætate tumores numerabantur, ubi conuulsiones referebantur. Non enim conuulsiones ex quauis fiunt materia, sed duntaxat in timorem conflata. Tantum interest, quòd illic non nisi in durioribus describebantur partibus, fortè exterioribus membris: hic uerò etiam in mollioribus, & glandulosis particulis, tales tonsillæ sunt. Nescio an ex eadem causa uuulam omisit, quia tantũ tonsilla uuulam excedit siccitate, quantum ipsa relinquitur à reliqua carne. Ad idem genus tuberculorũ referre licet uertebrarũ luxationes: nõ enim ex casu luxationem intelligit, sed eã quæ spõte aduenit: nec quibusuis,

Ob duas causas hic humores euadunt crassiores.

Breuior occupatio.

In hac ætate inflammationes frequẽtiores ex sãguine pituitoso quàm bilioso.

Vermes & calculi ex materia phlegmatica, & crassa.

Inflammationes pri⁹ obtinebant duriores partes, hic uerò etiã molliores.

Tonsillæ hic potius inflãmãtur, quàm uuulæ.

Vertebrarũ luxatio ab eximio aliquo tumorę.

sed grauibus ortis in ipsis tumoribus: de quibus postea dicetur. Quicunque gibbi ex asthmate fiunt, in pubertate pereunt: non tamen quæ in occipitio sunt, temere adiecit. Sed quoniam hæ, ut superiores, ita tenuiores sunt, ac facilius intenduntur, reliquæ uerò inferiores, utpote crassiores, difficulter à tuberculis attrahuntur. Hoc Galenus dissimulauit, neq; Oribasius, neque alius quiuis, quod sciam, exposuit. Sed neque cur asthmata hic potius, quàm in præcedentibus posuit, Galenus dixit: sed tantùm eius generationis generatim meminit. Quippe destillationibus non minus capiuntur infantes, quàm pueri, quum & antè inter passiones puerorum tusses numeratæ sunt. Forsan ergo ex luxatione uertebrarum, asthmata intelligas: at hæc admodum rara sunt. Est aliud genus difficilimæ tussis, multo frequentius, quod cum asthmate coniungitur: nec dubito, id Hippocrates intellexit, quoniam experientia ipsa ferè omnes pueros hac ætate huic malo obnoxios ostendit. Cur uerò prior ætas tussi, hæc uero asthmati, sit opportuna, mihi apparet in causa materiæ copia: quippe licet hæc ætas nihilo magis quàm prior edax sit, tamen corpus continue magis siccum euadit, & minus nunc quàm antè recipit: quocirca temporis successu materia copiosior euadit, & crassior. De satyriasi nescio quid dicam. Video eius usum dupliciter accipi: quidam pro elephantiasi accipiunt, quidam etiam inflãmationẽ uasorum seminantium sic uocant. Neuter affectus mihi pueris familiaris uidetur. Fortè syriasis primò scriptũ erat. Nã hãc inter pueriles morbos Aegineta describit. Verũ Hippocrates tuberculum aliquod cogitat, qui adijcit, Et alia tubercula, sed præcipue antè dicta. *Secus cogitare poterã, quòd pro satyriasi fortè pthyriasim legendũ erat: nã hic admodum pueris frequens est, & ferè cum tuberculis atque achoribus dictis committitur. Quidam satyriasim pro tuberculis circa aures accipiũt. Verùm ego nescio, quàm hæc pueris familiaria. Oribasius satyriasim inter uerrucas collocat: atq; id nullo modo fieri poterit: uerrucæ enim notæ sunt, atque nunc acrochordones uocantur, dolore uacant, nec inter graues morbos reputari debent. Cornelius Celsus acrochordones nequaquã uerrucas, sed uerrucis similes facit. Sunt enim ex ijs myrmecia, thymia, ac dolore afficiunt. Sed istorum species non est propositum distinguere, facilè*

Vertebræ superiores facilius uiolãtur.

Asthmata ac difficiles tusses hic frequẽtius quàm alibi contingũt.

Nostra suspicio.

In priori ætate tusses, hic etiam asthmata.

Satyriasis diuersa interpretatio.

Oribasius.

Acrochordones uerrucis similes.

Verrucarum genera.

facilè ex ipsius libro quinto est discere. Diuersi generis morbus est (tamẽ ex eadem materia ortum habet) calculus, qui paulatim conglobatur, ac induratur. Sed hîc lapidem, quàm calculum malo dicere: calculus enim appellatur minor in renibus, at pueris ferè generatur in uesica: nam in renibus calor naturalis est fortior, quàm qui generationem eius ibi tolerat: at in uesica aliquando permittit. Econtrario in senibus, sæpius in renibus calculus oritur, quia in ipsis omnis calor elanguit: hinc est illud, quod uulgo dicitur, quòd pueris lapis in uesica, senibus calculus generetur in renibus. Diuersi generis, sed eiusdem materiæ uermes: horum species ascarides parui, lumbrici rotundi, tineæ lati, quidam cereas appellare malunt, alij institas. Ascarides ferè in ano nascuntur, lumbrici in colo, tineæ in cæco: omnes ex frigida & uiscosa materia sunt: sed lumbrici atque ascarides, utpote uegetiores, calorem acrem requirunt: latis uita est ignaua, flaccida, ac sedentaria, ideoque aliquando in utero ipsis innascuntur: nam postea fecum asperitate, & intestinorum motu, illorum generatio intercipitur. Habet Forliuius tum hîc, tum in sequenti Aphorismo, quatuor dubia, sed facilè ex ijs quæ diximus distinguuntur: non enim ab alijs omnino ætatibus ista Hippocrates distraxit, sed tanquam frequẽtiora in his annis posuit. Iã licet pueri & senes asthmate capiantur, nõ tamẽ morbi penitus similes, sed diuersa ratio & occasio. Atque hæc de morbis in fine primæ pueritiæ, principio ac medio secundæ: nam de morbis, qui occupant finem secundæ pueritiæ, nunc audietis statim.

Calculus in renibus senioribus.
Lapis in uesica pueris.

Species uermium.
Ascarides parui, lumbrici rotundi.
Tineæ lati.
Diuersa diuersorũ uermium loca.
Lati ignaui.

APHORISMVS XXVII.

GRandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia sanguinis.

SERMO præsens de morbis extremæ pueritiæ atque pubertati proximæ est: atque huius quidẽ nomẽ omnibus temperaturis est idem, sed terminus ferè uarius. Alij enim decimotertio, alij decimoquarto, alij decimoquinto, alij etiam decimoseptimo primum pubescere incipiunt. Calidi (inquit Galenus) citius, frigidi tardius. Atque in hac comparatione

Pubertatis uarium initiũ.

uelim masculos masculis, ac fœminas fœminis compares. Nam si sexus inuicem cōferas, statim excides: quoniā puellæ, licet masculis frigidiores, citius pubertatem ineunt: causam inquisiuimus, ac tandem inuenimus, quoniā alia in masculis, alia puellis pubertatis ratio: in masculis colligitur ex eruptione seminis, in puellis ex collectis mensibus. Nunc promptius colligitur hic sanguis menstruus, quàm illic semen: etenim hoc perfectū, sanguis menstruus imperfectus. Est autem imperfectum prius perfecto. Vtrunque tamen communiter euenit, quia nutricationem concoctio uincit. Atque hæc satis consonant: illud autem dissonat, quòd mulieres calidæ citius pubescunt frigidis. Nam iuxta priorem rationem, uel inter fœminas econtrario frigidas decebat prius maturescere calidis. Nullum ex his nodis apud alium uidi. uidetur autem mihi nouissimus in eo consistere, quòd non statim relinquatur nutricatio à concoctione, etiam in fœminis, sed temporis succedentis spatio. Etenim ut in frigido corpore modica nutricatio, ita & tenuis concoctio, & non nisi tandem plus congeritur sanguinis, quàm posset apponi. calidæ autem citius quàm frigidæ copiam sanguinis accumulant: itaque citius in ijs menstrua conueniunt, præsertim si fuerint siccæ. In his, si quid peccatum est, ueniam meremur: quoniam ignorare, quàm dissimulare malumus. Primi certe, quod sciā, ista eruimus. Nunc ad morbos præsentis ætatis, hoc est, eos, qui fiunt in fine secundæ pueritiæ, ueniamus. Dixit autem Hippocrates, quòd hic aliquot fiunt ex ijs, qui antedicti sunt: nec mirum, nam temperatura ferè eadem: talia erunt tubercula. Proprij tamen huius ætatis morbi ex sanguine turgere incipiunt. Causam Galenus in commento dixit, corporis siccitatem, quæ minus quidem, quàm prius admittit: quanquam calor æquè multum concoquit. Caliditas enim causa, cur sanguis concoquitur, siccitas uerò cur asseruatur. Est autem una species morbi ex copia sanguinis profluuium, quod etiam tale est, ut à multis alijs ex sanguine morbis, puberes uindicet. Dixit, Aut ex naribus. *quoniam hoc tempore sanguis calidior: qui uerò hoc tempore fluxus per uterum fertur, non est symptomaticus, sed salubris: ideoq; illius non meminit. Fortè etiam hic fluxus sanguinis, eiusdem acrimoniam sequitur: etenim humores hactenus* *igna*

Puellæ licet frigidæ, citi⁹ pubescunt.

Ratio pubertatis in fœminis ex sanguine menstruo, in masculis capitur ex semine.

Generalis pubertatis ratio in masculis & fœminis eadem.

Nodus magnus.

In frigidis fœminis ac puellis tardius quàm calidis copia sanguinis cōgeritur.

Qui mauult disputare q̄ dissimulare, uenia dign⁹.

In hac ætate sanguinis incipiunt profluuia.

Caliditas coquit & mutat & siccitas asseruat.

ignaui, nunc paulo acriores euadūt: atq; in hoc uidetur mihi consistere posterius præsentium morborum genus. Talis etiam est febris: nam ut fumus promptius mutatur in ignem, quàm uapor, ita & calor adolescentum, quàm infantium. Etenim calor infantium, & puerorum, duntaxat uapor quidam est: prouectorum uerò fumus. Nihil ergo mirandum est, quòd hæc ætas ad febres magis, quàm (ex ijs quæ præcesserunt) quæuis alia, sit idonea. Consentit ipsa experientia: nam hìc frequentes febres apparere incipiunt, in prioribus uerò admodum raræ. Ob eandem causam magna ex parte in hac ætate febres acutiores, ac si uelimus uerum fateri, atque experientiam sequi, hìc aliquando incipiunt, postea uerò frequentiores contingunt. Tāto magis nunc me moratur Hippocrates, qui econtrario in hac ætate febres facit diuturniores. Vobis forsan uidetur mirabilis dictio, mihi apparet magis admirabilis ipsius Galeni ratiocinatio, qui febres in prioribus ætatibus acutiores cogitat, propter corporum humiditatem, & potentiæ naturalis imbecillitatem. Noua profectò opinio, ac ratiocinatio, ac dupliciter mihi uidetur excidere. Primùm, quòd naturalem impotentiam imbecilliorem asserat: nam contrarium eius maxime uerū est, quocunque modo quis naturalem potentiam accipiat: quippe naturalis potentiæ imbecillitas potest præcipitare morbum in perniciem, non tamen accelerare ægri salutem. Nescio an hac de causa Laurentianus pro infirmitate, firmitatem reddiderit: sed frustra: nam ex Galeni dissertione satis constat, quòd infirmitatem primò scripserit. Iam ut naturalis impotentia causa est, cur morbus citius interimat, non autem relinquat: ita econtrario potentia causa esse potest, cur homo citius euadat, non autem cur citius succumbat. De antiqua trāslatione nihil dicere oportet, nō enim semel hic aberrat. Ergo Leonicenum seruare oportet, & potius attendere sententiam, quò Galenus spectat, quàm uerba, quibus rem significat. nam calor naturalis, à quò naturalis potentia dependet, sine dubio in prioribus annis fortior est, sed in subiecto admodum paßibili habitat, & ad difflandum idoneo. Hactenus ergo, ac fortaßis respectu subiecti, Galenus potentiam infirmam dixit. Videtur & hoc declarasse prioribus uerbis, quibus humiditatem corporū incusauit. Hinc etiam est, quòd

Fumus citius quàm uapor in flammam uertitur.

Hic febres manifestè incipiūt, postea frequentes fiunt.

Mirabilis dictio.

Mirabilior Galeni ratiocinatio.

Translatiōes contrariæ.

Potentia salutē accelerare potest, perniciem non potest.

Nostra opinio.

In pueris calor naturalis fortior, sed subiectū passioni mag's obnoxium.

omnes

omnes deprӕhendimus, pueros quidem citißime affici, resolui: at ubi semel conualuerint, promptißime refici. Sic & in ӕstate breues in utrunq; terminum morbos diximus, quia id temporis ad resolutionem maxime efficax. Et quid ergo est admirandum, si & corpora ad difflationē idonea, morbos utroq; modo breues patiuntur? Veruntamē quod De impotentia asscriptum est, uacare apparet, saltem ad breuem morborum salutem nihil confert. Sunt & alij quidam morbi, ante eruptionem mensium in puellis, quos (quia ad discrimen sexus duntaxat pertinent) uerisimile Hippocrates omisit.

Pueri facilimè conficiūtur & resumuntur.

Altera dictio de impotentia, uacat.

APHORISMVS. XXVIII.

PLurimӕ autem pasiones puerulis iudicantur: nonnullӕ quidem in quadraginta diebus, nonnullӕ in septem mensibus, nonnullӕ uerò in annis septem, quӕdam uerò iam ad pubem accedētibus: quӕ uerò permanserint, nec in pubertate finierint, puerulis aut fœminis, cùm menstrua erumpunt, cōsenescere consueuerunt.

HIPPOCRATES nullum asscripsit Aphorismum de morbis pubertatis: uel quia ijs similes, qui nuper dicti sunt, scilicet in fine secundӕ pueritiӕ: uel quia pubertas plures tollit, quàm parit. Nō fert autem Galenus, quòd nomen pasionis *quidā ex ueteribus ad solos longos morbos obligauerunt: sed lubrica ipsius redargutio. Nam tametsi nomen* pasionis, *per se morbum indicaret longum, adiectionem acutis, non indignabitur. Grauior imminet illis ex hoc loco accusatio: nam certum est, quòd hic Aphorismus utrunque morborum genus contineat. Etenim morbus comitialis, qui inter pueriles censetur, acutus est, sӕpe pubertate terminatur. Male ergo Galenus de solis longis sententiam accepit: deceptus est, quia nunc quadraginta diebus, nunc septimo mense hos morbos iudicari audit: quos terminos nullus simpliciter morbus acutus cognoscit. At neque in pueris ullus morbus, qui uel septem annis continue durat: tantum abest, ut eum inuenias, qui usque ad pubertatem puerum uexet.*

Morbus comitialis acutus.

Suspecta Galeni commētatio.

Erroris occasio.

*uexet. Sed de curriculis ipsorum morborũ id tantùm intelligitur, quibus
hactenus per interualla recurrunt, ac demum penitus desinunt. Quocirca
uerbum,* iudicari, *largius pro Terminari audiendum est. Terminantur
autem hoc aut illo tempore, non quidem quòd tum aliqua ipsos uendi-
cet perpetuo euacuatio, sed quòd interim mutatur temperatura. Ac pri-
mis quidem octo diebus ex humiditate maius periculum imminet: hinc
fortè neque nomina imponebãtur pueris, neque circuncisio apparabatur
ante octauum diem: nec minus pueros quàm puerperas, hodie ferè ad qua
dragesimum diem obseruare consuetum est. Infans enim, ut maris alga,
adhuc humidus est, ac tum primum membra soluuntur fascijs. Maxima
mutatio ante pueritiam, hoc est septimũ circiter annum euenit. Ita una-
quæque ætas sua habet commoda ferè & incommoda, quippe antiquos
morbos tollit, & alios ferè adducit. Pubertas tamen plures tollit, quàm
adducit, aut saltem sic attenuat, ut tandem reliquarum ætatum admini-
culo penitus absoluantur: nec enim ipse Hippocrates eos simpliciter ma-
nere, sed magna ex parte consenescere dixit. Ergo ij soli hactenus pu-
bertati pertinaciter resistunt, qui in immensum frigidi sunt, aut humidi:
non enim quemuis, sed leuiorem tantùm intemperaturam, ætas castigare
potest. De calidis & siccis affectibus nihil oportet dicere, quòd neque ij,
nisi admodum rarò, à prima ætate incipiunt, & si quando incipiant, pu-
bertate & reliquis ætatibus potius exacerbantur, quàm extenuantur.
addo quòd ferè interficiunt, priusquam huc usque promoueant.*

Iudicari, hoc est, terminari.

Pueri religiosè obseruantur usque ad diẽ septimũ & quadragesimum.

Maxima mutatio ante septimũ annũ.

Pubertas plerosq; morbos tollit aut extenuat.

Morbi eximiè frigidi aut humidi pertinaces manent.

Calidi morbi rarò à principio incipiunt, & pubertate potiꝰ exasperantur q̃ attenuantur.

APHORISMVS XXIX.

ADolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij, sed præcipue antedicti.

*MALE posuit Leonicenus Adolescẽtes, Iuuenes debebat ponere.
Constat ex principio commenti, in quo & ipse consistentem ætatem pro
iuuenili posuit: nam extremam adolescentiam, utpote eam, quæ est inter
iuuentutem & pubertatẽ media, omissam Galenus queritur: forsitàn
tamen immerito: nam per* νεανίσκους, *credo, Hippocrates & adolescentes,*

Leoniceni error.

Duas ætates uno uerbo compræhendit Hippocrates.

atque adeò ipsos iuuenes simul comprehendit, quòd communes quodammodo ipsorum morbi essent. Exempli causa, sanguinis spuitiones adolescentibus ex multitudine: iuuenibus uerò ex eiusdem acrimonia. Sanguinis sputa, communiter tabes sequuntur: ita & febres acutæ, scilicet synochi, ex sanguinis copia: iuuenibus uerò ex eiusdem caliditate & acrimonia. De morbo comitiali nescio quid dicam: fortè id tantùm intellexit Hippocrates, quòd hucusque aliquando duraret: forte adolescentibus oritur ex multitudine uaporum sanguinis, iuuenibus uerò ex mordacibus: nã talem descripsit in nouissimo libro De sanitate tuenda quendam Grãmaticũ Galenus. Certè mihi persuadere non possem, quòd hos morbos potius uictui atq; fortunæ ipsorum iuuenũ, quàm temperaturæ acceptos Hippocrates ferat. Videtur & Celsus hunc Aphorismum communiter de utraque ætate accepisse, ac deinceps utrique ætati suos morbos definiuisse, ubi inquit, Adolescentia ut morbis acutis maxime est obiecta, ita tabi, & morbo comitiali: fereq; iuuenes sunt, qui sanguinẽ despuunt. Sed uidetur melior distinctio, quam antè dedimus. Quòd si Hippocrates omnino adolescentiam omiserit, melius est eam rationem suspicari, quòd hæc ætas, ut per se est maxime temperata, ita per se nullos morbos parit, tantùm per accidens: tales sunt ex sanguinis multitudine, quos potuit intelligere per sanguinis profluuium.

Morbi iuuenibus & adolescentibus saltem in genere communes.

Morb⁹ comitialis iuuenibus ex uapore bilioso, adolescentib⁹ ex multitudine.

Celsi circa hunc locũ interpretatio.

Adolescẽtia utpote temperata per se nullos morbos parit.

APHORISMVS XXX.

VLtra hanc ætatem asthma, id est creber anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationẽ, lethargi, phrenitides, ardores, diuturna profluuia, choleræ, difficultates intestinorum, leuitates intestinorum, hemorrhoides.

LEONICENVS & hanc & præcedentem sententiam obscurauit, quòd ubique loco Iuuenũ, Adolescentes reddiderit: nam ut ex hoc commento constat, saltem Galenus iuuentutem intelligebat. Terminatur hæc, inquit Galenus, quinta hebdomade, hoc est, anno tricesimoquinto: atque ab hoc anno omnibus declinare calor naturalis incipit. Cui respondet,

Iuuentutis terminus.

det, quod in sacris dicitur, Hominis anni septuaginta, ultrà uerò labor ac dolor. Hanc (inquit in proposito Galenus) ætatem alia sequitur, quæ ad duas hebdomadas, hoc est annum quadragesimumseptimum extenditur, quam nūc uidetur appellare consistentē: nam licet opera & munera uitæ hic minus uigeant, adhucdū tamen consistere apparent: in uiris uirilis, in fœminis muliebris ætas appellatur. Reliquas duas hebdomadas, quæ usque ad sexagesimū sunt, prior senectus occupat, aut si mauis dicere, declinans ætas. Hanc igitur Hippocrates in sequenti Aphorismo unà cū posteriori senectute ac decrepita ætate cōplectitur, aut (quod uerisimilius est) simul hìc cum consistente describit. Nam & Galenus in sexto Aphorismorū Aphorismo quinquagesimoseptimo, cōmuniter à quadragesimo usque ad sexagesimum humorem obseruat melancholicum, & si quis à tricesimoquarto anno usque ad sexagesimum annum singula uelit partiri discrimina, aliquot inueniet differentias. Nam usque ad quadragesimum uidetur abundare tum sanguis biliosus, tum ipsa cholera. Simul autem hìc & postea uisitur adusta cholera, nec multo minus succus melancholicus. Nam id ferè omnibus conditionibus est commune, ut quæ alterum humorem, alterum quoq; generent. Sic in autumno non solùm abūdat cholera adusta, sed & altera illa ignaua melancholia. Ratio utriusque alibi dicta, & nonnihil à Galeno dissimulatur: etenim ipse ubique dicere uidetur, quòd autumnus potius bilem adustam excipit, quàm sua temperatura adurit. Atqui id falsum est: nam neque cholera adusta multis annis à iuuentute in consistentem reseruatur, sed hìc generatur. Non autem hæc tantùm dictio Galeni lubrica est, sed & altera, in qua autumnum frigidum asserit. nam id uel ipse alibi redarguit. Atqui agè, condonari potest, nam scio quòd plus frigidum, quàm calidū intelligit. Prædicti ergo humores hactenus præcellere uidentur: sub finem autem huius ætatis succedere pituita. Ergo in tota hac latè ætate singuli humores oboriri uidentur, & singuli singulos morbos facere. Primi quidem sunt tum ex sanguine bilioso, tum ex ipsa bile, nec pauci, sed plures quàm prius in iuuentute: non quidem quòd plus choleræ hìc gignitur, sed quia minus resoluitur. Ac tantum ego à Galeno rursum in commento dissentio, qui hos morbos tum ex bile,

Consistens uirilis ætas.

Prior senect' aut declinans ætas.

A quadragesimo usq; ad sexagesimū melancholia.

Magis exquisita ætatum sectio.

Humor melancholicus, & melancholia ferè simul conueniunt.

Galeni opinio suspecta.

Hæc ætas obnoxia morbis ex quolibet humore.

Plures morbi biliosi hic ferè q̃ anteą.

tum bilioso sanguine nihilo frequentius hîc quàm illic fieri autumat. Sed quod hic exprimitur, ibi subaudiri contendit: nihil enim frustra asscripsit, aut omisit Hippocrates. Sunt autem ex hoc humore non tantùm ardores, sed & pleuritides, & reliquæ inflammationes. Expetiuisset ordo, ut post hos morbos Hippocrates numerasset eos, qui ex cholera adusta fiunt, & rectè eos prætermissos Galenus quæritur, nisi sub hæmorrhoidibus eos descripsit. Nam uel talis humor hàc ire cõsueuit. Saltẽ morbos ex succo melãcholico Hippocrates eo uerbo indicauit: atqui asthmata, lethargi, humoris pituitosi soboles sunt, nec tamẽ statim fieri apparẽt hac ætate ineunte, sed iam finiente, ac senectute posteriori succedente. Et quia de lethargo nullã alibi diligẽter descriptionẽ dedimus, atque obscura est illius apud alios descriptio, ac rara fortuna, nũc (ne alibi excidat) paucis uerbis lubet dicere, quòd lethargi materia humida est, non quidem in ipsis uentriculis cerebri, sed ipsa consistens substantia. Nam si uentriculos infarciret, apoplexum committeret, ac omnem sensum tolleret. Atqui lethargus totum sensum nõ delet, sed momentum aliquod reliquarum operationum retinet, tamen ipsum intellectum uitiat, & omnium fere eorũ, quæ prius gesta sunt, hoc tempore memoriam aufert: quippe à morbo fere redit. Certe rarus est morbus, qui eorum in perpetuum memoriam penitus delet. Habet & hoc lethargus peculiare, quòd ferè cum febre coniungitur. Atque hæc sunt quatuor morborum genera, quæ in hac ætate deprehenduntur. Nam de diarrhœis, intestinorum leuitatibus, difficultatibus, nihil oportet dicere, quia ex singulis humoribus fieri possunt, quidam etiam ex intemperatura simplici. Quòd uerò choleræ ex cholera fiant, ipsa nomenclatura satis indicat. Quòd si aliquando & ex alijs humoribus corruptis eueniant, non tamen ob hoc nomen ipsum mutare oportet, ac more Neotericorũ cholericã paßionẽ dicere: nam & idipsum in multis alijs euenit, quòd nomina non omnibus, sed cõmunioribus causis rei cõpetant, quippe idẽ morbus ac symptoma, subinde aliã atque aliam causam obtinent.

Galeni superuacaneũ supplementum.

Iusta Galeni querela.

Nostra suspicio.

Pituitosi morbi in fine prioris senectutis.

Lethargi definitio.

Rarus lethargus, qui in perpetuum memoriam aufert.

Fluxus ex singulis humoribus, aliquando simplice intemperatura.

Cholera.

APHORISMVS XXXI.

SEnibus spirandi difficultates, distillationes, cum tusse, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articu-

lorum

lorum dolores, renum paſsiones, uertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, uigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, uiſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.

FECIT nobis Galenus magnam difficultatem in priori cõmento, cùm ipſe ſequentem à iuuentute ætatẽ diffiniret duabus tantùm hebdomadis. Nam prior ſenectus durat uſq; ad ſexageſimum annum, aut amplius. Sed neque priorem ſenectutem admodum hîc continere poſſumus, quia hîc loquitur duntaxat de morbis pituitoſis: at in priori ſenectute uſque ad ſexageſimum, ipſo dicente Hippocrate, abundat melãcholia. Igitur priorem Aphoriſmum oportet accipere de cõſiſtentibus, & ſenibus primis, uſque ad ſexageſimum annum: hunc uerò tantũ accipimus de poſterioribus ſenibus, in quibus ferè duplex genus morbi inuenies, alterum ex frigido, alterum ex ſicco. Eſt enim hæc ætas inſigniter frigida & ſicca: excrementis tamen exuperat per accidens humidis & pituitoſis: nam calor in corpore frigido concoctionem non aſſequitur, ſed imperfectum ſuccum relinquit. Tertium ergo in ſenibus morborum genus ex humore pituitoſo: tales deſtillationes, tuſſes, ſpirandi difficultates, eiuſdem generis renum & articulorum dolores. Sola enim pituitoſa ac tenax materia in calculum concreſcit: articuli uerò eundem humorem contrahunt, & ſæpe ex ſimplici intemperie dolores fiunt. Eiuſdem generis ſunt inſigniter uertigines, apoplexiæ: hæc enim omnia ex humorum pituitoſorum naſcuntur uitio. Aliquando hic humor pituitoſus corrumpitur, & pruritus tandem, etiam cachexia, oritur. Nam ubi ſanguis uitiatus eſt, ſuam integritatem caro ſeruare nequit. Quo fit, ut cutem egregiè ſcalpant, ſed pruritum rarò tollant: ægrè enim materia, ut quæ craſſa eſt, & in intima carne moratur, diſſycitur. Aliquãdo citra materiam effatu dignã ſola frigiditas illorum partes infirmat, ſic fiunt ſtranguriæ, diſuriæ. Stranguria, ubi frigiditas ueſicam infirmat: diſuria, ubi muſculo, qui colum ambit, rigorem inducit. His accedunt morbi ſicci: tales inſigniter uigiliæ: nec tamen hæ perpetuò ſenibus accidunt, ſed dum excrementis uacant: quippe ubi frigiditas

Prior de conſiſtentibus & prioribus ſenibus.

Præſens de poſteriorib⁹.

Duplex gen⁹ morbi in poſteriore ſenectute.

Tertium genus morbi ex pituita ſimplice.

Quartum genus ex pituita corrupta.

Morbi frigidi.

Morbi ſicci.

ſiccitatem uicerit, pro uigilia ſoporem eſt deprahendere: ita nunquam modum ſeruant. De glaucoſi aut glaucomate quid dicam neſcio, eſt manifeſta de eo controuerſia. Paulus Aegineta, & manifeſtius Alexander Benedictus, ipſum glaucoma ex ſuperfluo humore generat. Ac facile eſt hos & alios contemnere, & ſoli Galeno credere, qui glaucoma ex ſiccitate cryſtalloidis deſcribit. Sed quid rationi facies, quæ illud cum hypochymate comparat, adeò ut ueteres idem hypochyma & glaucoma æſtimarint? Et ut hoc eſt falſum, ita uel ipſe Galenus illi attribuit, quod ſpeciem hypochymatis exhibet. Tendit autē hypochyma potius ad album: glaucoſis autem (ut ex nomine uelis colligere) ad glaucum, cyaneum, aut cæſium. Et nomen omitto: nam ut in ſanis, ita in ægris ſiccitas, aut eius humoris paucitas, atque limpiditas oculum potius glaucum, quàm alium pingit. Igitur alius hoc uiderit, nobis multum eſt nodum indicaſſe, nunquid glaucum duplicem ſignificationem habeat: aut ita dictum Galeni intelligemus, quòd glaucoma ſimilia habet ſuffuſioni ſymptomata potius, quàm quòd cum eo in colore ſimilitudinem obtineat. Certè rarus in ſenibus caſus, frequentior citra glaucoma, ſimplex ipſius potentiæ hebetudo: atque hæc nonnihil illuſtratur, & comparatur ocularibus: nam dum hîc ſpecies reflectuntur, nonnihil euadunt euidentiores. Atque hæc quidem in iuuenibus tantum obſunt, quantum illic proſunt: ars enim naturam imitari poteſt, aſſequi autem non poteſt: nam multo melius in ipſo cryſtalloide, quàm ipſo cryſtallo ſpecies reflectūtur, donec ipſe, ut in ſenibus, macreſcere cœperit: hic enim præſidio eget. Hebetatur ſecundo loco auditus, quòd hic poſt uiſum inter omnes alios ſit tenuiſſimus. Sed neque alij ſenſus ſuā alacritatem retinent: quippe & olfactus ignauus, & palatum moroſum, ſenſus quoque tactus ſtupidus. Eſt autem omnium horum eadem in genere cauſa inſtrumentorum ſiccitas, & frigiditas, & quòd prætereà ſpiritus omnes hoc tempore obſcuriores reddantur, & quadam externa humiditate potentiæ grauantur. Atque in hac conſiſtit tertium generaliter in hac ætate morborum genus: tales ſunt inſigniter narium, aurium, oculorum humiditates, ut de ijs taceamus, qui prius dicti ſunt. Calidos uerò morbos nullos oportet hic inquirere, quòd ipſa ſenectus ſit admodum frigida,

Senes in ſomno rarò modum ſeruant.

De glaucomate leuior cōtrouerſia.

Glaucus color.

Frequens in ſenibus hebetudo potētię.

Ocularia ubi proſunt.

Ars naturam imitatur, nunquam aſſequitur.

Auditus poſt uiſum hebetatur.

Vna generalis omnium cauſa.

gida, adeò omnes ferè hic morbi ex frigido, pauci ex ſicco. Ergo in priori ætate, morborum differentiæ plures, ſed hic ipſorum fortuna frequentiores: nulla enim hîc temperatura, nulla ferè particula, nullum tempus morbis uacat: & recte uulgo dicitur, quòd ipſa ſenectus morbus ſit. Adeò ego nunc iterum Galenum miror, qui eum Aphoriſmum, Senes iuuenibus ægrotant minus. ſimpliciter acceperit, & uictus beneficio excuſarit: nam conſtat omnes hos dictos morbos, non quidem errorem uictus, ſed ſtatim intemperiem ipſam ſequi. Quare certū eſt, quòd primā ſententiam Hippocrates de acutis tantùm morbis intellexerit: quippe neq; nūc aliquod genus morborū acutorum, inter ægritudines ſenum audimus, niſi forte apoplexiam ipſam. At uériſimile eſt, quòd de acutis febribus id tantùm dixit, quomodo & in primo libro ſcripſit, quòd ſenibus non ſimiliter, ut iuuenibus, febres acutæ ſiunt: frigidum enim, inquit, eorum corpus.

In prioribus ætatib9 morborum differētiæ plures, hic uerò frequentiores.

Poſterior ſenectus morbus.

Mirabilis Galeni excuſatio.

Sola apoplexia ex morbis acutis ſeniores deijcit.

APHORISMOR.
LIBER IIII.
APHORISMVS I.



TERO gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & uſq; ad ſeptimum, ſed has minus. Iuniora autem & ſeniora uereri oportet.

IISDEM fœtus utero alligatur, quibus & nutritur. Sunt autem uenæ, quæ acetabulis, id eſt, oribus uaſorum uteri adnaſcuntur, quæ quidem uincula in principio tenuiora, & molliora ſunt, ſed in proceſſu ac medijs menſibus magis firmātur, ac rurſum in poſtremis, conſumpto omni plus minus humore, quo glutinabantur, facilime ab utero diſcedunt. Argumento ſunt pomorum pediculi. In utroque igitur tempore, facilime externus motus abortum facit. De medi

Vincula, quibus fœtus alligatur, eiuſdem rationis cum pomorū pediculis.

medicamento uerò non apparet similis ratio: quoniam medicamentũ nullum in utero motum, nullam in fœtu aut eius uinculis perturbationem facere uidetur. Etenim fœtus quasi extra corpus in utero circumscribitur, nec medicamentum eò peruadit, sed quodammodo sedentaria est eius opera: ipsum enim in uentre manet. Quantum quoque humores ex omnibus partibus insensibiliter attrahit, tantum abest, ut uincula ipsa in utero aliquo modo concuteret, aut labefactaret. Certè uel externus & quotidianus motus, corpus uteri uidetur magis lacessere, quamuis is citra periculũ ullum, quotidie à mulieribus obeatur. Puto quòd hæc fuerit occasio, cur Auerrois hunc Hippocratis locum conuellat, & potius diuretica, quàm solutiua medicamenta reformidet. Nam ipsa diuretica medicamenta proximius quàm medicamenta uterum tentant. Oportet ergo omnia, quæ aborsum prouocant, numerare. Inuenietis autem multa: nam præter motũ corporis est & motus animi. Sic ira subinde fœtũ excutit, sic metus, quãuis hæc nullo modo uincula conuellant. Non enim cogitare oportet, quòd fœtus quasi res externa, solis uinculis utero alligetur, sed quòd uterus ipse, uiribus suis quasi manibus quibusdam fœtũ cõplectatur, quomodo & in uentre, nedũ intestinis, multa continentur. Nunc per motus animi, sanguis & spiritus, in quo uires habitant, ab utero aliò rapitur, atque uterus quodammodo sui muneris obliuiscitur. Sed & quacunque alia ratione uirtus attenuatur, promptè fœtus elabitur, tametsi nulla iniuria ipsis cotilidonibus facta fuerit. Ita & fœtus quandiu ualet, suis uiribus quodãmodo sese sustinet, mortuus uerò statim suo pondere excidit. Tot modis ergo abortus contingit, ac fortaßis eodem modo medicamentum & motus animi aborsum mouet, quòd in utroque uterus quodammodo sui muneris obliuiscitur, atque aliò rapitur. Iam in purgationibus nequaquam humores sponte decedunt, aut medicamentum solum sequuntur, sed & à natura extruduntur. Ferè autem idem conatus & ad uterum, & alias partes per accidens peruenit, ubi natura quod malignum est, satagit excernere. Hæc Auerrois ignorauit, aut minus accepit: nam neq; cur diuretica hîc suspecta sint, bene intellexit. Non est enim causa, quia uterum mouẽt, sed quia menses cient, ac sperato alimẽto fœtum spoliant. Maximè autem id uerum

In tribus medijs mensib⁹ fœtus firmissimè hæret.

Dubitatio.

Medicamentum licet procul trahat, in uẽtre manet.

Auerrois Hippocratẽ conuellit.

Qua ratione motus animi aborsum prouocat.

Quare mortuus excidit.

Quomodo medicamentum aborsũ prouocet.

Secũdus modus quo medicamentum aborsum mouet.

Auerrois ignorantia.

verum est de diureticis epotis: nam quæ solidiori forma recipiuntur, in uẽtre erudiuntur, ac uirtutẽ ferè amittunt, priusquam ad uterum perueniũt. Iam ergo non solùm diuretica & solutiua in prægnantibus cauenda, sed & phlebotomia. Distinctionem tamen adhibere decet. Nam in primis mensibus phlebotomia, in medijs mensibus purgatio magis admittitur, in postremis neutrum, aut certe admodum religiose. In medijs uerò mẽsibus, ubi materia turget, eam facere oportet, & hoc quidem cum alijs prægnãtibus cõmune. adeo periculosè se habet materia quæ turget. Illud uerò in prægnantibus peculiare, quòd nec post cõcoctionem alterius materiæ purgationẽ ferunt. Vnus est tamẽ locus in quinto libro, qui nos prouocat. Galenus in commento eius Aphorismi, Quæcunque utero gerentes à febribus corripiuntur. *lẽtas febres usque ad partum, perpetuas timet, nec aliam causam eius rei reddit, quàm quòd non nisi leuioribus medicamentis prægnantes tentari possunt. Videte an non is locus manifeste leuiora medicamenta prægnantibus etiam extra morbos turgentes indulgere apparet. Miror, quòd ea res à nemine sit animaduersa. Mihi autẽ uidetur, quòd per leuia medicamenta ea ibi intelligit, quæ duntaxat abstergunt, aut molliunt. Minus pugnat Aphorismus ille, qui morbos acutos in prægnantibus lethales dixit: nam ut in ijs qui certò deplorati sunt, nõ oportet infamari bona remedia, ita per lethale ibi non intelligit certam perniciem, sed incertum euentum. Nouissima quæstio est, an & in septimo mẽse purgare liceat. Nam dictio est ambigua, & quidam septimum quoq; mensem includunt: ueruntamen modus loquendi Hippocratis, ipsum excludere apparet. Omitto, quòd ad hoc significandum forte adiecerit Hippocrates,* Minus uerò has. *non enim prægnantes in reliquis mẽsibus intelligit: nã de ijs dixit,* Iuniores autẽ & seniores uereri oportet. *Igitur per hanc particulam septimũ mẽsem exclusit, aut per has medij temporis prægnantes intelligit: in quibus licet materia quàm maximè turgeat, tamen multo religiosius quàm alibi purgare oportet. Nunc ad commentum ueniamus, ubi inflammationes non nisi post concoctionem purgari permittit Galenus: frustra enim ac imperitè id quoque ab eo dictum apparet: quoniam inflammationes ex sanguine fiunt, quæ nullo medicamento*

Nequaquam quæuis diuretica, sed sub forma potionis exhibita aborsum citant.

Phlebotomia fertur in primis mẽsibus, purgatio in medijs.

Alterius materiæ purgatio in prægnantibus prohibita, uel post cõcoctionem.

Occupatio.

Lentę febres in prægnantibus usque ad partum ferè durant.

Nostra suspicio.

Leuior obiectio.

An septimo mense purgare liceat.

Altera obiectio.

N *purga*

purgari potest. Atque hunc nodum credo alibi exposuimus, quoniam nō tantùm ex sanguine, sed ex bile inflammationes eueniunt, certè paucæ ex sanguine fiunt, quæ bilem permistam non habeant. Et hanc ob causam scripsit Galenus alibi, quòd aliquando pro phlebotomia purgationem cōmutare licet. Vnum tantùm admonere debeo, quòd consistētibus iam inflammationibus in superioribus partibus, sanguinem quidem mittere licet, purgare uerò non licet: nam postquam in pleura aut cerebro materia sederit, uix unquam purgationibus, certe admodum ægrè eruitur, & miraculo simile fuit, quòd uomica pulmonis per urinam sit expurgata: nam ferè contrà per sputum educitur. Hac de causa non uideo, quorsum in his morbis tanta pocula conueniant: nam saltem medicamenta extenuantia, ad locum affectum peruenire debent, neque id integris poculis in pleura difficile continget. Ob hanc causam ueteres ingeniosi uiri, eadem medicamenta, sed sub alia forma, eligmatum scilicet, exhibuerūt: nam hæ eadem uia ad intima pectoris feruntur, qua hinc ad os excrementa deducuntur. Proinde qui multas hîc potiones ingerunt, quid faciant nesciunt. Sunt tamen qui se excusant, & aduersus materiam antecedentē se facere protestantur. Atque horum iterū excusatio peior est quàm accusatio: nam inflammationes omnem suam materiam in loco affecto circunscribunt. Secus, duplex deberet esse in his morbis febris, aut certe fluxus usque ad nouißimum diem perpetuus. utrunque absurdum. Itaque faciunt, ut multa intelligendo, nihil intelligant.

Solutio.

Quare interim pro phlebotomia purgatio supponitur.

In superioribus inflāmationibus ferè semper phlebotomia locū habet, purgatio ferè nūquam.

Materia quę in pectore insedit, purgationem contēnit.

Sola eligmata conueniūt pectori.

Abusus.

Occupatio.

APHORISMVS II.

IN medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia, utilia: quæ uerò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

Galeni obliuio.

VALDE obliuiosè Galenus hîc asserit, inanitionem in primi libri secundo Aphorismo pro omni euacuatione acceptam: nam ibidē pro sola purgatione eam accipit. Et re uera eadem est utrobiq; sententia: quare quæ hîc desiderantur, ex illis oportet apponere. Potius ergo est, ut ea perscrutemur, quæ in commento Galenus differit. Atque hîc primo nobis

bis occurrunt euacuationis species. Altera est, quæ euacuat omnes humores æqualiter: altera, quæ aliquem seorsum et peculiariter attrahit, id est, unum ex tribus humorum euacuat. uulgo sic dicitur, Phlebotomia est euacuatio humorum peccantium quantitate. Purgatio autem eorum, quæ delinquunt qualitate. Scio quòd & sanguis sua quoque qualitate sæpe depræhenditur offendere, & reliqui sæpe humores sua etiam quantitate, & quòd in utroque humore, utrunque uitium reperire possemus. Veruntamen sanguis magis grauat corpus sua quantitate, & reliqui humores magis exercent sua qualitate. Iam neque simpliciter audiendum, quòd phlebotomia omnes ex æquo humores euacuat: nam sanguine magis. Id tantū uolumus dicere, quòd per se à nullo humore abstinet: emittit enim quicquid obuiū est. & quòd plus sanguinis ducit, quàm alterius humoris, ex eo solo est, quòd occurrit copiosior. At medicamentum ubicunque proprium allicit, relinquit alienū, queadmodum magnes ferrum ad se trahit. Est tamen & naturæ sua excernendi uis, quod molestum est: atque optime humores abeunt, quos medicamētum attrahit, ac simul natura expellit. Proba igitur uacuatio amborum facultate obitur & naturæ & medicamenti industria. Non tamē medicamine, quod sanguinē duceret, uti possemus: quia periculum est, ne per intestina ductus corrumpatur, atque in uenenum uertatur. Melius ergo est illū per uenas educere. Fateor, nihil natura frustra protulit, sed sæpe ad alia utilia sunt, quæ cōiunctam pestem habēt. Itaq; hoc illi cū multis alijs uenenis est cōmune. Nunc ad purgationes redeamus; inter quas & clyster numeratur. Proinde ubi Galenus clysterē cum eo genere copulauit, quod æqualiter totum corpus euacuat, non docet clysterem eius speciem audire, sed ambo ad id, quod superfluitatem aliquā euacuat, referre. Eiusdem generis est uomitus, etiā deiectio: atq; id rursum siue per pocula fiat, siue per iniecta. Multo plures sunt æqualis euacuationis species: nam præter phlebotomiam talis est scarificatio, balneum, frictio, per accidens inedia. Est & alia diuisio euacuationum: Nam alia est uniuersalis, alia particularis. uniuersalis, quæ ab uniuerso corpore: particularis, cuius uis non nisi ad peculiarem partē defertur, tam in phlebotomia, quàm purgatione. Vtriusque euacuationis exempla sunt manifesta. Non

Euacuationis species. Phlebotomia. Purgatio. Occupatio.

Altera obiectio. Solutio.

Mirabilis delectus medicamenti.

Proba purgatio & naturæ & medicamēti obitur industria.

Cur nō licet sanguinem p uentrem ducere.

Ferè nullum uenenum frustra.

Galeni locus cautè accipiendus.

Species æqualis euacuationis.

Vniuersalis euacuatio.
Particularis.

Humorũ peccantiũ signa obscura. Tres morbosorum humorum causæ.

est æquè promptum, humores qui expurgationẽ desiderãt, discernere. Captamus autem eos primùm, sed paulo longius ex quibusdam externis: nã malos humores aliquando parit temperaturæ excessus, aliquando uictus error, aliquando cœli iniuria. Poteris deinceps hæc omnia numerosius in ætatẽ, consuetudinem, tempora, regiones discernere: & quidnã ex omnibus sit, quod humorẽ generauit, animaduertere: nam fortè unum, forte plura erunt. Oportet autem hoc ex excessibus illorum cognoscere. Verisimiliter enim quicquid excesserit, & intemperaturam & humores sibi similes parit: quæ uerò mediocritatem seruant, absque suspicione præterire licet.

Color humorem prodit. Splenetici. Hepatici. Stomachici.

Attestatur autẽ his color: nam plerunq; humoris conditionẽ imitatur. Iudicio sunt stomachici, hepatici, & splenetici: horũ enim color liuidus est, ac plumbeus, & nonnihil ad nigrum tendens: illorum uerò pallidus, siue subflauus: at stomachicorum insigniter albicans. Ita & omniũ aliorum morborum, qui contraxerunt longum habitum, ferè humor ac intẽperies ex phantasia corporis proditur. Sed & in pleuritide, pulmonia, phrenitide, febribus acutis, corporis phantasia aliquam humoris peccantis speciem edit. Quippe humorum conditio ex parte temperaturã imitatur, cui habitus respondet.

Humoris cõtracti ex aëre aut uictu incertiora indicia. Morbus ferè suum ac particularẽ sibi uendicat humorem. Excrementa. Præcipuè attendẽdus in urina circul⁹.

Minus arguuntur humores, qui uitiatum aërẽ sequuntur, aut ipsum obiter uictum: sed aëris, uictúsque præsentis ac præteriti naturã conferre necessum est: quæ quia subinde admodũ cõfusa sunt, ad præsentiora quædã morbi indicia confugere oportet. Nã unusquisque ferè humor sua habet symptomata. Sed & morbus ipse non modicum ad hoc momentum habet: quoniam pauci ex omni materia generantur, sed plerique sibi propriam circunscribunt, nouissime & ipsa excrementa momentum afferunt: ferè in hæc humorem peccantem, atque ideo ipsum morbi tempus arguunt. Oportet autem maxime intendere urinæ circulo, quòd hîc ipsius coloris maxima sit repercussio.

APHORISMVS III.

SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt. Contraria uerò grauiter.

SOLA purgatio utilis est, quæ humores malos abducit, & benignos

gnos relinquit. Hac ratione leuiter fertur: priori uerò confert, hoc est, uel totum morbum, uel morbi partem tollit, & naturam alleuiat. Oportet autem hanc alleuiationem ex pulsu & uirtutis proportione colligere: nã aliquando usque ad syncopen expedit euacuare, atque usq; in finem mor bi sæpe exasperãtur paroxismi. Hæc est causa, quare in primo libro quædam euidentiora bonæ & malæ purgationis signa descripsimus. Quæ ex illo loco huc licet repetere.

Duplex natura bonę purgationis.

Opportunã euacuationẽ sæpe grauiores paroxismi sequũtur.

APHORISMVS IIII.

MEdicari æstate superiores magis, hyeme uerò inferiores.

TRIA aut quatuor in ipsis purgationibus oportet obseruare. Primum, ut uenter sit lubricus. Secundum, ut humor concoctus. Tertiò, ex ijs quæ late diximus, humoris coniectanda species. Nec id satis est, sed per quam partem sit obeunda purgatio. Tam multa scilicet obseruanda sunt ab eo, qui feliciter quempiam purgare uoluerit. At uulgus nihil istorum cogitat, sed totum artificium putat pendere à quantitate ipsius medicaminis, quæ ualde facile ex natura ægri, & proportione humorum inuenitur. Nam ubi multi delinquunt humores, uberius: ubi modici, breuius esse medicamentum conuenit. Longè maioris est negotij cognoscere, per quam partem debeat abire: non tamen citra magnam corporis iniuriam in aliam partem humor moueri poterit. Et quidem humor omnis, ut suapte natura grauis est, ita magis descendit, sed natura nunc huc, nunc illuc mouet. Maxime autẽ uaria aëris cõditio, hoc est, quod nũc dicit, Aestate superiores medicari conuenit, hyeme inferiores. *nam æstas bilem, atque alios etiam humores ad superiora eleuat, hyems uerò magis deorsum detractat. Celso tamen potius in hyeme, quàm in æstate sex mensibus uomitus placet. Accepit hunc locum ex libro De uictu idiotarũ, siue is Polybi fuerit, siue Hippocratis: ubi & ipse in hyeme uomitum, in æstate uerò aluum mouet. Rationem ibidem nos quoq; asscripsimus, quia tempore hyemis in superiore uentriculi parte plus nascitur pituitæ, & in inferioribus intestinis tempore æstatis plus redundat cholera. Nunc cer-*

Quatuor obseruanda in ipsis purgationibus.

Vulgus medicorum.

Difficile obseruatur natura motus.

Omnis humor suapte natura grauis ac deorsũ inclinat.

Celsus Polybi imitator.

Concordia.

tum est, quòd pituita in uentriculo nata, compendiosius ducitur per os, quàm tortuosos anfractus intestinorum: & rursum quæ in intestinis collecta est cholera, breuius ducitur ad sedem, quàm superiorem uentrem. Sed Hippocrates hoc loco de uniuersalibus purgationibus loquitur, atq; ijs quæ ueniunt ab uniuerso corpore. Atque hæ proculdubio iuxta diuersitatē aëris uariant. Iam temporibus anni adijcienda conditio loci, regionis, uictus, temperatura, cōsuetudo. Non enim multo minorē hæc, quàm illa, uirtutem obtinent. Forte ergo hoc tantùm uoluit dicere, quòd tempore æstatis plures sunt obeundæ purgationes superiores, quàm inferiores. Non enim ob eam duntaxat causam per superiora purgationem facimus, quia bilis abundat, sed quia caliditas aëris potius ad superiora quàm inferiora prouocet.

Nō quidem particulares, sed uniuersales purgationes pro diuersitate aëris uariant.

Duplici de causa in æstate superiores conueniunt purgationes.

APHORISMVS V.

SVb Cane, & ante Canem, difficiles sunt medicationes.

NON prohibentur simpliciter omnes purgationes sub Cane, & ante Canem: nam morbus sæpe talis, ac tam acutus, ut differri nequeant. Veruntamen cum maiori religione eas obseruare oportet: nam multa est eo tempore resolutio, ac quæ facile lenioris euacuationis uicem subeat. Sed neque excessus ille caliditatis facile medicamenti caliditatem admittet. Priore ratione multo magis hoc tempore phlebotomia prohibetur: imo, dicente Galeno, si regio consenserit, omnino nulla admittitur. Causa est in promptu: nam ubi regio cum caliditate temporis conspirat, æstus est maximus. Deniq; in regione calida nonnihil semper corpus à calido patitur. At in frigida, caliditas æstatis opposita aliorum temporum qualitate compensatur. Iisdem rationibus & in frigida regione per multam hyemem phlebotomiam prohibet, propter infrigidationis periculum. nunquid ergo apud nos, tempore mediæ hyemis admodum frigidæ, in pleuriticis, & febribus acutis, phlebotomiam omittemus? Certè Galenus non uno in loco damnare uidetur. Veruntamen ut potius nos uindicemus à calumnia, quàm ægrum à morbi iniuria, modicè mittam. Atque hæc est fortas

Ob duas causas hoc tempus malè fert purgationes.

Multus æstus phlebotomiam prohibet.

Mirabile Galeni præceptum.

fortaßis causa, ut uel Auicenna phlebotomiam ad euentationem tantũ (ita enim ipsi loquuntur) consulat. Nã quæ legitimè febribus adhibetur, ad refrigerationẽ multa fit, ac affatim. Sed quid precor de ea senties, quæ duas aut tres uncias fundit? Digna effatu non est, neque prodesse potest, neque obesse uehementer. Hactenus ergo utroque tempore suspecta phlebotomia. Sed neque purgatio tantùm sub Cane, sed & media hyeme cum quadam religione obeunda: etenim eo tempore humores adeò compacti, ac meatus clausi, ut non facile medicamentum sequantur.

Suspicio nostra super dictione Auicennæ.

Breuis phlebotomia cõtemnenda.

Media hyẽs difficile fert medicationem.

APHORISMVS VI.

GRaciles & facile uomentes purgare superius, cauentes hyemem.

QVOD ad cognoscendum naturæ motum non solùm aëris, sed & naturæ conditio consideranda sit, ex hoc Aphorismo liquet: tempus tamen magis, quoniam temporis potius, quàm naturæ rationem, humorum motus sequitur. Diximus enim antea, quòd non solùm per superiora in æstate purgamus, quia bilis exuperat, sed quia caliditas ad hæc inuitat. Ita & hyemis frigiditas humores ad inferiora propulsat. Adde, quòd excessus ferè aëris quàm tẽperaturæ plerũq; maior. Igitur tẽpore hyemis graciles potius per inferiora, quàm ratione gracilitatis per superiora purgare oportet. Dixit autẽ Graciles *potius, quã Calidos, uno uerbo et naturã et signũ eius indicãs: ferè enim graciles calidi sunt. tales autẽ biliosi, atq; in ijs ipsis frequẽtius cholera ad uentrẽ regurgitat, quàm ad intestina delabitur. Adiecit tamẽ,* Et facile uomentes: *nam generale est, quòd cogere nolentem absurdũ sit. Ita neq; prius dixit simpliciter, quòd oportet æstate uomere, sed intelligit id dicere magis, quàm hyeme. Quòd autẽ quis prõptè uomat, uel ex consuetudine est, uel uẽtris leuiore imbecillitate. nã ubi solidior hæc pars fuerit, nihil solet recipere, sed ad inferiora & infirmiora detrudere. Huic iterum sententiæ ex opposito aduersari uidetur Cor. Celsus, qui inutilem asseuerat uomitum in gracilibus, atque imbecillem uentrem habentibus. Possem pro eo rationem afferre, quia infirmum uiscus exercendum non est: certe per uomitum frequentem infir-*

Vbique ferè aër plurimã sibi uim uendicat.

Cur graciles aut macilentos potius dixerit, quàm calidos.

Causa promptì uomitus.

Phantasia cõtradictionis.

Pars imbecillis exercenda non est.

mus stomachus imbecillior redditur. Nam quà semel superfluitates purgari cœperunt, perpetuo fluere solent, siue quòd ea pars ad recipiendum sit opportunior, siue quòd ad expellēdum habilior. Igitur de ijs, qui admodum stomachum infirmum habent, ac quodam modo tabescunt, nullam patietur Celsus calumniam: nam & in ijs ipse Hippocrates uomitiones suspectas habuit. Verisimile ergo, quòd & ipse Celsus in uerbo, gracilitatis, affectionem potius morbosam, quàm naturale temperamentum notarit, quoniam omnia sua ab Hippocrate didicit.

Celsi respectus.

Celsus Hippocratis interpres ac discipulus.

APHORISMVS VII.

VOmentes uerò difficulter, & mediocriter bene carnosos per inferiora, cauentes æstatem.

QVOD uomentes difficulter, cuiuscunque temperaturæ fuerint, quocunque etiam tempore, potius sint per inferna purgandi, nulla admonitione opus habet. Adiecit autem, mediocriter carnosos, quoniam egregiè attenuati neutram purgationem tolerant: uel forte etiam id adiecit, ut egregiè adiposos excluderet, in quibus maior est moles ipsius adipis, quàm copia carnis. Tales enim, hoc est egregie pituitosi, nullam purgationem tolerant, potius concoctione & perfectione indigent: addo quòd meatus in his admodum conniueant, & præ bonorum humorum inopia uiribus parum ualeant: hoc est quod Galenus dixit in libro De curatione per phlebotomiam, Intemperanter uiuentes, uinososque uentri ac gulæ deditos, neque sanguinis mißione, neque purgatione magnopere iuueris. Huc quoq; spectat, quod Hippocrates dixit, Qui salubritatem habent corporis, per medicamenta euacuati, citò exoluuntur, & qui malo utuntur succo. Ergo ægris huiusmodi condolendum est, qui purgationes imprudenter expostulant. Sed nullo modo medicis condonandum, qui ipsos frequentibus potionibus uellicant: nam ipsi intelligere debebant, horum corpora ad purgationem parum idonea, ac talia quæ medicationem per epicrasim desiderant. Igitur de solis mediocriter pituitosis sermo est, quos quouis tempore, excepta æstate, melius est per inferiora purgare, quàm superiora. Etenim autumnus ipse, non magis calidos, quàm frigidos humores

Duplex particulę suspicio.

Egregiè graciles aut adiposi neutrā purgationē admodum tolerant.

Galenus.

Repleti malis succis medicationem non ferunt.

Abusus medicorum.

res parit. Ver quoque inter omnia medium est, & ad utramque purgationem mediocriter se habet: melius tamen ad inferiorem, quàm superiorem. Ita & de autumno dico: quoniam magna debet esse caliditas, quæ superiorem exigit, aut inferiorem respuit. Certè nostra corpora occasione regionis, & uictus, melius ferunt purgationē inferiorem, quàm ratione æstus tempore æstatis superiorem,

Corpora nostra etiã tempore æstatis melius ferũt inferiorem, quàm superiorem purgationem.

APHORISMVS VIII.

TAbidos uerò cauentes ad superiores purgationes.

NON solùm superiores purgationes, sed & inferiores Neoterici hîc uereri uidentur, & reuera sunt formidādæ: nihilosecius in principio, priusquam ulcerati sunt pulmones, in medicamine, quod materiam destillantem ad inferiorem uentrem retrahat, Galenus plurimum sperat. Cōtrà, quibus inferior uenter extenuatus est, melius superiores quàm inferiores tolerant. Scio aliter Galenum commentatum esse: ueruntamen ratio docet, quòd in superioribus purgationibus superiores, in inferioribus uerò magis inferiores partes laborent. Sumitur autē hæc indicatio non quidem à motu humorum, sed potius à dispositione ipsius corporis. Anceps tamen huic disputationi imminet argumentum: nam tabidis in fine non apparet conuenire purgatio, quia desperati: nec rursum in principio, quia materia cruda, quam expurgare non licet, nisi turgeat. Ergo ad reuulsionem oportet confugere: nam hanc nutantem, quamuis crudam, licet reuellere.

Tabescentibus statim in prĩcipio purgatio conuenit.

Sinistra Galeni commentatio.

Anceps disputatio.

Solutio

APHORISMVS IX.

MElancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes.

HVGO Senensis hîc, quemadmodum & in multis alijs locis, potius quærere uidetur quod dicat, quàm explicare quod inuenit, dum multas expositiones ab hoc uerbo, superiores, *atque* inferiores *exigit, quas Galenus omnes & nunc & antè rescidit, cùm adiecit,* uentres. *Expediebat magis hîc conferre locum illum, qui in libro* De arte *curati-*

Hugonis ocium.

ua ad Glauco. est, ubi Galenus de curatione quartanæ loquitur, cuius occasio est humor melancholicus. Vtendum, inquit, & uomitibus post cibum continuè: si nihil profuerit, helleborus albus exhibendus est, primũ quidem commixtũ radicibus: quod si nihil fecerit, ipse helleborus: qui uerò nequiuerint euomere, per inferiora purgandi. Demiror profectò, quòd hunc & similes locos interpretes prætereunt, aut dissimulant: perplexus enim sermo est, neque scio quorsum frustra tentato uomitu inferiores purgationes non nisi tandem, quasi minus utiles, permittit. nam cum præsente Aphorismo, ut apparet, manifestè pugnat. Credo igitur, quòd alia in quartana, alia in alijs morbis melancholicis sit purgandi ratio: nam quos morbus nondum torquet, in uenis ferè humorẽ continent, atque hic proculdubio potius per inferiora, quàm superiora elici debet. At uenter eorum qui quartana laborant, continuè multum humoris eius ex splene excipit. Quippe & aliarum febrium materia ferè hîc decumbit. Argumento est, quòd in quartana potius, quàm in alijs omnibus febribus appetitus manet. Quod ego potissimum ratione succi melancholici fieri puto, qui frigidus est, ac siccus, & ad appetitum prouocandum & seruandũ efficax. Hunc ergo potius per uomitum, quàm intestina eijcere oportet, at reliquos omnes melancholicos per uentrem demoliri conuenit. Adiecit autẽ fortius, quòd melancholia crassissima, ac minus sequax sit, sed & sensus stupidiores sunt melancholicis: quapropter acriore medicina illorum naturam uellicare oportet. Adiecit autem, Eadem ratione contraria apponentes, *uel ad biliosos antedictos respiciens, quos per graciles intellexit, uel ad regionem & similia, quoniam & in his contrarijs contraria oportet moliri. Atq; ego demiror, quòd de his nihil explicatius adscripserit: nam ferè nihilo minorem uim regio habet, quàm tempus anni. Hinc est, quòd in nostro Septentrione pro uomitiuis solutiua: econtrario in calidiore meridie, pro solutiuis uomitiua frequenti usu ueniunt.*

Galeni locus difficilis.

In quartanis utilis uomitus.

Alia ratio melancholiæ in quartana, alia alibi.

Nusquã magis cõstat appetitus, quàm in quartana.

Melãcholia parũ sequax.

Septẽtrio inferiores, meridies superiores purgationes amat.

APHORISMVS X.

MEdicari in ualde acutis, si materia turget, eadẽ die. Tardare enim in talibus malum est.

IN primo Aphoriſmorum non ſtatim acutis morbis purgationem conceſsit ante concoctionem, ſed cum præmeditatione id, inquit, faciendum. Et Galenus quidem ibi multas alias conditiones circunſpexit, ſed ſatis conſtat ex hoc loco, quòd id ſolum perpendi uoluit, nunquid materia turgeat. Ipſe enim hîc dicit, Si materia turgeat, tardare malum eſt. Adiecit autem, ualde acutis. *quia uix alibi materia turget. Quòd ergo in ijs ipſis morbis ante concoctionem purgare liceat, ſatis antea dictum eſt: hîc autem amplius adijcitur, quòd etiam eadem die obeunda ſit. Atque id difficile factu uidetur: quoniam primum diem paroxiſmus occupat, in quo ne alimentum quidem conuenit, tantum abeſt, ut medicamentum toleretur. Ac forte uſque ad remiſsionem differes, quæ in eundem ferè diem incidit. Nam materia, quæ in eodem loco turget, ualde bilioſa exiſtit, nec paroxiſmus eius ultra duodecim horas continet, ſæpe etiam pauciores. Sed hîc rurſum phlebotomia occurrit, quæ medicamentum præcedere debet: non enim natura, quantumuis fortis, eodem die & phlebotomiam & medicamentum alacriter feret. Igitur aut purgationem in tertiam diem, aut certe ſecundum differre oportet, aut phlebotomiam omittere, atque id ſatius. Non enim materia turget, niſi ſubtilis admodum, & calida: atq; hæc parum phlebotomiam tolerat, præſertim ubi plures conditiones calidæ fuerint: nam ex Galeni ſententia, ne in tertianis quidem aut continuis bilioſis legitimis recte fertur. Igitur hic primo die, ſed ſtatim ab ipſa exacerbatione medicamentum dare oportet: nam illam decet cauere, niſi forte febris cum inflammatione fuerit: nam hîc eadem hora licet reuellere, neque ſine periculo mihi uidetur poſſe omitti: nam ſi primum diem prætermiſeris, nullus locus reuulſioni relinquitur: ferè enim primo die tota materia irruit. Ob hoc uulgus, quibus intra uingintiquatuor horas ſanguis non mittitur, deploratos reformidat. Quod uerum non eſt, ſed ex ijs ortum, qui materiam fluxam tanto ſpatio circunſcribunt, ac ſtatim inflammatione facta, temere deſperant: quemadmodum & multa alia, quæ uulgo dicuntur, ex iuſto aliquo principio orta ſunt, ſed dũ ratio negligi cœpit, paulo liberalius accepta. Ergo ne longius digrediamur, ubi inflammatio incœpit, quæ per phlebotomiam reuulſionis eget, nequaquam finis pa-*

Galenus nimis ſcrupuloſus.

Noſtra coniectura.

Leuior hæſitatio.

Natura non fert duas euacuationes eodem die.

Materia turgens non admittit phlebotomiam.

Legitime bilioſę phlebotomiam non ferunt.

Febris cũ inflammatione primo die purgationẽ reuulſoriam non recuſat.

Vulgi opinio unde ſub orta.

Nihil uulgo omnino temerè dicitur.

roxismi expectandus est, sed quacunque hora sanguis est mittendus. Testis est Galenus & Auicenna. Idem & de ijs, quæ pro phlebotomia purgatione egent, mihi dicendum apparet: nam temere omnis fit reuulsio, ubi facta est inflammatio. Fateor, neque negare possum, quin paulo ægrius feratur in paroxismo, quàm alibi: sed hic minus incommodum maiori commodo redimitur. Nam leuius hoc malum natura, quàm argumentum inflammationis tolerabit. Tamen si quando constituta fuerit inflammatio, etiã si purgatione uel phlebotomia egeat, potius ad remissionẽ differetur, ne nunc dicã, quòd inflãmationes ferè fiunt ex sanguine, cuius unicus est sæpe usque ad finem paroxismus. Certe in synocho hac de causa nullum tẽpus mittendi sanguinis obseruamus. Potest etiã huc conferre, quòd non statim paroxismus occipit, ubi materia incipit ad aliquem locum affectũ diffluere: sed ubi magna ex parte humor in parte collectus fuerit: nam & in eodem loco putrescere incipit. Hactenus ergo, quod ad tẽpus pertinet, alia est, tum purgationis, tum phlebotomiæ in simplicibus febribus, quàm inflammationibus, obseruatio. Concoctio tamen alimenti in ambobus ut licet ubique obseruanda est: nam nisi cibus paulo antè sumptus perfectus fuerit, neque phlebotomia, neque purgatio admodum competit. Alij (inquit Galenus) etiam horam obseruant, adeò ut non nisi à secunda diei, usque ad sextam, hoc est meridiem sanguinem ducant. Videtur iterum & hæc opinio à quodam processisse principio, sed male intellecto, eorum scilicet, qui quatuor diei partibus, quatuor aßignant humores. Et quidem pituitam dicunt maxime moueri circa noctem, sanguinem ab ortu usque ad meridiẽ. Quòd si quàm maxime ita fuerit, nequaquam tamen hæc res phlebotomiam in totũ temporibus alijs prohibet. Stultior est Neotericorum opinio, quæ in febribus tertianis usque ad tertium diem, donec (ut suspicantur) sanguis cum malis humoribus fermentetur. Nam ubique anticipant, qui sapiunt.

In inflationibus statim in ipso principio sanguis reuellendus est.

Occupatio. Inflãmatiões ferè unicum habent paroxismum.

Non est eadẽ opportunitas euacuationũ in simplicib⁹ febrib⁹ & inflammationibus.

Vbiq; obseruare oportet alimenti concoctionem.

Vulgaris opinio.

Error Neotericorum.

APHORISMVS XI.

QVibus tormina fiunt, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neq; à medicamen-

mento, neq; aliter soluitur, in aquam intercutem sic cam firmatur.

TORMINA fiunt ex spiritu flatulento, & quocunque alio fortaßis humore, aut flatus, aut mordacitatis participe: non tamen in quouis loco, sed præsertim uacuo, qui distingui potest, nec errantibus facile uiam aperit. Talia sunt intestinorum inuolucra, & spatium quod est sub peritoneo, & omento: atque id quidem rarius. Vtrobique tamen ij dolores fieri possunt. Distinguit autem illos hic clàm Hippocrates, quia qui intestinis contingunt, ferè certum sibi locum describunt pro intestini situ: at qui in alterius spatio fiunt, per uniuersum uentrem feruntur. Propterea non erat satis Hippocrati, dixisse, Quibus tormina. *sed adiecit,* Circa umbilicum labores, & dolor lumborũ. *ac si dixisset, Quibus dolor nusquam circumscribitur, sed per uniuersum ferme uentrem spargitur: talis autem ferè sub ipso abdomine consistit. Certius idipsum habueris, si neque medicamento purgante, neque etiam disijciente tandem resoluatur: nam dolor qui in intestinorum uolucris oritur, promptè medicamentis, sæpe sola hiera, aut simili medicamento soluitur, aut certè tandem ijs, quæ flatum disijciunt, difflatur. Hunc ordinem ob eam causam obseruauimus, quia ubi dolor uentris utrunq; medicamentum desiderat, quod purgat reliquum, anticipare debet. Minus medicamento obtemperat dolor, qui prædictum uacuum occupat: nam parum cum uenis communicat, & si semel cesserit, facilime reuertitur. Non enim obiter ibi genitus est, sed habitualem aliquam necessario hepatis intẽperaturam sequitur: nullius enim ibidem alterius partis intemperamentum, talem ibidem flatum conciliare potest. Atque hæc est causa, cur tympaniten maxime præsigni ficet, maxime si tale symptoma à fluxu uentris incœperit: nam ut fluxum sanguinis quacunque ex parte ascites, ita ferè fluxum uentris tympanites sequitur. differentiæ causa nota est: nam minor est intemperies in hac, quàm illa specie, & omnino plus sanguinis, quàm uentris fluxus (diarrhœam dico) hepar infirmat, & infrigidat. An uerò & ex calida intemperie poßit fieri tympanites, iam nõ dicimus. Galenus in quinto libro De*

Tormina neque ex quouis humore, neq; in quouis loco.

Tormina quę oriũtur ab intestinis.

Tormina sub peritoneo.

Explicatio sẽtentiæ.

Dolor in uẽtre faciliorẽ curationem recipit, quàm dolor sub peritoneo.

Superfluum sanguinis fluxum ascites, uentris uerò tympanites sequitur.

Hydropisis e calida causa. Abscissa Neotericorum responsio.

locis affectis, id astruit, & alibi rursum negare uidetur. Neoterici fieri à caliditate audacter asseuerant, atque obijcientibus, quòd omnis hydropisis frigiditatem hepatis sequitur: respondent, frigiditatem hîc audiri pro priuatione caloris naturalis. Vereor autem, imo omnino sequitur, quòd & febris hac ratione morbus frigidus sit. Tam manifesta est in hac solutione confusio. Mallem ego priorem sententiam audire de uulgaribus hydropisis speciebus: nam rara est, quæ caliditatē sequitur. Ac de ijs in secundo Præsagiorum, ubi inquiremus, an & ascites ex caliditate fieri poßit. Tympanites etenim, & ascites, tantùm ratione maioris & minoris differunt, nec tamen semper tympanites ante ascitem euenit: non enim obiter factam, sed constitutam intemperiem morbi sequuntur. hac ratione tamē euenit, quòd in ascite flatus cum aqua, in tympanite uerò aqua cum flatu comittitur.

Tympanitis & ascitis differentia. Leuior occupatio. Quare aqua & flatus ferè permiscētur.

APHORISMVS XII.

QVorum alui intestinorum leuitate laborant, hyberno tempore suprà purgari malum est.

Lienteria potius uentriculi quàm intestinorum leuitas.

MIRABERIS fortaßis, cur potius intestinorum, quàm stomachi leuitas dicatur: non enim is affectus intestinorum est, sed magis uentris. Fortè propter consensum affectio ita est nominata, & re uera non solùm stomachus, sed & intestina hîc negligenter continent: aliàs enim nūquam integer cibus præcipitaretur: quoniam uel in intestinis cibus aliquid patitur. Non consistit autem hic affectus ex uno humore, sed aliquādo ex pituita, aliquando melancholia, aliquando ex ulcere, sæpius ex bile. Verùm ex quocunq; humore fuerit, negat Galenus eam tempore hyemis per superiora posse curari. Nā tametsi bilis sua natura magis sursum feratur, tamen ab hyeme deorsum truditur. Ita quidem nunc commentatur Galenus, & uidetur hunc Aphorismū, exēplum eius qui dictus est, constituere, medicari æstate superiores, hyeme uerò inferiores. Atq; nos huius exemplo de omnibus alijs poterimus similiter subducere. Nā eadem ratione nullus alius morbus hoc tempore superiores purgationes amabit: maius tamen erit illius artificium, atque mysterium, si ex ea speciali

Galeni expositio.

Altera expositio.

cialiter lienteriæ causa audiatur. Nam tametsi lienteria ex quouis potest fieri humore, tamen in hyeme potius ex pituita fit: non enim bilẽ, sed pituitam hyems generat: atque hæc potius per inferna, quàm superna decedit. Alacrior etiam erit sententia, si ad generalem lienteriæ curationem expendatur: nam lienteria in suo genere potius per superiora, quàm inferiora purgari postulat, præsertim si humor, qui lienteriam facit, ex toto corpore fluxerit: quia per uomitum talis materia retrahitur, & expurgatur. Atqui id tempore hyemis minime licebit: tam ægre ad superiorẽ uentrem hyeme pituita ascendit. Vnum hic adijci debet, quòd si uniuersum corpus purum fuerit, ac tota materia pituitosa in inferiore uentre resederit, etiam tempore æstatis ad inferiora debet subduci. Sed ubi ab uniuerso corpore in intestina corruit, potius eget superiore. Quod autẽ hic de lienteria dicitur, tempore hyemis: idẽ de omnibus alijs morbis pituitosis, qui tales sunt, ratione hyemis dicere conuenit. Sed maluit ubique Hippocrates id quod generale est, uno exemplo dicere, quàm idipsum confusè asserere.

Alacrior expositio.

Necessaria distinctio.

APHORISMVS XIII.

AD helleboros, qui non facilè suprà purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo atq; quiete humectanda sunt.

HELLEBOROS dixit, quia tã albus, quàm niger uomitũ prouocat, et in libro De cur. ad Glauc. Galenus albũ exhibet. Est tamen niger Neotericis commẽdatior, quibus ab illo periculũ strãgulationis imminet. Est autẽ utriusq; uis acris ac uehemens, ac à longissimis partibus materiã attrahens, & nisi corpus ad uomitũ habile fuerit, periculũ est, ne ibidem materia subsistat, ac malignum aliquod symptoma inferat: quale & ijs imminere dicebamus, qui deiectorium medicamentum sumpserint, ac propter uentris duritiem retinent. Igitur ut hîc intestina ipsa mollia reddere oportet, ita & illic ipsum stomachum, quatenus materia attracta facile reijciatur. Verùm alia & alia utriusq; ratio: nam hic fecem, atque adeò ipsam saburram diluimus: ibi uerò ipsius uentris os. Nam quòd quis difficile uomat, ferè in causa est ipsius firmitas, quæ ægrè humores recipit:

Hellebori uis.

Ante deiectionem oportet intestina, ante uomitũ uerò stomachũ mollire.

Causa difficilis uomitus.

pit: & si semel receperit, alacriter iterum retrudit. Ferè autem hanc firmitudinem illi siccitas parit. Proinde horum stomachum antea tum quiete, tum pleniore cibo, non quidem acri, sed suapte natura humido, oportet humectare, & quodamodo laxare, & potius à cœna, quàm ante omnem cibum, uomitum mouere. Neque est eiusdem periculi cum solutiuo: nam uomitus cibum sursum duntaxat præcipitat, solutiuum per inferiora, etiam altius per corpus agitat. Atque hæc quidem mihi uidentur ad expositionem Aphorismi sufficere, sed nobis nouam difficultatem Galenus efficit, ubi solidas partes humectari consulit: nam in alijs locis id in solidis posse fieri negat, ubi ipsorum siccitatem incurabilē habet. Igitur (ut alibi diximus) in singulis partibus duplicem humiditatem intelligere oportet, instrumentalem, & similarem: & hanc quidem reponere in solidis forte uel in carne possumus: at instrumentalem sæpe reponimus. Est autem hæc duplex, altera accidentalis, altera naturalis: atq; hæc est, quæ ros appellatur, & in substantiā uertitur. accidentalis uerò partem quidē diluit, sed non nutrit: talis est aqua: nutrire enim nequit, sed sufficienter externa humiditate unamquamq; partem diluit. Veruntamen hæc distinctio parum proposito cōuenire uidetur: nam utroq; ad mollificationē uentriculi utimur, atq; adeò ipsa aqua tepida magis.

Facilimus uomitus à cœna, sed purgatio per inferiora periculosa.

Solidæ partes humectari nequeunt.

Humiditas similaris & instrumentalis.

Os uentriculi multis modis humectatur atq; laxatur.

APHORISMVS XIIII.

CVm quis biberit helleborū, ad motiones quidem corporum ducere magis, ad somnum uerò atque quietem minus. Indicat autem nauigatio turbari motione corpus.

GENERALIS est hæc monitio, ut corpus, quod purgationem accepit, potius motui studeat, quàm quieti indulgeat. Causa est in promptu: quia motus humores in uenis mouet: quies uerò quietos retinet. Iam quies cogit, motus fundit: sequuntur autem facilius moti, quàm quieti. Cōmuni autē ratione tam currus, quàm nauis, uomitum prouocat: quia magis superiores partes, quàm inferiores exercet. eadémque ratione nauigatio perturbat magis: nam & conspectus aquæ motæ nonnihil turbat. Argumento

Motus purgationem promouet, quies cohibet.

Currus & nauis peculiariter uomitum cient.

Conspectus aquæ motæ.

mento est, quòd potius uomunt, qui in littore, quàm qui in mediterraneis locis uehuntur. Problema quidem hoc physicum est, sed ratio reddi potest, quòd conspectus rei motæ magis lacessit, quàm quietæ. De ijs autē in Celso nostro latè diximus, ubi & illud inuenies, cur ambulatio ante cibum uentrem stringat, post illum uerò lacessat, utrunq; tamen motum, ubi cœperit humor moueri, ambulatio adiuuat, nec solùm inferiores, sed & superiores purgationes promouet. Et de hac nunc puto loquutum Hippocratem.

Ratio problematis.

Ambulatio ante cibum stringit, post cibū uentrē ducit.

Ambulatio superiores, nedum inferiores purgationes citat.

APHORISMVS XV.

CVm uolueris magis ducere helleborum, moue corpus: cum uerò sistere, somnum facito, & non moueto.

NON est huius cum priore eadem sententia, sed prior à purgatione motum consulit: hæc uerò pro uaria medicamenti fortuna plus ac minus motum remittit, atque intendit. Nam id quod nec dici, nec scribi potest, id quantitas in unoquoq; est, adeò impoßibile est, præscire, quantum in corpore nostro uitium humorum sit. Aliquo tamen modo id ex regionis, aëris temperatura, & ipso uictu est coniectari: proximior ex morbis ipsis artificiosa coniectura capitur: quoniam acuti quàm longi morbi, ac febres continuæ, quàm intermittentes, maius onus habere solent. Deniq; maior est materia, ubi omnia consentiunt sibijnuicem, quàm quædam tantùm. Præterea alacrior natura breui, torpidior liberaliori medicamine opus habet. Iuxta hæc humoris deijciendi quantitatē, & medicamenti modum cōijcere debes. Atque ita quidem prope ad ueritatem accedes, sed ipsam exactè quantitatem nunquam attinges: saltem illud in manu nostra nō est, exquisite tantum ducere, quantum abundare cogitamus. Nam si forte opinione nostra natura fuerit sensibilior, plus ducetur: si uerò stupidior, ac segnior, minus: tunc igitur secundùm ea quæ hic dicuntur, ibi somnum, & quietem, hic uerò uigiliam & exercitium adhibere conuenit: nam quies, & adhuc magis somnus, humores cogit, ac intrò uocat: at uigilia & exercitium contrà humores eosdem similiter medicamento extrà uocant,

Quantitas humorum exquisita conijci nequit.

Morbi acuti ferè ex copiosiore consistunt materia quàm longi.

Consensus materiæ arguit multitudinem.

Ex quibus capatur medicamenti quātitas.

Medicamenti uis somno, quiete frangitur, contrarijs promouetur.

spargunt, ac fundunt. Oportet autem intelligere, quòd duplices sint purgationes, quas retinere decet: nã aliæ à principio malæ, aliæ postea superfluæ. In prioribus parum somnus confert, sed aut uomitu, aut cataclysmate, quàm primum oportet medicamentum eluere: in posterioribus licet medicamentum cesserit, tamen purgationes procedunt. Tãta uis humoribus est impressa, quam somnus satis cohibet: nam & tempestatem in humoribus sedat, & si forte modicæ medicamenti particula relicta fuerit, à calore fortiore dissipatur. Præstat tamen hoc iure aliquo eluere. Proinde ut lõgissimè à cibo, ita non nisi post somnum iustum medicamentum exhibendum est: neq; coniectari possum, quid quibusdam in mentem uenit, ut à prandio, uel media nocte, uel etiam paulo ante nouissimum somnum, bolos, aut pillulas exhibere consueuerint. Idem sentio de ijs, quæ mox à cœna sumuntur. Nam de ijs, quæ ante cœnam sumuntur, iam ante nos aliqui merito dubitauerunt, ac suspectas habuerunt: maior tamen pars approbauit, quòd fortasse minima catapotiorum portio magnam alicuius frequẽter excretionis phantasiam faciat. nam ex una nonnunquam pillula sumpta sunt, qui aliquando tres, aliquando quatuor, aliquãdo plures deiectiones experiantur. Verùm eas ea res mihi magis suspectas fecit: nõ enim tot sedes mihi uidentur mouere, quòd multos è uenis humores eliciant, sed potius quòd cibum heri sumptum unà deijciãt. Ac id ex eo manifestum est, quòd qui easdem mane sumpserunt, ignauas inueniant. Idem ego quoq; uereor ab ijs, quæ statim post cœnam assumuntur: certè unica pillula intra modum sumpta, nunquam tantas è uenis purgationes facere posset, uel ob id quòd iustum medicamentum cibo ac potu sumpto diluitur, aut certè dicente Hippocrate obtunditur. Ergo sola acrimonia uentrem uellicat, ac præcipitat. Iam potiones solutiuas nemo statim à cibo exhibere auderet, ueritus stomachi plenitudinem: tantoq; magis miror, quòd istud ausi fuerint in pillulis, cum potionibus pleræq; pillulæ acriora medicamenta recipiant. Fateor, Galenus in Therap. sua, & alibi, uesperi pillulas exhibet, sed à cibo longissimè. Vellem igitur scire, qua ratione id primùm persuasi sunt facere: an forte, quia solidior earum substãtia, propterea ijs tanquam difficilioribus somnum cogitauerũt adhibẽdũ. Certe aliquid mihi tale ab illis

Duplicẽ purgationem cohibemus.

Sæpe expulso medicamine fluxus perdurat.

Multis modis somnus uim medicamenti sedat.

Medicaméta solutiua tantùm mane exhibenda.

Multiplex recentiorũ abusus.

Causa erroris.

Eadem pillula mane sumpta est ignaua.

Medicamẽtis per cibũ & potum obtunditur.

Diuersitatis causa.

Occupatio.

Erroris principium.

illis uideor intelligere: nam propterea quos bolos appellant, tanquam mediam habentes substantiam, inter potiones & pillulas medio tempore exhibent. Sed omni ratione hæc caret medicatio: nam si uehementiam pillularum timuerunt, tutius erat illarum pōdus ab initio minuere, quàm somno illarum uehementiam restringere. Omitto, quòd nihil eorum suum exercitium bene potest exercere, hoc est, à uenis per mesaraicas trahere, nisi prius cibus percoctus fuerit. nam quomodo per mesaraicas humorem longe deducet, si quidem ipsæ crasso adhuc succo, & imperfecto fuerint infarctæ? Nihil ergo eorum exhibendum, donec cibus duplici concoctione fuerit perfectus: nam neq; in acutis sanguinē mittere licet, nisi ipso perfecto. Forsitan ab hoc sermone aloën, & similia medicamenta segnia quis excipere uelit: nam hæc non nisi multo pòst tempore uim suam edunt: ueruntamen ne hæc quidem ante primam concoctionem exhibere licet: cætera omnia quàm longissime à cibo oportet distrahere, in quam rem & pridie cibum extenuamus. Dupliciter ergo offendere mihi uidentur, qui uulgata ex polypodio, cartamo, agarico, à prandio hora quarta exhibent: nam & cibum in prandio sumptum impellunt, & futurum in cœna impediunt: lenta enim huiusmodi decocta præstaret longius, quàm quæuis alia, ante cibum sumere: nam neque stomachum liberum inueniūt, sed cibis ferè onustum.

Pillulas summa nocte. Bolos medio tempore. Potiones mane. Ratio absurdior ipsa dictione. Cibo crudo infarcto medicamentum propte à uenis trahere nequit. Aloë diu opus suum differt. Dupliciter offendunt, qui solutiuum à prandio exhibent.

APHORISMVS XVI.

CArnes sanas habentibus, helleborus periculosus: facit enim conuulsionem.

SANOS uno uerbo intelligit. Non oportebat autem id tātùm de helleboro, sed de omnibus licuit dicere medicamentis solutiuis. Quod ergo de solo helleboro dixit, in causa fuit, uel quia multa antea de helleboro scripsit, uel quia generale uno exemplo ostendere: fortasse etiam, quia ut alijs multis helleborus potentior est, ita & periculosior. Quippe triplex est corporum, quæ purgatione egent, & etiam ipsorum quæ purgant medicamētorum differentia. Prima est eorum, quæ ea euocant, quæ in uentre sunt: qualis est hiera. Secunda sunt eorum, quæ ex uenis humorem peccantem

Triplex corporum & medicamentorū differentia. Hiera abducit ex solo uētre.

Quædam ex ipsa etiã carne trahunt.

Cur potius helleborum prohibuit q̃ alia.

eliciũt. Tertia eorum, quæ ex ipsa carne eliciũt: cuiusmodi est helleborus, colochyntis, scammonium. Igitur si sub sanis complectatur, neutra forsitan helleborum prohibere potuit: reliqua debiliora medicamenta non potuit, quia præseruatio per mediocria medicamenta paratur. Forsitã absolutè de sanis est loquutus, quibus alia medicamenta alia incommoda af ferunt: helleborus etiam, conuulsionem. Sed hoc multo facilius est audire, quàm intelligere: quippe humores qui immodice medicamentum sequuntur, nihil ad neruos pertinent, etenim solidi sunt: & quomodo ergo multã euacuationem statim conuulsio sequitur? an quia spiritus, qui omnia implet, affatim euacuatur? an potius, quia uenæ, quæ musculis insident, inaniuntur? Videtur id Galenus alibi inquisiuisse, sed parum reddidisse. Verùm de his latius in quinto.

Quomodo superflua purgatio conuulsionẽ faciat.

APHORISMVS XVII.

SI quis febrẽ non habens, abstineat à cibo, & cordis morsum seu uertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit: purgatione egere per superiora significatur.

SI QVIDEM uni causæ effectrici unum responderet tãtùm symptoma, facilima esset morborum cognitio. At nunc aliter euenit, adeò ut unumquodque plerunque plurimas causas habeat. ita & in proposito nostro accidit. Inappetentia enim non tantùm choleram, sed & cuiuslibet alterius excessum sequitur, bilis tamen magis: nam siccitas per se, aut illi coniuncta caliditas, nonnunquam sitim excitare potest, famẽ uerò nunquam. Scio quòd caliditas magna nonnihil adstringat, uerùm propter excessum qualitatis potius sitim, quàm famem commouet. Est, ubi immodica frigiditas appetitum extenuat. Ergo quæ qualitas in causa sit, ex alijs distinguere oportet, ut ex multis communibus aliquid proprium constituamus. Et familiare quidem choleræ est, quòd mordeat stomachũ: uerùm & id salsæ pituitæ obtingere potest. Omitto, quòd & flatus membranosa corpora nonnunquam pungere uideatur: quare nequaquam ijs contenti, ad reliqua respiciemus, quæ cholerã potius, quàm pituitam

Multa fastidium inducũt

Siccitas nunquam mouet famem.

Occupatio.

Immodica frigiditas appetitũ abolet.

Familiare choleræ.

Commune choleræ & alijs.

tuitam insequuntur. Est autem inter reliqua oris amaritudo: sola enim cholera hoc potest: nam immista pituita potius salsedinem parit. Verùm cholera semper ex uenis sursum fertur, aliquando etiam ipsi uentriculo insidet, atque impacta iacet. Igitur amplius uertiginem adiecit: nam hæc non nisi humoribus sursum sublatis fieri solet: aliquando tamen uertigo materiam insidentem cerebro, atque adeò pituitosam arguit: proinde nequaquam ex uno solo, sed omnibus simul oportet motum morbi intelligere, priusquam poßis bene humoris speciem ac naturæ motum inspicere. Ergo Aphorismus iste exemplum exhibet eius, qui prius dictus est, Quæ ducere oportet, per loca conferentia eò ducere oportet. *cur igitur dixit,* Si quis febres non habens &c. *Sane uel quia ijs cum maiori religione medicamenta exhibenda sunt, uel quia in febribus cauere oportet paroxismorum uicißitudinem. Fortè etiam* nō febricitātibus *dixit, ut nos ab instantibus crisibus deterreret: ferè enim hæ solæ in febribus eueniunt, neque has oportet medicamento anticipare, sed sinere. Forsitan respexit, quòd ista in febribus ostenderent locum affectum, &, ut uocant, sentinam ipsius paroxismi potius, quàm motum naturæ. nam in singulis ferè tertianis nausea est, & morsus, oris amaritudo: idq; potius quia materia morbi elabitur, quàm quia natura eò uertitur: id enim duntaxat euenit post concoctionem. Atq; hæc quidem suspicio mihi apparet melior.*

Sola cholera amara est.

Vertigo quid significet.

Vnum signū fallax.

Multiplex suspicio.

Nouißima coniectura.

APHORISMVS XVIII.

SVpra præcordia dolores purgatione indigere per superiora significant. Quicunq; uerò inferiora indolescant, per inferiora.

NON solùm ea uomitu deijciuntur, quæ in stomacho collecta sunt: uerumetiam ea, quæ ab uniuerso corpore huc ascendunt. Hoc crises per uomitum manifestè ostendunt. Neque rursum per uomitum discedunt, quæcunque simpliciter supra præcordia existunt: sed contrà subinde per inferiora abeunt. Ergo dolores supra præcordia audire oportet eos, qui sunt in superiori stomacho: inferiores uerò, qui sunt in inferiore eius parte.

Breuis sententiæ explicatio.

Proxima quę appellanda.

Atq; hæc quidem indicatio à loco deſumpta eſt, iuxta quam humor ſemper per proxima medicandus eſt. Oportet autem proxima intelligere, non ſecundùm externam corporis phantaſiam, ſed naturalem partium deriuationem, & ſucceſſum. Ita quæ in uenis ſunt, promptius omnia, & compendioſius per inferiorem quàm ſuperiorem uentrem abeunt. Etenim omnia ad meſaraicas uulgo appellatas uenas ex alto regurgitāt: unde breuius per inferiora, quàm ſuperiora traducuntur.

APHORISMVS XIX.

QVi in medicamentis purgati non ſitiunt, non quieſcunt, priuſquam ſitiant.

Incertus terminus.

Cauſæ ſitis inter medicandum uariæ.

In bilioſis deiectiōibus aliquando ſitis creſcit, aliquando decreſcit.

Aphoriſmus intelligitur in ſolis pituitoſis purgationibus.

Qua ratione in pituitoſo uētre purgatio ſitim excitat.

Non omnes pituitoſi ſtatim ſitient.

Quidam nō ſolùm non ſitiunt, ſed etiā omnē potum faſtidiunt.

PERICVLOSA eſſet in quibuſdam hactenus purgatio, utpote ijs, qui ex natura ſua non admodum ſunt ſiticuloſi: quibuſdam uerò econtrario inſufficiens: nam quidam uel priuſquam purgentur, ſitiunt: quidam ſtatim in principio purgationis ſitire incipiunt, dum humor acris, qui in uenis hærebat, fortè fortuna ad uentrē rapitur. Hoc (licet obſcurius) Galenus in commento dixit, ubi ait, Propter humorem euacuatum, quando amara bilis fuerit. Poteſt etiam econtrario fieri, ut hi paulatim minus ſitiant, utpote in quibus bilis deijcitur, quæ antea ſitis cauſa fuit. Melius eſt ergo, hunc Aphoriſmum de pituitoſis intelligere: hoc & ipſe Hippocrates ſatis declarauit, ex eo, quod dixit, Qui in medicamentis non ſitiunt. At neque de omnibus illis ſermo eſt integer, nam tametſi ſtomachus probe perpurgatus eſſet, nondum uniuerſum corpus ſtatim ac ſufficienter eſt emunctum. Itaque de ſolis pituitoſis affectibus in uentriculo intelligemus: quippe abſterſo humore frigido & humido, qui in uentriculum incubuit, ſtatim ſubſtantia ſtomachi à medicamine mordetur, atque exiccatur. Obuenire tamen poteſt aliquis ſtupidior, cuius emendatus ſtomachus medicamenti acrimoniam cōtemnat, uel ob eam cauſam, quòd medicamentum non diu in uentre moratur, ſed ſtatim præcipitatur. Forte etiam Hippocrates neque hos omnes, ſed eos ſolos, quibus uenter multa pituita oblitus eſt, adeò ut æger potum omnem faſtidiat, purgare docet, donec ſitiant. Hæc ſententia nullam habet difficultatem, & ad

omnia

omnia exemplum quoddam est: nam qui præter morem uigilat, aut dormit, hactenus fere purgãdus est, dum ad priorem indolem redeat. Hugo intelligit, Hippocratem superfluas purgationes duntaxat hoc loco sistere. & potest ferri interpretatio, ueruntamen uidetur ab Hippocratis mente aliena.

Sententia generalis ad multa alia.

APHORISMVS XX.

NOn febricitantibus, si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari inferius oportere significatur.

IN obeundis (diximus) purgationibus, primùm coniectari oportet speciem humoris: nam alius per inferiorem, alius per superiorem magis purgari amat. Secundo loco affectum: nam ferè affectus cupit purgari per proxima, ante uerò omnia naturæ impetum. Tormina, & lumborum dolor, locum affectum indicant, & præterea naturæ motum, genuum grauitas, fortè etiam humoris speciem: nam grauitas frigidum, punctio calidum humorem sequitur, sanguinem cum pulsu distentio. Potest etiam genuũ grauitas significare humorum decursum, nihilo tamẽ promptius descendit per inferiorem uentrem humor, qui in genibus est, quàm qui in brachijs. Potius ergo fuerit diffinire, quòd hæc symptomata tribus locis eueniunt. Primò in morbi principio, ac tãtùm morbi naturã arguunt: aliquando in morbi fine eueniunt, ac iuxta illud, quod antè diximus, Quibus tormina, & circa umbilicum labores, conatum excretionis præsagiunt. Idem dixit, Quibus ilia suspensa murmurant, lumborum dolore superueniente, ijs aluus humectetur. Hæc ergo naturæ permittenda: sola ea quæ in medio morborum ac ferè longorum contingunt, ad purgationis imitationem nos inuitant. Distinguetur idem ex natura loci: neque enim bonus aut opportunus potest esse naturæ motus in pleuram, in cerebrum, in pulmonem. Tertiò idem cognoscitur ex morbi tempore, & excrementorum qualitate. etenim à crudis etiam motis abstinere oportet: concocta uerò humorum motum indicant, & sunt plerunque eius motus manifesta signa. nam ubi materia ad uentrem & intestina moueri cœperit,

Tria in obeũdis purgationibus consideranda.

Grauitas. Punctio. Distentio.

Genuum grauitas tribus modis euenit.

Non omnis grauitas genuum nos ad purgationes inferiores inuitat.

Ad interna uiscera oĩs motus reuellendus.

Omnis purgatio humoris crudi cohibenda.

Signa naturę inclinãtis ad uentrem.

rit, tormina facit, ac lumborum dolores: genuum grauitas per accidẽs euenit: nam dum humores per uentrem ad intestina feruntur, illorum quædam portio obiter ad genua præcipitatur, non enim semper rectà per uentrem descendunt: atque hîc genuum grauitas sequitur. Longe autem alia ratione cachecticis ipsorum grauitas accedit: quippe imbecillitas est, quæ facile uitium stomachi sequitur. Accedẽtibus ergo his signis post concoctionem, motus naturæ arguitur, quinetiam si segnior est, medicamentũ desiderat. Hæc sunt, quæ Galenum tertio De crisibus adscribere oportuit, ubi signa crisis per uentrem desiderauit. Sed de ijs ibidem. Cur uerò febricitantes iterum exceperit, neque alibi Galenus definit: at ego in causa esse puto (ut dixi) quòd uel paroxismos, uel crises cauet, uel quia usus medicamentorum calidorum hîc magis, quàm alibi periculosius est: aut rursum, quia hæc aliquando solam rationem morborum sequuntur, tanquam symptomata. In multis enim paroxismis & tormina fiunt, & lumborũ dolores, materia decumbẽte ad intestina, quamuis alia postea natura morbum sit expurgatura.

Genuum grauitas in cachecticis.

Multiplex particulæ cõiectura.

APHORISMVS XXI.

DEiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, spõte uenientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ, & quãto colores magis praui fuerint plures, peius: cum medicamento uerò melius, & quanto colores plures non praui.

SATIS sæpe, à nobis discrimen atribilarij succi, atq; ipsius atræ bilis repetitũ est, ut nunc omittere possimus, uel ob eam causam, quòd Galenus in commento idem obiter ostendit. Iam in tertio ab hoc Aphorismo luculentius idem facit. Igitur hoc tantùm addendum est, quòd quem alibi succum aut fecem melancholicam appellat, hîc nigram nominat. Est enim, inquit, qualis sanguis, non quidẽ naturalis (is enim rubicundus est) sed niger, ut tertius Aphorismus ab hoc exprimit. Nam licet hic Aphorismus non habet, Galenus in commento suppleuit. Leonicenus tamen ultra inuentum idipsum expressit. Parit uerò huiusmodi succus uarios morbos,

Supplemẽtũ.

bos, nonnunquam febrem quartanam intermittentem, aut cõtinuam, aliquando uerò elephantiasim, aliquando tumorem aliquem, aut in splene, aut alibi committit. Certe ij sunt præcipui morbi, in quibus huiusmodi deiectiones expectari possunt.

Morbi ex fece aut succo melãcholico.

Proinde quas Galenus narrat se uidisse in pestilentia, potius sanguis erat denigratus, qualis in anthracibus uisitur, quàm succus melancholicus: nisi forte uera atra bilis erat, ex adustione choleræ: huic enim attestatur, quòd dixit præcessisse flaua, subrussa. Certè ipsa febris pestilens minime ex fece melancholica consistit.

Galeni locus dubius.

Febris pestilens non potest fieri ex fece melancholica.

Sponte autem uenientes, secundùm Galenum, dixit Hippocrates, quæ non uno tẽpore, sed pluribus diebus procederent: atqui id sine periculo fieri non potest. Nam omnis naturalis expurgatio paucis diebus perficitur.

Dura Galeni expositio

Verùm (ut mihi apparet) difficile poterit Galenus uel in hoc, uel in alio autore, uerbo uenientes, talem uim asserere. Mallem ergo per sponte uenientes, quæ ante statum ueniunt, intelligere, aut idipsum ex sequenti Aphorismo adscribere.

Nostra expositio.

Nam licet cuiusuis humoris deiectio sit mala, in principio tamen pessima melãcholiæ. Imò non solùm in principio huiusmodi deiectio est mala, sed & in augmento. Et in hoc differt ab alijs, nam pituitosi humores cholerici aliquando in augmento bene abire possunt, melãcholicus succus raro: quia multo crassior, & naturæ operosior reliquis est. Nõ est ergo uerisimile, quòd talem succũ cito posset excoquere, aut etiã manifeste concoctum expurgare.

Mala ac difficilis deiectio melancholiæ in ipso etiam augmento.

Aliter sese offert cholera: nam licet cruda sæpe magis fluxilis, quàm melancholia perfecte concocta: quando ergo mouetur in principio speciatim dicto, aut etiam liberaliter appellato, hoc est ante statum, aut morbi uehementiam, aut naturæ impatientiam, atque adeò ægri perniciẽ significat.

Cholera cruda subinde fluxibilior melancholia concocta.

Non pugnat ergo cum Hippocrate Galeni experimentum: nam id duntaxat contulisse in statu dixit. Sic neque lienosos liberabit quæuis difficultas intestinorum, sed quæ in statu superuenit.

Purgationes omnes ĩ statu conferunt

Quòd autem potius sic, quàm aliter, hunc Aphorismum intelligam, persuasit mihi sequens particula, ubi dicitur, Cum medicamento uerò melius. quippe medicamentum non nisi in augmento à medico exhibetur. Hoc ergo (ut mihi uidetur) Hippocrates uoluit, quòd eo tempore talis deiectio spontanea sit mala, sed eodẽ tempore per medicamentum pro

Commentationis nostræ ratio.

Luculẽta sententiæ explicatio.

uocata bona. Non enim est uerisimile, quòd tam malum humorem natura potenter anticipet expurgare, sed duntaxat importunitatis est signum. Moratur iterum nonnihil hic nos Hugo Senensis: nam tametsi tales deiectiones ante perfectam concoctionem damnet, tamen nullam concoctionem in illis succis requirit, ubi per hæmorrhoides abeũt. Credo quòd similitudine sanguinis melancholici deceptus sit: nam per nullam partem quiuis ex tribus humoribus bene abire potest, nisi percoctus. Sanguis tamen licet interdum cholera craßior, nullam concoctionem desiderat: quia per uenas ipsas sectas liberaliter abit, nec ipse solus, sed et quiuis humor alius, licet crudus secum commistus. Sed hæc mittamus. potius enim est, ut ad propositum Aphorismũ redeamus, ubi adscribitur, Vel cum febre, uel sine febre. Aliud tamen est de ipso sanguine: nã de eo dicet postea, quòd uomitio sanguinis sine febre salutare, aliter uerò malũ. Sequitur, Et quanto colores praui plures fuerint. Tales sunt uiridis, & liuidus: non enim solùm cruditatem, sed prætereà perniciem significãt: alter quidem caloris extinctionem, alter uerò extremam illius adustionem significat. Oportet tamen huc adferre, quod dicitur postea, Excretiones in febribus liuidæ, nigræ, etiam quantumcunq; malæ, bonæ sunt, modo bene exeant, hoc est, suo tempore. Hoc & Galenus testatur in proposito, sæpius sese expertum de nigris, etiam si nullum medicamẽtum præceßerat: nam quæ cũ medicamento exeunt, omni suspitione carent, & exquisitam, sæpe et diligentem purgationem demonstrant, præsertim si non unius tantùm modi, sed plurimi colores ueniant. An autem hic Aphorismus cum alijs, quæ in præsagijs, aut etiam in crisibus dicta sunt, pugnet, nũc non dicam, quoniam in secundo libro circa illum Aphorismum, In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant. plus satis dictum est.

Hugonis Senensis error.

Per se melãcholia nusquã ante concoctionẽ feliciter abit.

Colores praui.

Liuidus, extinctionem.

Viridis, adustionem.

Malas excretiones status excusat.

Varietas diuersorum colorum diligẽtem purgationem significat.

APHORISMVS XXII.

MOrbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, uel suprà uel infrà exierit, lethale.

HIC sermo est de altera specie melancholici humoris, quæ proprie atra bilis est, in quam spatio tẽporis succus melancholicus uertitur. Abit autem

Secunda species melãcholiæ.

autem in eandem ex adustione cholera, ac fieri potest, quòd de utraque loquatur Hippocrates: uerisimilius tamen est, quòd loquatur nunc de ea, quæ ex adusta cholera gignitur. Nam licet hæc altera sit quibusdam nominibus difficilior, simpliciter tamen quæ gignitur ex succo melancholico, peior ac crassior. Proinde de ea prius dictum est, quòd uel in augmento non sine periculo deijcitur. At quæ ex cholera adusta oritur, de qua nunc loquitur, forte sine periculo in augmento præcipitari potest, tanto est benignior. Atque hæc forte causa est, cur non uerbo de omnibus nigris deiectionibus dixerit, quòd in principio, uel augmento sunt perniciosæ. Nec tamen redargui poterit, qui utriusque humoris eandem rationem & periculum habuerit, licet Hippocrates uerbis distinxerit: nam ex cõmento Galeni apparet, quòd non solùm in principio, sed in augmento ferè suspecta spontanea purgatio. Licet enim hîc sit manifesta concoctio, nondum est tamen facta discretio. Oportet autem eo discente discretionẽ præire. Atque hoc est, in quo medicus naturã præuertit, qui in augmento concoctam partem expurgare nititur. Nec multum refert, quòd natura nondum discreuerit: quia medicamentum non nisi proprium humorem attrahit. Purgatio ergo cõcoctionem obseruet necessum est, discretionem uerò minus: at in mißione sanguinis neutrum obseruare oportet, quia nequaquam aliquem seorsum ab alijs eligit, sed omnes simul educit. At de ijs satis, neque repetere oportet, cur deiectio atræ bilis potius, quàm pituitæ aut flauæ bilis, in principio mortem denunciet: quoniam licet hîc Galenus dißimulet, facile est ex ijs, quæ in priori commento diximus, adijcere.

Melancholia ex succo melancholico pessima.

Spontaneæ purgationes in augmento suspectæ.

Medicus cõ coctionẽ expectare debet, sed potest discretionem anteuertere.

Deiectio atræ bilis in principio mortalis, reliquorũ humorum sæpe citra periculũ.

APHORISMVS XXIII.

QVibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, uel ex uulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue uti sanguis niger desuper exierit, postridie moriuntur.

FACILE potest unusquique coniectari, quòd in uehementer extenuatis & deiectis natura infirmior sit, quàm quæ tales humores, uel etiã

post concoctionem possit eijcere. Raro etiam post concoctionem, plerunq; ante concoctionem decedunt. Et quidem in morbis longis, quartana, cancro, tumore splenis, & similibus morbis, id aliquando fieri mirum nõ est, cùm huiusmodi morbi ex eo humore constent, morbi acuti ex alia materia. uerùm per multam caliditatem & putredinem aliquando humores in atram bilem euadunt. Proinde in hoc affectu prædictæ deiectiones non tantùm expulsionem, sed concoctionẽ redarguunt. Quomodo uerò in uulneribus eueniãt, difficilè inuenire possum: sed neq; ex uulneribus quisquã extenuatur, nisi immodice sanguis effluxerit, aut alius morbus superuenerit. Est tamen ubi in morbis alius humor decedit, quàm qui morbum pepererat: atque huc fortè Hippocrates respexit. certè neq; atra bilis, neq; succus melancholicus, aut uulnera concomitantur, aut usquam morbum acutum, præter apoplexiam, faciunt. Et quidem de horum humorum differentia antè satis dictum est. Accedit nihilosecius Galenus iterum in commento, qui ea tum à se inuicem, tum à sanguine distinxit. In quo translationes admodum uariant: sola Leoniceni uera est, ex qua est manifestum, quòd tam atra bilis, quàm eius succus à sanguine differt: quia pro more sanguinis non inueniuntur concreta, sed fusa. Contrà refert Laurentianus, & antiquus interpres, succum melancholicum consistere, sanguinem uerò fusum esse. Atque id quidem falsum est. In hoc igitur ambo communiter à sanguine differunt. Distinguuntur uerò à se inuicem fex, & atra bilis: quia bilis atra mordax est, terram abradit, ac fermentat: nihil autem istorum feci inest melancholicæ.

Morbi acuti ex succo melãcholico nõ fiunt.

Deiectiones nigrę in febribus acutis cõcoctionem simul cum expulsione redarguunt.

Rarus huius sententiæ casus.

Trãslationũ uarietas.

APHORISMVS XXIIII.

Difficultas intestinorũ si ab atra bile incœperit, lethalis est.

PAVLVS Aegineta ex utraque melancholiæ specie, tum ea quæ ex cholera adusta, tum ea quæ ex succo melancholico oritur, elephantiasim, ac proinde cancrũ fieri putat. Liberaliores eo recentiores quatuor melancholiæ species faciunt, ac ex unaquaq; elephantiasim gignũt. Sed & Galenus in priori commento, nisi ipsum cautè accipias, sanguinem putre-

Paulus Aegineta.

Neoterici.

Galeni locus præceps.

fact

factum continenter abire putat in ſuccum melancholicum. Neoterici (puto) decepti ſunt, quòd iuxta uariam aliorum humorum ſocietatem, melancholia nunc hanc, nunc illam phantaſiam præbeat: nam ſimpliciter nõ niſi duæ melancholiæ ſpecies ſunt, nec rurſum ex utraque harum, ſed altera tantùm elephantiaſis aut cancer oritur. Ita ego colligo ex Galeni ultimo Therap. & lib. De art. curat. ad Glauc. & multis alijs. Quare neque ego nunc hanc difficultatem inteſtinorum ex utrauis ſpecie, ſed tantùm alteram accipio, quæ ſcilicet ex fece melãcholica cœpit. Saltem Galeni ratio nõ niſi de altera, quam diximus, urget: quippe ulcera, quæ in cute ex aduſta cholera fiunt, ſæpe perſanantur, ut ferina ſcabies, ſola ex ſucco melancholico incurabilia. Multo tamen pertinaciora ſunt interna, quàm externa, præſertim in inteſtinis nonnihil membranoſis, & quibus ægrè medicamenta illinas. Verùm & de melancholia ex melancholico ſucco alia difficultas oritur: quia in ſexto poſtea dicitur, quòd lienoſis ſuperueniens difficultas inteſtinorum, bona ſit. Sed hæc controuerſia in ſolo nomine conſiſtit: nam ibidem dicemus, quòd difficultatẽ impropriè accipit. Ad hæc, ſi in extenuatis talis deiectio mortalis exiſtat, in integris bona eſſe poteſt. Hugo Senenſis aliam hîc quærit euaſionem, ſed non reddit.

Erroris Neotericorum occaſio.

Elephãtiaſis & cancer tãtùm ex ſucco melãcholico fiunt.

Sola melancholica ulcera ĩcurabilia.

Alia obiectio.

Solutio.

Hugo.

APHORISMVS XXV.

SAnguis quidem ſuprà qualiſcunque fuerit malus, infrà autem bonus eſt.

SANGVIS ubi ſuperfluit, nõ ſolũ per hæmorrhoides, inteſtina, uterũ, aut nares bene exit, uerùm etiam aliquando per os. Securius tamẽ per hæmorrhoides, aut etiã inteſtina, quàm per os, præſertim is qui niger fuerit: nam ſanguis ægrè ſurſum aſcendit, & ne in uentre corrumpatur, eſt periculum. Qui quàm difficilia accidentia pariat, certum ijs eſt, qui de ea re aliquam experientiam habuerunt. Frequentia enim deliquia animi parit. Minus moratur, qui deorſum deſcendit, quoniam natura grauis eſt. Non ergo urget ſextus liber, ubi dicitur, quòd ſalutare ſit citra febrem uomitu ſanguinẽ eijcere: quippe rarũ eſt, quod illic Hippocrates annotauit, ac ubi ſanguis ſuperfluit, uel rurſum ſalutare, hoc eſt, minus malum intellexit.

Sanguis in uentriculo animi ſæpe deliqa facit.

Occupatio.

APHORISMVS XVI.

A Difficultate intestinorum habito, si ueluti carunculæ exeant, lethale est.

Magni in intestinis ulceratio lethalis est.

NON solùm difficultas intestinorum ab atra bile lethalis est, sed & à quouis alio humore, qui latiorem aliquam intestini partem in modum carnium excreuerit. Hoc autem præcipue patiuntur intestina crassa: nam tenuiũ iactura minor est. Sunt autem & alia signa, quibus Galenus in libro De locis affectis, ulcera crassorum ab ijs quæ in tenuibus sunt, distinxit. Vnum ijs possumus addere, quòd quo ulcera inferiora sunt, eo frequentiora, & per minora interualla deiectiones faciunt. Sed de ijs alibi: nunc enim præstat dicere, quòd simplex continui solutio, ac diuisio in crassis intestinis, ut ex quinto elicitur, curari potest: magna uerò reponi nõ potest.

Frequẽtes & assiduæ deiectiones ulcus in inferioribus arguunt.

Pingue intestinorum.

Atque hîc quidem primum pingue aliquid & muccosum decedit, quod de substantia ipsorum intestinorum non est, sed ipsa intestina utiliter lubrica reddit, & ne quid stercoris asperitas intestinis detrimenti afferat, prouidet. De ijs Galenus in libro De usu partiũ. Succedunt autem secundò loco ramenta quædam membranosa: quoniam illis membrana loco cutis est. Demum uerò carunculæ prodeunt, quando interior substantia in frusta it, ac id mortale ubiuis cõstiterit, propter uulneris magnitudinem, & loci conditionem, qui penitior est, quàm ut medicamentum recipiat ac contineat. Hac forte de causa Hippocrates non simpliciter carunculas scripsit: non est enim omnino similis hîc, ut alibi, carnis substantia. Carnem ergo forte uocauit, quia carnis densitatem obtinet.

Ramenta mẽbranosa.
Carunculæ.

Ratio nominis.

APHORISMVS XXXII.

QVibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte, cùm reficiuntur, alui his humectantur.

MVLTAE sunt causæ, quæ post febres aut alibi uentrem diluunt, quibus nunc sanguinis profluuium annumerat. Adijcit autem, In febribus. *quoniam in his frequentius sanguis è naribus erumpere consueuit,*

ac

ac potest citra febres sanguis sursum aut deorsum abire, non tamē sine maxima caloris naturalis natura, maxime autem ipsius uentris detrimento: nam uel aliàs hic modicus calor existit, proinde tum hîc, tum alibi ferè primus offensam recipit, fereq; omnes eius uirtutes labefactantur. primū autem ipsa uirtus retentiua emollescit: sed neque ipsa concoctrix suum officium retinet. Vtroque igitur modo uenter humectatur, primúmque crura inflantur: deinde sæpe uenter ab hoc symptomate intumescit, imò & quemuis alium fluxum sæpius tympanites, aliquando ascites sequitur. Et hoc est, quod ferè Neoterici prædicant, in tympanite ferè primum uētrem affici: in ascite uerò ipsum hepar: promptius tamen eò perducit sanguinis, quàm alterius humoris fluxus: quia detrimentum maius existit. Vbi igitur sanguinis fluxus exuberantior fuerit, uentres humectari quodā modo est necessariū. Iam licet fluxus modū seruauerit, ferè tamē homines à morbo ipsis inscijs incontinentiores uiuunt, atque aluos hoc pacto humectāt. Potest etiam uel citra errorem uictus accidere: nam uel in iusta crisi per fluxum sanguinis nonnihil calor ad tempus labefactatur, quamuis simpliciter conferat. Itaq; id euacuationibus sanguinis peculiare existit, non tamen perpetuum.

Sāguinis fluxus præ cæteris uentriculum infirmat.

Multa mala fluxū sanguinis insequuntur.

Tribus modis fluxū sanguinis fere uēter humid⁹ īsequitur.

APHORISMVS XXVIII.

QVibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant, & quibus surditas superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.

SVRDITAS nunc cerebri, nunc stomachi uitio euenit, discernitur autem: nam quæ uentris uitio contingit, ferè utranq; aurem obtinet: quæ uerò intemperaturam superioris cerebri, alteram. De neutra in proposito Hippocrates loquitur. Aliquando ex bile aut sorde aliqua biliosa ibidem collecta euenit, nec de illa quoq; loquitur: sed de ea tantùm, quæ extēporaneum humorē comitatur. Igitur posterior Aphorismi casus frequens est: nam & uaporum, & humorum ante crisim ad caput motum, deiectiones biliosæ superuenientes retrahunt. Verùm alter casus rarior est, ac ferè in augmento per crisim imperfectam eueniens: nā si semel in statu humores

Varia surditatis occasio.

Tertia surditatis occasio.

Quarta differentia.

Posterior casus ferè in statu āte crisim.

Prior in augmento.

mores deorsum ferri cœperunt, hac penitus expurgantur: in solis imperfe: ctis crisibus fieri potest, ut euacuatio in medio subsistat, atq; humores subito aliò euadant. Aliquando per tempora deorsim sursum ascendunt, & surditatem inuehunt, si quando ad partem anteriorem referantur: nam alibi pro surditate in auribus, in oculis hallucinationem faciunt.

Pro surditate cæcitas.

APHORISMVS XXIX.

QVibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

ALIBI diximus, diuersum quodammodo hunc esse rigorem, ab eo qui in febribus intermittentibus euenit. Nam hic in principio euenit, at de quo præsens est sermo, in fine. Iam priorem tandem in fine sudor sequitur: propositum autem statim. Causa mihi uidetur esse, quòd materia quæ in principio paroxismi rigorē affert, crassior est: at quæ in continuis sub finem totius morbi rigorem inuehit, ad resolutionem idonea est. Non tamē omnem crisim per sudorem rigor antecedit. aliquando enim concoctione materia reddita est benignior, & mitior, quàm quæ habitum conuellere possit. Sed de ijs alibi plura. Ad propositum nostrum satis est, quòd ob causas, quas alibi diximus, conuenit crisim in paroxismum incidere. Nā ubi anticipat, uel argumentum est plurimi morbi, qui extra paroxismi naturā stimulat, uel infirmæ admodum uirtutis, quæ neq; meliorem morbi partē tolerat, nonnunquam etiam utrunq; significat. Rectè ergo de illis dictū est, quòd difficile iudicium obtinent. Est autem unus & idem sermo de sudoribus & rigoribus: quoniam sudores illos sequuntur, imo de sudoribus & de omnibus euacuationibus criticis idem licet dicere. Oportet tamen tum hunc, tū similes Aphorismos intelligere de morbis biliosis, quorum paroxismi fere in tertium incidunt: reliqui enim suam uicissitudinem propriam habent. Vniuersaliter autem prout paroxismi fiunt, ita & crises. Quocirca & synochos rectè quartus terminat, nec quotidiana quoq; aliquem parem, aut imparem diem obseruat. Sed hoc uerum est, quòd quē admodū reliqui, longiores rarius crisim expectant. Quòd si uel biliosi, uel sexto die, aut octauo à principio forte fortuna accessiones obtineant, ijsdē

Rigor in exacerbationis principio. Alius in fine.

Diuersitatis causa.

Non omnem sudorē rigor antecedit.

Crisis in paroxismo.

Crisis extra paroxismum morbum procacem significat.

Sudor exemplū aliarū euacuationū.

Quare synochos quartus iudicat.

Quotidiana raro iudicatur.

quo

quoq; diebus recte iudicari possunt. Atq; hinc est, quòd & pares dies, licet rarius, inter criticos deprahendantur: nam ubiq; excretio paroxismũ, concoctio uerò & discretio diem amat tranquillum.

Crises in diebus paribus. Excretio paroxismũ, cõcoctio amat diẽ tranquillum.

APHORISMVS XXX.

QVibuscunque accesſiones fiunt, quacũque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

CLARIOR & breuior sic sermo erit: Febres semper eadem hora inuadentes, iudicium habent difficile: nam si non aliud, saltem in longũ prorogantur: quoniam firmatam (inquit Galenus) acceſsionis causam arguunt. Quæ uerò ea sit, Galenus subticuit: sed coniectari ex his oportet, quæ de concoctione & anticipatione dicuntur: de quibus plura in libris De crisibus dicemus. Nunc breuiter perstringere possumus, quòd quo materia ad putredinem opportunior est, eo paroxismi citius anticipant: quo uerò pertinacior, eo magis cunctantur. Ergo earum febrium, quæ semper eadem hora inuadunt, frigida materia certe crassa sit, oportet. Econtrario, quarum materia subtilis est, & admodum calida, plerunque anticipant, donec omnino imminuta sit: tunc enim ipsæ cunctantur. Obscure ergo Galenus in commento scripsit, illius causam fixam esse. Videtur enim hoc uerbo, humorum tantùm compactionem reddere, quæ parum ad inuasionem exacerbationis confert, ac tantùm ad febres continuas spectare uidetur. nam intermittentium materia singulis paroxismis è uenis cadit. Sed & in continuis tempore paroxismi semper coniuncta ab antecedente discernitur. Iam nihil compactius phlegmonis, tamen uel ex his quædam febres cunctantur, & quædam anticipant. Sola igitur materiæ craſsitudo in causa est, cur febres quædam semper eadem hora repetant, sæpe eadem de causa cũctantur. Verùm, quia hæc cunctatio aliquando materiæ paucitatem sequitur, hãc (credo) ob rẽ potius eas, quæ eandem horam retinent, quàm quæ cunctantur, longas dixit. Idem significat paroxismorum conditio. Nam & ex ijs, quæ semper eodem modo ac tempore exercent, ferè diu durant: minimè uerò durant,

Dictio compendiosior.

Galeni dissimulatio aut obscuritas.

Similium paroxismorum causa.

Incerta Galeni commentatio.

Prima redargutio.

Secunda.

Cunctãtiõis & similis acceſsionis eadem fere causa.

Differentiæ causa.

Varijs modis arguitur febris longitudo.

Errãtes quartanam minãtur.

quæ continue exacerbantur, atque longius trahuntur, aut etiã uario semper tempore accedunt, nisi ex ijs fuerint, quæ aberrant: nam hæ quartanam futuram significant. Oportet autem apud Hippocratem cras, pro die aliquo posteriore audire: est enim idem de tertianis ac quotidianis, & quartanis iudicium.

APHORISMVS XXXI.

Lassitudinẽ habentibus in febribus, in articulos & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

Lassitudines laboriosæ. Spontaneæ.

DVAE (diximus) in genere sunt lassitudines: laboriosæ immodicum sequuntur exercitium, spontaneæ uerò ultro fiunt: sunt autem ambæ quædam symptomata motus uoluntarij, quare necessum est, ut cõmune habeant subiectum ipsos musculos. Atque unum quidem horum genus est, sed differentiæ plures. Quidam exteriores, quidam interiores, quidam etiam penitissimi. Iuxta horum ferè differentiam distinguũtur lassitudines laboriosæ, quæ in tertio libro describuntur De sanitate tuenda. Spontaneæ uerò magis distinguuntur iuxta naturam humorum, atque ipsos morbos præcedunt: nam in ipsis morbis abolentur, uel quia in maiores febres abeunt, uel quia alijs symptomatibus obscurantur. Nunc de qua lassitudine loquatur Hippocrates est perpendendum. Videtur Galenus idipsum, intepretari de lassitudine laboriosa: dicit enim in cõmento, quòd spontaneis lassitudinibus rariores, & non nisi una ratione abscessus superueniunt. Laboriosis uerò plures, ac re uera paucæ febres, ex ijs quas lassitudines præcesserunt, in abscessus abeunt. Verùm neque de lassitudinibus laboriosis rectè sermo accipi poterit: nam in morbis acutis ista non contingunt, & si quæ præcesserunt (ut apparet) ad hæc nihil conferunt. Certè Hippocrates nullo modo has respexisse apparet, sed neque Galenus de ijs audet simpliciter sententiã asserere: adijcit enim, Præsertim si labor spontaneus fuerit, & ex ijs maximè, quibus ex multitudine inest labor. An non hoc est, precor, sermonẽ prorsus confundere? Malo igitur spõtaneas lassitudines iterum bis distinguere, ut altera sit, quæ morbos præcedit, altera quæ morbos sub finem, aut augmentum incidit. Fit autẽ hæc, dum

Lassitudines laboriosæ ferè distinguũtur iuxta differentiã musculorum.

Spontaneæ sequũtur differentiam humorum.

Lassitudines in ipsis morbis obscurantur.

Spontaneis lassitudinib' rarò abscess' superueniũt.

Laboriosæ lassitudines raræ in morbis.

Sermo Galeni confusus.

Spontaneæ lassitudines aliquando p̃cedunt, aliquñ sequuntur.

dum materia à uenis ad musculos decidit. Atque hæ proculdubio laßitudines abscessus prænuntiant, non tamen in ipsos articulos, ut uidetur Galenus interpretari: nam & ubiuis alibi rariores fiunt in ipsis articulis inflammationes, adeò procul siti sunt, & multis alijs densis corporibus minuti, sed circa ipsos articulos, atq; maximè ipsos adenes: quomodo & ipse in fine commenti tandem exponit. Frequenter autem in febribus abscessus circa aures fiunt, neque satis scio an Hippocrates nunc eosdem uoluerit, quos circa maxillas statuit. rarius inferiores partes abscessus præhendunt: quoniam materia febrilis, utpote calida, magis ascendit, quàm descendit.

Priores laßitudines morbos, posteriores laßitudines abscessus pronunciãt.

Abscessus potius fiunt circa articulos, quàm in ipsis articulis.

Videtur indicare Hippocrates abscessus circa aures.

APHORISMVS XXXII.

QVibuscunq; resurgentibus ex morbis, si quid laborauerint, hîc fiunt abscessus.

EXORBITAVIT nonnihil Galenus à mente Hippocratis, ut mihi apparet: ubi laborem pro exercitio accipi patitur: tam rarus est in resurgentibus casus. Est tamẽ uerum, quòd & motus, & dolor materiã ad se prouocant: spontanea uerò laßitudo iam illapsam significat. utroque ergo modo Aphorismus accipi potest.

Galenus non nihil digreditur.

Labor materiã aduocat.

Spontanea laßitudo illapsam significat.

APHORISMVS XXXIII.

SEd & si ante morbum aliqua parte doluerit, hîc morbus firmatur.

DE conualescentibus, & imperfectè iudicatis, hunc quoque sermonem potes intelligere. Generale enim axioma est, quòd particula, quæ semel affecta, ferè semper imbecillior manet, & quasi sentina uniuersi corporis efficitur. Potes & de ijs intelligere, quibus nondum adest morbus aliquis, sed suspecta incipit haberi sanitas: etenim & his est uerisimile eò decubituram materiam, ubi antea morbum fecit. Melius tamen est, ut una hæc sit trium Aphorismorũ materia & scopus, ita ut primus quidẽ in febribus generaliter cum laßitudine abscessum circa maxillas, aut circa aures ipsas designet, reliqui uerò qui sequuntur partem determinet,

Triplex intellectus.

Tertia expositio conformior.

Dolor facit particulã opportunã fluxionibus.

prout ipsa pars eo tempore, dum resurgunt, aut priusquam ægrotant, adde etiam, si uis, dum ægrotant, laborauerit: nõ enim hic ubiuis abscessum expectare oportet, sed in ijs potius, quos dolor notat.

APHORISMVS XXXIIII.

SI à febre habito tumore non existente in faucibus, strangulatio repẽte superuenit, lethale est.

Soli affectus in gutture subito strangulant.

Delapsa minus molestãt, quàm in gutture suspensa.

Ineptus timor.

Problema medicum.

Altera quæstio.

Tertia quæstio.

Pessima angina.

Galeni commentum nimis liberum.

MVLTI sunt affectus, qui paulatim hominem suffocare possunt: sed solùm ij qui in gutture, hoc est asperæ arteriæ capite committuntur, inquit Galenus, subito strangulant. nam ipsa aspera arteria latior est, quàm ut repente inflammatione obstruatur. Hinc & illud est, quòd quæ in gutture exciderunt, molesta esse desinunt, postquam deciderint altius. Et quomodo ergo quidam putant, catarrhum illapsum in pectus subito posse suffocare? Imperito uulgo condonanda est: sed quid facies ipsis medicis? Iustum tamen problema est, ecquid aliquando pilus, aut alia res tenuißima in guttur delapsa, hominẽ strangulet, per quod craßißimũ sputum sæpe excedit. Sed de his alibi, ubi & illud inquiremus, an quæ per latera arteriæ feruntur, nullam tußim prouocent, ac tantùm ea, quæ per medium eius incidunt. Illud magis inquirendum est, an & in faucibus internæ inflammationes subito strangulare poßint. Profecto ita uidetur mihi nunc Hippocrates indicare, nec tamen ex æquo periculosæ, quia eas licet conspicere & melius tractare. Peßima ergo est inter quatuor anginæ species ea, quæ internos gutturis musculos obsidet. An autem & ea quæ exteriores musculos obsedit, ab interioribus abstinet, atque solos externos occupat, in libris Galeni De locis affectis diximus. Vnum tantùm hic adijciam, talem, quam diximus, anginam, omnino calidam esse, quæ citra dolorem magnum existere nequit: proinde mirum est, quòd Galenus in commento Hippocratem uel de ea, quæ doloris expers est, recipere tentet.

APHORISMVS XXXV.

SI à febre habito collum peruertitur, & uix potest deuorare sine ullo tumore, lethale est.

HANC

HANC sententiam clarè distinguit commentum Galeni: sunt enim quædam inflammationes in musculis propinquis gulæ, quæ collum peruertunt, propter societatem, quam habent cum uertebris colli, & difficultatem diglutionis faciunt, sed parum periculosæ existunt: aliquando sola caliditas & siccitas est in causa. Atque hic affectus conuulsioni similis, & omnino incurabilis, ac quòd collum ex hac causa peruertatur, rarum. Verùm deglutionem difficilem sæpe uidimus, atque in febribus acutis mortem certò prænunciat.

Inflammationes in musculis propīquis gulæ.

Difficultas deglutiendi in simplicib⁹ febrib⁹ mortalis.

APHORISMVS XXXVI.

SVdores febricitanti si incœperint boni, tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & decimoquarto, & decimoseptimo, & uigesimoprimo, & uigesimoseptimo, & trigesimoprimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui uerò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

NON est dubium, quin tertius dies sit primus dies iudicatorius: proinde quando Galenus quartum in commento primum describit, intelligere oportet amicè unum ex primis. Difficilius est dicere, quare Hippocrates omnes quidem alios diligenter numerarit, sed hunc præterierit. Putat Galenus ex ea causa factum, quia potius per accidens, quàm per se, decernit rationem finis paroxismi, qui in ipsum quartum ex tertio incidit. Verùm eadem fortuna, eademq; occasione & alij omnes pares cum quarto annumerari deberent. Proinde ego illum potius suspicor omisisse, quia quartus rarius iudicat, nec quosuis quidem morbos, sed magis synochos, quorum ferè unicus est paroxismus usque ad diem quartū: nec rursus quouis modo, sed frequentius per fluxum sanguinis è naribus eos quartus iudicat. Verùm biliosi ferè per tertiū exacerbantur, atq; hos ferè sudor terminat. Ingeniosè ergo Hippocrates quartū omisit, & post tertium quintum supputauit. Non est tam promptum reddere, quare

Galenus amicè intelligendus.

Leuior dubitatio.

Galeni opinio redarguitur.

Nostra coniectura.

Synochus p fluxū sanguinis.

Ardens per sudorem.

Hippocratis mysterium.

Impares dies paroxismos in pares mutant.

Galeni insinuatio.

sudores post decimumtertium diem pro imparibus diebus pares excipiunt, nisi fortaßis paroxismorum cunctantium, atq; anticipantium uicissitudo id faciat. Videtur & hoc ipsum indicare in commento Galenus, ubi inquit, quòd morbus quum festinat ferè in imparibus diebus iudicatur, ubi uerò tardare eum contingit, quòd ad dies pares eius acceßiones transferat. Sed de his paulo antea liberalius.

APHORISMVS XXXVII.

Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem: cum mitiori autem lõgitudinem morbi significant.

Sudor plerũq; calidus.

Sudor per accidens frigidus est.

Longi ex materia frigida, acuti uerò morbi ex calida.

Sudor frigidus in febre acuta caloris naturalis extinctionẽ significat.

Bis Galeni commẽtum periclitatur.

Galeni fluctuatio.

Nostra opinio.

OMNIS sudor etiã ex materia suapte natura frigida, ex accidente calidus euadit, quũ à natura extenuatur. ueruntamen aliquando tã frigida ac multa est, ut calorem non admodum diu seruet, maximè autem id contingit in declinatione particulari, atque adeò magis ipso tempore intermißionis. Rectè ergo Hippocrates dixit, quòd talis sudor in febre mitiore, morbi longitudinem significat. nam longi morbi ferè ex alia materia non fiunt: acuti uero ex calida, plerunque biliosa, ex qua nunquam sudor frigidus eleuabitur, nisi ubi simul cum calore febrili natiuus extinguitur. Prius enim naturalis à corpore, quàm igneus ab ipsa bile tollitur. Recte ergo & hoc ab Hippocrate dictum est, quòd talis sudor mortem atque præsentem perniciem, quippe extremam debilitatẽ significat. Quod si uerum fuerit, Galenus bis exorbitat. primum, quando huius sudoris frigiditatem potius ad caloris naturalis, quàm febris extinctionem refert. secundò, quando causam huius putat materiæ frigiditatem & multitudinem: neque enim acutæ febres ex frigida, sed calida fiunt materia, eaque admodum biliosa. Sed neque ipse sibi satis cõstare uidetur, qui prius locos distinxit, atque alibi materiam putrescere, abinde autem sudorem frigidum efferri commẽtatus est. quippe acutarum febrium materia nusquam alibi, quàm in uenis fluctuat. Melius est ergo dicere, quòd hic sudor exoluta natura euenit, calore febrili simul cum natiuo abeunte: quomodo & in quibusdam animi deliquijs, frigidus sudor effluit, extremo corpore re

frige

frigerato, ac retentiua soluta. sed is sudor modicus est.

APHORISMVS XXXVIII.

QVa parte corporis sudor est, ibi significat morbum.

NEQVE de sudore critico, neque eo qui per accidens est, sed de eo qui ratione quantitatis materiæ constanter, ac toto morbo etiam intermißionis tempore oritur, oportet intelligere. Nam sudor criticus sæpe per aliam partem fertur: sic & ex uentre sæpe fumus ad caput leuatur, ac in sudorem terminatur. Certè criticus sudor ex uenis oritur, ac nullo modo parti affectæ attestatur. Et quomodo ergo Galenus de utroque sudore tã critico, quàm symptomatico hunc Aphorismum intelligit? quum sæpe affectus particularis expurgatur sudore uniuersi corporis? nõ dico tantum pleuritis, phrenitis, sed & aliquando dolor capitis, ac alterius partis. Constans sudor. Tẽporaneus aut criticus. Sententiæ limitatio.

APHORISMVS XXXIX.

ET qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus.

DE permutatis qualitatibus, usque ad operationem læsam accipere oportet, atque ijsdem constantibus, neque symptoma aliquod, sed ipsam causam morbosam continenter sequentibus: nam frigiditatem, animi deliquium, dolores, & similia accidentia, sæpe faciunt, & tamen locus affectus ab illis dißidet. Idem de dolore dico. Caute accipienda sententia.

APHORISMVS XL.

ET ubi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, uel rursus calefiat, uel calor alter ex altero fiat, longitudinem morbi significat.

QVOD hæc uariam materiam significent, ac rursus materiæ uarietas longitudinem præmittat, est certum. Verùm id obscurum, quomodo istæ uicißitudines qualitatum fiant: nam siue in uarijs, siue uno loco ij contrarij humores consistant, potius unam inæqualem intemperiem, eamque dupli- Dubitatio.

duplicem, quàm tales inuicem uicißitudines facere debebãt. quomodo & in hepiala euenit. Forsitan ergo ubi ij contrarij humores in uenis abundant, uapor à cholera elatus, caliditatis phantasiam educit, quo expirante humor frigidus suam qualitatem prodit, ac forte interea iterum humor cholericus transpirat, atq; rursum pituitæ qualitatem obscurat. Fortè etiã hæc primò mouetur, & illa secundò, atque ita per uicißitudines, quomodo & duplex tertiana, aliquando eodem die oritur, aliquando cum quotidiana inducitur. Verùm ubi humores ij inter se mixti, mixtum symptoma prodibit. Tales igitur mutationes in toto, siue cum febri, siue citra febrim, morbus fuerit, longitudinem morbi significant. Possunt & in aliqua seorsum parte hæ uicißitudines fieri, sed breuiores sunt, quàm ut longitudinẽ morbi prænũciẽt. Hac credo de causa, In toto corpore, dixit. Eadem est de uicißitudine colorum ratiocinatio, qui qualitates, ac earum uarietates sequũtur. Videtis ergo, ut plura sententia huius Aphorismi desiderat, quàm phantasia uerborum indicat.

Explicatio. Occasio duplicis tertianę. Occasio febris impuræ. Tenuis causa partẽ mutare potest, totũ uerò non potest.

APHORISMVS XLI.

SVdor multus ex somno factus, absq; causa manifesta, corpus uti pluri cibo significat: si uerò cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet quòd euacuatione indiget.

LVBET nũc altius de sudore disceptationem inire, & quatenus semel conficiatur, ab eius materia auspicari. Etenim mihi nimis breuiter eius definitionem cogunt, qui ipsum tertio illo excremento, quod in habitu corporis colligitur, circunscribunt. Nam & serosior pars, quæ ab hepate cum sanguine hucusque iuit, simul cum alijs incoctis reliquijs in sudorem uertitur. Iam materia, quæ per sudorem in ægris, aut neutris corporibus effertur, sæpe ex toto oritur. Verùm cur is sudor potius tempore somni, quàm uigiliæ oritur, uarias causas reddunt Neoterici. Vulgus ita fieri existimat, quia reliquæ excretiones retinentur. Atq; ij parum uerisimiliter mihi uidentur commentati: nam licet per uigiliam sæpe portio eius, quod ad renes transire debuit, in habitum rapitur: non tamen tempore

Communis sudoris definitio nimis breuis. Materia sudoris sæpe ex profũdo corporis attollitur. Varia disceptatio. Vulgaris opinio.

pore noctis ea, quæ in renibus aut uesica sunt, in uniuersum corpus regurgitant. Quidam id fieri autumant, quia concoctio nocte maior est: atque hos hyemis & æstatis comparatio redarguit: nam æstate simpliciter sudor profusior, tamen hyeme concoctio maior: quinimo tempore noctis exterior corporis habitus frigidior, interdiu calidor, & ut apparet, ad sudorem opportunior, quia noctis frigiditas cutim cogit. Oportet ergo liberè ea quæ tempore noctis fiunt, considerare, ac expendere. Est enim eo tēpore, aut si mauis, tempore somni, uaria mutatio. Primùm calor naturalis quodammodo ad interiora redit: hic, si quid est imperfectum, diligenter concoquit, deinceps quod superest potenter expellit, quin & tādem eius ui & externus quoque habitus incalescit: quod non parum conducit ad sudorem. Per se tamen dies, quàm nox, ad sudorē est opportunior. Magnū huius rei signum est, & argumētum, quòd somnus interdiu quàm noctu liberaliorem sudorem fundat. Cauendum ergo est, ne nos phantasia & similitudo digestionis decipiat, quòd hæc optimè fiat tempore ipsius uigiliæ. Nam digestionem non oportet simplicem, sed compositam operationē intelligere ex attractione & expulsione: at sudor per solam expulsionem fit, & duntaxat quædam exhalatio est, nihil quidem extremis partibus attrahentibus, sed tantùm recipientibus. Atque hæc in genere de sudore, qui aliquando paruus, aliquando multus. Paruus est, uel ob corporis raritatē, ut in his qui ad atrophiam idonei sunt (nam & hæc species talis est) uel ob humorum, qui sub cute, uel in uenis sunt, paucitatem: hos etenim natura nostra facile extenuat, ac inuisibiliter difflat. Multus copiam sequitur, uel nuper ibidem congestam, uel prioribus diebus recenter contractā: quippe proportionem alimēti semper imitatur ratio excrementi, & qui dem serosiores, ac tenuiores natura difflare potens est, crassiores uerò relinquit. Igitur in sequenti die uictum extenuare oportet: id enim plenitudinem alterius cœnæ satis castigabit. Quòd si & altera nocte sudor occupet, iam non recentē aliquem cibū, sed uetustiores humores incusare oportet, qui naturam aggrauant, maxime si æger nullum cibum appetat. ita enim Galenus assumere cibum interpretari solet. Potes tamen hoc loco et de eo, qui nihilo plus iusto accipit, intelligere: nam uterq; euacuatione indiget.

Redargutio.

Alterius opinionis redargutio.

Altera obiectio.

Tempore sōni uaria corporis mutatio.

Somnus sudorem poti⁹ mouet quàm uigilia.

Dies opportunior ad sudorē q̃ nox.

Occupatio.

Digestionis & sudoris uariæ causæ.

Paruus sudor duplicem habet causàm.

Mult⁹ sudor copiā sequitur.

Sudoris primum ac securissimū remedium sobrietas.

Veteres humores nō castigantur inedia.

Secundū auxilium euacuatio.

Galeni expositio.

Nostra.

diget. An uerò purgatione, an potius phlebotomia, Hippocrates non finiuit, sed dictionem ad utranque ambiguam nobis reliquit, hanc neq; Galenus distinxit, neque distinctione opus habuit: quoniam utranque, aliquando phlebotomiam, sæpius purgationem, huiusmodi corpora postulant: quippe & sudor potius humorum uitio, quàm plenitudini attestatur: non enim semper sanguis, sæpius alij humores per cutim discutiuntur, & tamen tenuior, aliquando serosior ipsius particula sudore deijcitur. Igitur rectè Hippocrates nomẽ Euacuationis generaliter scripsit, ac tanto peius antiqua in commento translatio pro Euacuatione, Purgationẽ determinat. An uerò biliosum humorem, pituitosum, an magis melancholicum expurgare debeamus, ex alijs inquirendum, prout sudor uel huic, uel illi magis attestetur: non enim tantùm à pituita, sed & ab alijs humoribus fluit sudor, sed multitudo serosi humoris, qui cum eo permiscetur, diuersum illius colorem dissimulat. Quòd tamen & ex alijs humoribus ueniat, manifestè patet ex diuersis morborum crisibus: quòd si non solùm uisui credas, sed & gustum in examen adhibeas, & ipse id quoque indicabit, quòd alius insipidus, alius salsus, alius amarus, alius dulcis existat. Coloris igitur phantasia, quam ex permistione aliorum acquisiuit, nostram imaginationem decipit.

Sudor ex omnibus quatuor humoribus oritur.

Sudor nunc phlebotomiam, nunc purgationem expostulat.

Licet color sudoris fere appareat similis, sapor tamen admodũ diuersus.

APHORISMVS XLII.

SVdor multus, calidus, uel frigidus, semper fluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum.

NEQVAQVAM sudor semel atque obiter factus, humorum molem ostendit: aliquando duntaxat aut cœnam liberaliorem, aut aliam externam causam, fereq; momentaneam arguit. Hugo Senensis eum intelligit, qui continue, & sine aliqua intermißione it: & in huius testimoniũ nobis quandã mulierem profert, quã sine intermißione dixit sudasse quatuordecim diebus. Verùm nobis satis est, uerbũ, frequenter, *magna ex parte exponere:* semper, *ad frigidum & calidum referre, ut semper calidus dicatur, qui non intercipitur frigido: sic frigidum, qui nõ admittit uicis*

Sudor obiter factus nihil graue ostendit.

Mirabilis Hugonis expositio.

Nostra expositio.

uicißim calidum. Huic consentit, quod sequitur, Frigidum magis, calidum minus significare morbum. *Est quidem uerum, quòd morbi, ex materia calida sæpe periculosiores, quàm ex materia frigida sunt. Atqui non tantùm ex materia frigida, sed & calida aliquando sudor effertur frigidus, atque id malo est. Ita econtrario optimum est, ex materia frigida efferri sudorem calidum: nam calorem naturalem fortem, ac materiam bene elaboratam significat. Oportet autem & hoc animaduertere, quòd quidam pro* Semper fluens. *legunt, Superfluens.*

Sudor frigidus ex materia calida pessimus, optimus calidus ex materia frigida.

Diuersa lectio.

APHORISMVS XLIII.

FEbres quæcunque nõ intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ: quocunq; autẽ modo intermiserũt, periculũ abesse significatur.

OMNES intermittentes periculo uacant. Quòd intermittentes igitur sint continuis securiores, non habet opus admonitione, adeò manifestum est. Verùm non est adeo clarum, quæ ex intermittentibus melior sit. De quartana dixit Galenus, quòd sit minimè periculosa: forte interuallum curationis respexit, quòd amplius spatium præbeat. Nam ipsa tertiana, ut etiam ex eo patet, qui post Mesuem scripsit, atque adeò ipso Galeno, in hoc commento, omnium leuißima. Sed & hoc patet ex eadem, quòd legitima sit breuior, ac securior, quàm illegitima. Nec obstat, quòd deiectiones synceras damnamus: nam id tãtùm oportet intelligere de his, quæ magnum excessum sequuntur: forte neque in legitimis tertianis deiectiones aut uomitiones erunt puræ cholericæ, sed quodammodo permistæ. Caue tamen hinc ita colligas, Febres tertianæ omnibus alijs sunt securiores, ergo & continuæ omnibus alijs continuis faciliores. consequens enim falsum est, nec constat ratio, quia tertianæ continuæ acutæ, reliquæ uerò longæ. Verùm ne hæ quidem semper periculo carent, sæpe ad tabem deducunt, exemplo quintanæ, septanæ, quartanæ. Sed de ijs alibi. Vnum tantùm restat explicandum, quomodo Galenus in commento dixerit, longiorem accessionem longius protendere iudicium. Videtur enim id pugnare cum eo, quod in libro De crisibus dixit, longitudinem accessionis propin-

Quartana minime periculosa.

Tertiana leuißima.

Legitima melior illegitima.

Occupatio. Dubitatio.

Fallax argumentatio.

Solutio.

Febres longæ sæpe ad tabẽ deducunt.

Altera dubitatio.

quam crisim ostendere. Sed respectus locorum facile controuersiam dirimet. Solutio. *Nam in hoc loco loquitur de accessionum longitudine à principio, et quæ semper eundem tenorem seruant: atque hæc iudicium differt, quia materiā crassam & pertinancē arguit, quæ ut difficile corrumpitur, ita difficile concoquitur. sub statum uerò atque in ipso statu longæ fiunt accessiones, ob materiæ multitudinem, quæ ut nunc affatim concoquitur, ita ex altera parte affatim corrumpitur. Vbi autem istud utrunq; simul coaceruatim euenit, morbus ad finem festinat.* Morbi festinātis indicia. *Videtis ad quàm multa hæc materiæ distinctio sit utilis, ac necessaria.*

APHORISMVS XLIIII.

QVibus febres longæ, his tubercula uel labores in articulis fiunt.

Longiores inter acutas. *LONGAE simpliciter febres nullum ferè omnino iudicium obtinent: nec per excretionem, nec per abscessum. Igitur de longioribus acutis dixit.* Abscessuum nutrientium causa. *Cur autem hæ potius per abscessum, quàm excretionem iudicentur, in causa est uirtutis imbecillitas, ac materiæ multitudo, quam breuis natura foras expellere nequit. Adijcit,* Vel labores. *Clarior fuisset sermo, si pro disiunctiua, coniunctiua usus fuisset: quoniam utrunque accidit, & tubercula dolores sequuntur.* Aliquādo tubercula manifesta. *Potest etiam fieri, quòd tubercula dolore uacent, aut rursum labores ob breuitatem materiæ citra manifestos tumores eueniant.* Aliquādo occulti dolores.

APHORISMVS XLV.

QVibus tubercula, uel in articulis labores fiūt, hi pluribus utuntur cibis.

Conflictatio quædam. *VIDETVR hic Aphorismus priori contradicere: etenim uterq; eosdem morbos uarijs causis acceptos ferre apparet: hic Aphorismus ad uictum, prior ad febriū longitudinem tubercula retulit.* Solutio. *Vtrunq; autem uerum est: nam & longæ febres aliquando in tubercula circa articulos abscedunt:* Causa tuberculorum duplex. *& longas aliquando febres ex errore uictus tubercula in pedibus sequuntur: ferè enim ab his concoctio male obitur, atque eius inopia primùm in pedibus proditur.* Puerorū in capite tubercula. *Eadem ferè ratione & in pueris tubercula*

multa,

multa, præsertim circa caput, suboriũtur: sunt enim natura edaciores. Vbi uerò caloris imbecillitas in causa est, hîc primum eius detrimentum in pedibus, utpote imbecillioribus, proditur. Hanc rationem ne Neoterici quidem detrectabunt: tametsi alibi in ea quæstione, cur potius manus, quàm pedes in decrepitis tremant, aliter dicant. Et quam friuola hîc commententur, prodere noluimus, præsertim cùm & quæstio ipsa medico sit indigna: eius officium potius est, hæc tubercula à prioribus distinguere: atque id est facile. Nam qui morbos iudicant, statim in fine status incidunt: quæ uerò plenius alimentum sequuntur, nõ nisi longo pòst tempore in ipsa conualescentia eueniunt. Tertiò quædam ex ijs ante statum morbi fiunt, & uitiatam rursum concoctionem sequuntur, morbo abeunte in deterius. Similia ijs sunt, quæ in cachecticis & hydropicis eueniũt. Nox etiã & somnus ea distinguit: quippe hæc somnus utrunq; extenuat, sed in quæ morbus abscedit æqualia relinquit. Vulgus causam reddit, quia tẽpore noctis difflatio maior. Verùm hac ratione nihilosecius hæc, quàm illa extenuari deberent. Potior ergo causa ex ipsa concoctione dependet: nam scimus, quòd hæc nouissima tubercula concoctionis infirmitatẽ comitantur. Proinde hæc sola nocte extenuãtur, quæ infirmam concoctionem sequuntur reliqua. Verùm parum nox imminuit, non enim ex imbecillitate concoctionis eueniunt, sed ex antiquis morbi reliquijs concedunt. Victus etiam ea discernit: nam hæc bonus uictus parum immutat, ibi uerò malus malum accumulat.

Tuberculorum causa aliquando uoracitas, aliquando caloris imbecillitas.

Friuola Neotericorum.

Tubercula indicãtia statim fiunt.

Reliqua paulatim accedunt.

Tubercula tertij gñis.

Ex somno differentia.

Vulgaris ratio.

Nostra opinio.

Discretio ex uictu.

APHORISMVS XLVI.

SI rigor incidat, febre non deficiente, ægro iam debili lethale est.

RIGOR tam in ardente, quàm intermittente febre accidit: sed est differentia, quia in ardente rigor non nisi in declinatione totius morbi oritur, ac statim sudor sequitur: in intermittente uerò in principio paroxismi rigor, & in fine sudor sequitur. Causa est penes materiæ diuersitatem, quæ in febribus intermittentibus secundùm singulos paroxismos excluditur: in continuis uerò non nisi tandem ac ferè concocta: itaq; hîc statim su-

In continuis febribus concocta est materia quæ rigorem facit.

dor sequitur, illic uerò expectat, donec per putredinem fuerit attenuata. Ergo in intermittentibus febribus sudor aut rigor non nisi particularem paroxismum soluit: in continuis uerò totum. Est tamen uel in continuis, ubi rigor concoctionem anticipat, atq; in augmento uel principio incidit: atque hîc crisis imperfecta accidit, quæ ægrum debilem interficit, firmum aliquando magis offendit, aliquãdo nonnihil alleuiat. Tam simplex mihi apparet huius Aphorismi sententiæ expositio. Quocirca Galenum demiror, qui totam huius sententiæ uim in uerbo, incidat, *quæsiuit, neq; unum rigore, sed plures diuersis temporibus in eo intellexit. Et forsitan Græca phrasis aliquid tale patitur: in Latinis tamen idipsum quærere, potius est diuinare, quàm uerborum rationem sequi. Sed etsi uerba talem aliquem sensum præbere poßint, non uideo quomodo ipsæ res respondebunt. Sæpius enim in morbis quibusdam semel crisis imperfecta uisa est, at plures admodũ raro. Miror etiam, quòd hanc pluralitatem ac uicißitudinem in hac sententia magis, quàm alijs sequentibus requirat: nanque in illo Aphorismo,* Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi. *& multis alijs, nequaquã uerbo,* simili, *utitur: sed una est omnium horum ratio, quòd ante concoctionem, atq; adeo importuna crisis, naturam admodum fatigat. Quare si antè debilis fuerit, ne eandem supprimat, magnum est periculũ, uel ob eam causam, quòd talis crisis, subsequuto sudore, plus boni quàm mali deijciat. Quòd si nullus sudor rigorem sequatur, uel hoc etiam peius est: maximæ enim debilitatis naturæ argumẽtum est, quæ morbum neq; tollerare, neq; expellere potuit.*

Rigor in augmento crisim imperfectam arguit.

Impfectæ crisis uaria fortuna.

Galeni anxietas.

Diuinationi similis commentatio.

Experientia repugnat.

Alia redargutio.

Vna multorũ Aphorismorũ ac simplex ratio.

Naturæ anxietas.

APHORISMVS LVII.

EXcreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruẽtæ, fœtidæ, omnes malæ & biliosæ. Et si bene exeũt, siue per alui excretionem, siue per urinas, bonæ: si uerò non aliquid eorum, quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.

Duo excrementorũ genera.

Prauum duplex.

DVO damnantur excrementorum genera, alterum crudum, alterũ prauum appello. Atque id rursum duplex est: nam uel syncerum est, & magnum

magnum aliquem excessum significat, uel aliter malignũ: tale rursum est in multiplici differentia, colliquans ac pingue putridum, atq; præter modum fœtidum, nigrum, uiride, aut liuidum. hæc enim omnia maximã uim morbi indicant, caliditatẽ arguunt pingue & fœtidum, nigrum ad utrãque qualitatem est ambiguum. Idem dicunt Neoterici de liuido & uiridi. sed Galenus liuidum solius frigoris effectũ asserit. ergo econtrario uiride caloris opus crediderim. Nam si tam liuidum, quàm uiride, eiusdem causæ medius effectus sit, difficile erit rationem reddere, cur nunc hoc, nũc illud intercidat. Eiusdem generis est, quòd ita quidẽ simplex est, ut permistionis reliquorum nullam notam exhibeat. Nam id quoque magnũ aliquem excessum indicat. Melius enim fuerit, hoc cum alijs quibusdam confundi, nec simpliciter biliosum, pituitosum, aut melãcholicum uideri. Hæc ergo excrementa plerunq; mala sunt: est tamen ubi bene ueniunt. nam sudor plerunq; ex putrida febris materia attollitur, & tamen paroxismum rectè terminat. Et ne tantùm id in sudore dicas accidere, similiter & per uomitum & per uentrem interdum quod putridum est, bene abit: at per urinam frequenter: neq; ratio aliud exigit: nam multo melius est huiusmodi maligna in paroxismis expelli, quàm retineri. Verùm hîc de febribus continuis & acutis loquimur, atq; adeò de excrementis criticis, quæ concocta esse oportet. Videtur mihi dissimulasse hanc difficultatẽ Galenus: hoc tantùm adijciens, bene exire, quando concocta existunt: quippe manifeste concoctis repugnant. Forte ergo priorem concoctionẽ respexit. Mihi autẽ per accidens fieri apparet. quod facile patebit, si duplicem, ut alibi, ita hîc materiam morbi fecerimus: alteram, quæ concoquitur, alterã quæ singulis paroxismis corrumpitur. Expellitur autem utrunque simul in crisi: nunc plerunq; concocta multitudine superat corruptam, aliquando ecõtrario putrida forte fortuna superat, & obscurat sua phãtasia concoctã, atq; hic fœtida, liuida, nigra, conferre possunt, forte biliosa, & cruenta: nam quædam ex corruptis hanc priorem utcunq; speciem retinent. Itaque mala excrementa aliquando in bonum euadunt, non tamen unquam bona, id est concocta mala exeunt, nisi forte per uim medicamentorum, his, quæ naturæ conueniunt, succedant. Id euenire potest, ubi naturæ satis

Syncerum.

Maligni multiplex differentia.

Fœtidũ, pingue, indicia caliditatis.

Nigrum ambiguum.

Liuidum frigoris, uiride caloris indicium.

Syncerum.

Excrementa maligna sæpe bene ueniũt.

Argumentũ à sudore.

Experientia.

Ratio.

Galeni dissimulatio.

Nostra coniectura.

Putrida aliquando obscurat colorẽ concoctæ.

Nunquã concocta male exeunt.

forti,

Medicamentum importunum. *forti, in statu quis medicamentum importune exhibet: sæpe enim hac ratione immodicus fluxus sequitur, & æger interit. Adeò aliquando maioris uirtutis est medicamẽto abstinere, quàm opportune exhibere. Non oportet autem quærere, cur Hippocrates duntaxat hæc excrementa reprobarit, aut cur tantũ has tres excretiones apposuerit: nam moris eius est, ut ex uno aut altero exemplo generalem dignitatem indicet. Malo hîc inquirere, cur ubi de excretionibus loquutus est, statim inuerso sermone, ubi inquit,* Si uerò bene exeunt, *alui & urinæ meminit, & ipsas excreationes omisit. Nunquid iuxta compendium Aphoristicæ doctrinæ alterum in altero subintelligit? Forte etiam ob eam causam sermonẽ mutauit, quia licet concoctio morborum pectoralium in sputo proditur, ferè tamen aliter ipsi, quàm per sputum iudicantur. Certe Galenus in lib. De crisibus, ubi genera crisis edocet, illius quæ per sputum fit, non meminit, & omnino rara uidetur, per eam partem crisis fieri apparet.*

Maioris subinde artis à medicamento abstinere quàm opportunè exhibere.

Alia dubitatio.

Duplex solutio.

Non fit ulla subita crisis p sputum.

APHORISMVS XLVIII.

IN febribus non intermittẽtibus, si partes exteriores frigidæ, interiores uruntur, & sitim habeat, lethale est.

MIRATVR Galenus, cur hîc Febribus non intermittentibus *asscripsit. Et potest ferri eius cõmẽtatio. Forte etiã Hippocrates quasdam intermittentes respexit, in quibus in principio paroxismi, aut bilis, aut pituita salsa in uentriculum irruit: etenim uel hîc (licet rarò) ægroti foris rigent, & simul in præcordijs magnum æstum sentiunt. In acutis alia est ratio: nulla enim hîc bilis in præcordia effluit, sed tota in uenis retinetur. Igitur non nisi in magnis inflammationibus, febribus pestilentibus, aut alijs uehementer malignis, hæc inæqualitas fatigat, in quibus magnus ille calor interior, quasi cucurbita, totum ex proximis partibus spiritum & sanguinẽ ad se rapit, non sine animi difficultate. Ab effectu huiusmodi lippyriæ appellatæ apparent: quocirca Neoterici lippyrias male inter pituitosas, atq; adeò intermittentes numerauerunt. Sed de ijs erroribus copiose alibi. Hoc licet adijcere, quòd uri in internis, non sit tam pernicio-* sum

Intermittentes quędam, licet raro, hac ĩęqualitate exercent.

Tres sunt differẽtiæ febrium continuarum, quę hãc inæqualitatẽ adferunt.

Lippyriæ.

Error Neotericorum.

ſum ſignum, quàm frigere foris: nam uri in acutis, frequens eſt. Vrere cõmune acutis eſt.

APHORISMVS XLIX.

IN febre non intermittente, ſi labium, uel oculus, uel naſus, uel ſupercilium peruertatur, uel non uideat, uel non audiat, tam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenit, mors proxima.

POTIVS harum, quàm aliarum partium aſſumitur peruerſio, quòd hæ partes ad hoc cæteris magis idoneæ ſunt. Quòd ſi & pudendorũ ſubinde fiat retractio, tamen prædictarum partium magis ob oculos poſita eſt. Nihil autem iſtorum eſt, quod unam habeat cauſam: nam frigiditas & ſiccitas eas partes obtorquere poſſunt, & præter has qualitates etiam quiuis tumor effatu dignus, in ipſis conceptus. Miror tamen, quòd Galenus nunc eò hanc ſententiam retorqueat: nam ſic reddita omni myſterio caret, cùm nec ullus alius eſt morbus citra periculum, qui uirtutem debilem coniunctam habet. Certè per ſe nullus tumor in hiſce partibus periculoſus exiſtit, aut febres acutas parit: iam tumores uel à principio eas partes peruertunt. Atqui Hippocrates de ijs peruerſionibus loquitur, quæ poſtea ſuperueniunt. adijcit enim, Virtute exiſtente debili. *quaſi hoc uelit dicere, Morbo diutius trahente. Quòd ſi Hippocratis conuulſionem ex ſiccitate reſpexerit, nullo modo eam particulam,* Virtute exiſtente debili, *adijcere decuit: quoniam uel alibi conuulſio ex ſiccitate mortalis exiſtit. Neq; maiorem gratiam obtinebit ſequens particula, ſi quidẽ Galeni commentum ſequamur: nam quis dubitat, quin æger moriatur, ubi eouſq; debilitatis uenerit, ut nec audiat, nec uideat? non quidem in ſolo morbo acuto, ſed & lõgo. Nunc Hippocrates ubiq; ex propoſito de febre continua loquitur. Veriſimile ergo mihi eſt, quòd ſaltem hæc duo nouiſſima ſymptomata, tanquam critica, intellexerit: nam ſcimus, quòd plerũq; ante criſim hallucinentur, quidam etiam obſurdeſcant, humoribus aut certè uaporibus ad caput ſublatis. Ac quidem aliquando ob morbi malignitatem præcociter commoueri incipiunt, ubi, ſi quidem uirtus fortis fuerit, imperfecta duntaxat criſis erit. Verùm ubi cum malignitate morbi de*

Tres sũt cauſæ quæ has partes peruertunt.

Galeni commentum multis modis ſuſpectum.

Magna ubique debilitas mortem minatur.

Noſtra coniectura.

Criſis præcox.

Criſis imperfecta.

Crisis mortalis. bilitas naturæ coniuncta fuerit, æger necessario morietur. Non est dubiũ, quin huc Hippocrates respexerit, & potuit de alijs omnibus signis criticis statuere, sed ubiq; exẽplis gaudet. Vtrum autẽ et reliqua priora accidẽtia sic audire poßimus, inuestigandum est. Nam & commotio labri frequenter uomitum criticum præcedit: quod nunc forte per peruersionẽ intelligit: rarius, uel oculus, uel nasus ante crisim retorquetur. Forte ergo hæc omnia ad siccitatem referuntur, præsertim cùm hæc & in Præsagijs (quorum hîc compendium agit) idem ostendere uidentur. Certe potius est Aphorismum partiri, quàm una ratione eum malè interpretari.

Aphorismi præsagiorum habent compendium.

APHORISMVS L.

VBi in febre non intermittente difficultas spiran di, & delirium acciderit, lethale.

QVÒD nonnunquam fiat difficultas spirandi, nihil patiente ipso pectore, ex apoplexi, & similibus, manifestum est. discrimen ex tußi sumitur: nam difficultatem spirandi ex pectore, ferè tußis sequitur. Sed hæc mittamus, illud hîc potius dicere cõuenit, quòd in febribus acutis triplex, aut quadruplex spirandi difficultas depræhenditur. Aliquando spiritus rarus est, & magnus, & delirium protẽdit. Est autem & alius interruptus, ac dispositionem quandam conuulsioni proximam sequitur. frequẽtius difficultas spirandi ex affectu aliquo pectorali incidit: ut per inflammationem aliquam pleuræ, pulmonis, aut thoracis. Nullum ex his tribus, puto Hippocratem hoc loco intellexisse: nam difficultas quæ inflãmationes prædictarum partium sequitur, periculosa est, nequaquam lethalis: quoniam plures ex ijs saluãtur. Fortaßis ob eam causam Galenus quoque parum in commento suo ab Hippocratis uerbis discesßit, ac Periculosum pro Lethali exposuit. Aliquando difficultas spirandi crisim antecedit, humoribus per pectus sursum sublatis: ac de hac malim Aphorismũ intelligere. Nam si hîc æger fuerit debilis (atq; id nũc subaudio) mortẽ minatur. Facit autem affinitas priorum aliquot Aphorismorum, qui de signis criticis dicti sunt, ut sic intelligam. est enim omnium eadem ratio.

Difficultas spirandi ex uarijs locis oritur. Tussis distinguit difficultatem spirandi ex pectore & alijs locis. Quadruplex spirandi difficultas. Galeni expositio. Quartam difficultatẽ spirãdi uidetur Galenus intellexisse. Omnium eadem ratio.

APHO

APHORISMVS LI.

IN febribus abſceſſus, qui ad primas iudicationes non ſoluunt, longitudinem morbi ſignificant.

GALENO nullus hic uiſus eſt ſubeſſe nodus, nullum etiã, quale in alijs, dicit ſubeſſe myſterium, ſed ſententiam palàm manifeſtam. Nobis uerò fortaſſe, quibus ingenium rudius, ac ſcrupuloſius, maiori indagine opus habere uidetur. Nã ſtatim dubitare cõtingit, nũquid de abſceſſibus, quibus aſſeclæ febres ſunt, an potius de ijs, in quas febres ipſæ deſinãt, loquatur. Priorẽ partẽ Neoterici accepiſſe uidẽtur, qui de pleuritide, peripneumonia, phrenitide, & ſimilibus intelligunt, nam his omnibus febres cõtinuæ atq; adeo acutæ cõiũctæ exiſtũt. Poſſet autẽ ſic accepta ſentẽtia, uariũ exhibere ſenſum. Primus talis erit, ſi ipſæ inflãmationes non ſoluãtur, ad primas iudicationes, quibus ipſæ febres abſoluuntur: contingit enim aliquando, ut febres aliquo modo deſinant, ſed inflammationes ad pus uel ſcirrhum trãſeant. Alij per primas iudicationes primum criſis impetum, ut Conſtantinus interpretatur, accipient: de omnibus enim ijs, quæ criſim imperfectam admittunt, uerum eſt, longas fieri ægritudines: nam uel naturæ imbecillitatem, uel morbi malignitatem præoſtendũt. Rudior eſt interpretatio eius, qui per primas iudicationes, primum diem criticum intelligit, forte tertium, aut quintum: nam neque ſic morbus longus oſtenditur: quoniam & qui decimoquarto terminatur, acutus perhibetur: niſi omnes longos malis dicere, qui non ſunt acutiſſimi. Minus adhuc placet illorum ſententia, qui per primam iudicationem, eam, quæ decimoquarto die fit, intelligunt. nam ut ille quidem longus eſt, non tamen eſt ueriſimile, quòd hoc reſpexerit Hippocrates. Igitur quidam maluerunt eam, quæ uigeſimo fit, intelligere. Sed neq; hoc, neque quouis alio modo, ex his quos diximus, ſententiã rectè poſſis interpretari, niſi nomine Abſceſſus uelis abuti: non enim quæuis inflammatio, ut diximus, nomine abſceſſus intelligitur, ſed tantùm ea, quæ inter duas tunicas eſt: cuius tres ſunt ſpecies, meliceris, atheroma, & ſteatoma. Dicũtur etiam abſceſſus, in quos febres deſinunt. Sit febris continua in parotidẽ,

Galenus hũc locũ tanquã manifeſtum præterit.

Prior dubitatio.

Neotericorũ acceptio.

Expoſitionis uaria ſententia. Prior.

Poſterior.

Tertia.

Quarta Neotericorum expoſitio.

Alia expoſitio.

Omnes uno modo redarguuntur.

Nostra expositio.

aut similem aliquam dispositionem terminatur: ac de ijs solis uidetur dictum, quòd longitudinem morbi significant, qui prima indicatione non terminantur. Neque sic accepta sententia carebit mysterio: sed causa eius est in abscondito, sumetur autem ex eo, quòd abscessus, in quos febres legitimæ abierint, concoctionem obtinent, ac tales prima indicatione soluentur. Quare qui ultra differunt, ex cruda materia fiunt, ac forte suppurabuntur, aut indurabuntur: certe longitudinem significant: nam si ex cõcocta materia abscessus esset natura, ubi quasi respirasset, dierum paucorum recreata spatio, facile primo die critico, hoc est tertio, uel quarto, ipsum finiret. Ita dico, nam simpliciter neque parotides, neque similes abscessus per crisim finiuntur. Si uerò cruda est, multorum dierum spatio indiget: nam si in uenis concoqui non potuit, admodum calentibus, in externis partibus difficile concoctionem obtinebit.

Occulta hoc modo accepta sententia. Abscessus ex cruda materia diu durãt. Occupatio.

Confirmatio.

APHORISMVS LII.

QVicunq; in febribus, uel in alijs morbis sponte illachrymant, nihil absurdum: qui uerò nõ sponte, absurdius.

Spontaneæ lachrymæ duplices.

SPONTANEAS lachrymas dupliciter intelligere possumus, scilicet eas, quæ propter causam manifestam ueniunt, idque externam, ut affectum aliquem animi, gaudium, uel tristitiam: uel internam, ut oculi affectum. Vtrunque genus lachrymarum spontaneum dici potest: quanquam uarias causas obtineat. Posteriores ex loco affecto ueniunt. reliquæ lachrymæ, quæ ex animi affectu pullulant, longius prodeunt: nam oculus nunquam tãtum humoris continere possit, quantum sæpe per lachrymas effluit. Sed neque è uentriculis cerebri ea materia fluere possit: nam nota est harum lachrymarum serosa materia, quam nullo modo in cerebri substantia atque adeò ipsis uentriculis contineri consentaneum est. Reliquũ ergo est, ut è uenis & arterijs prorumpat: nam in his copiosa superfluitas cõtineri solet. Quo uerò modo per huiusmodi affectus distillat, est difficultas. Quidam per expreßionem cerebri fieri dicunt, atque id mihi minus placet: nam cur per tristitiam, aut etiam potius gaudium, ita exprimatur,

Vnde suppeditantur lachrymæ. Leuis disceptatio.

Noua difficultas. Quorundam opinio.

matur, difficile eſt explicare: nullo enim modo hæc expreſsio uoluntaria exiſtit. Sed neque ſi naturalis fuerit, quæ ſit eius ratio, patet: nam quòd quidam dicunt, triſtitia cerebrum infrigidari, & exiccari, atque ita expreſsionē pati, bis térue peccant. Primum, triſtitiæ ſedes nequaquam cerebrum eſt, ſed cor, ut alibi oſtendimus. Deinde intemperaturæ iſtæ non ſubito, ſed paulatim accedūt: lachrymæ uerò ex tempore: denique tametſi iſtam definitionem in lachrymis ex triſtitia ſeruare poſsis, non tamen in ijs, quæ ex gaudio. Hoc & ipſis Neotericis ſuboluit, ac proinde coacti ſunt diuerſam lachrymarum cauſam reddere. Inquiunt enim, lachrymas colliquatis ſpiritibus in gaudio procedere: at id fieri non poteſt, cùm ſpiritus lachrymis multo ſubtiliores ſint: at id quod colliquatur, craſsius eo, in quod euadit, eſſe debuit. Melius igitur eſt, in utroque animi affectu prodeuntes lachrymas ex una materia, quippe ſeroſo ſucco generare: ac in gaudio quidem tantùm ex proximis partibus fundi uidentur: in triſtitia uerò, præſertim ſubita, ex uniuerſo corpore ad media uiſcera, ac deinceps ad caput rapi. Atque hinc, credo, uberiores longe affluunt in triſtitia, quàm gaudio. Quòd autem in triſtitia primùm huiuſmodi humores ad interna feruntur, uidetur uulgus atteſtari, cùm dicat, cor ſibi triſtitia turgere: quo etiam uerbo, triſtitiæ ſedem in corde aſtruunt. Huc etiam alludit, quod uulgo dicitur, quòd dolor quo magis diſsimulatur, eò altius demittitur: & iterum, quòd lachrymæ nonnihil triſtitiam alleuient. Nam humor, qui primò ad interiora defluxit, tandem regurgitare uidetur. Ita rurſum uulgo dicimus, & ſuſpirium & lachrymas ex imo corde procedere, niſi forte fuerint fictitiæ. Idem & illud arguit, quòd non in quauis triſtitia, ſed magna, & ſubita, lachrymæ erumpant. Non eſt igitur mirum, ſi hæ lachrymæ ſint admodum calidæ: quoniam ex locis procedunt admodum calidis: ſed morboſæ, ut quæ ex ophthalmia decedunt: quia ex affectu crudo ueniunt, aliquando frigidæ exiſtunt: ſæpius tamē calidæ, quoniam & affectus calidus exiſtit. Hæ igitur nullum admodum malum oſtendunt: nam hæ morbo atteſtantur, illæ uerò affectui animi: utrunque citra periculum eſt. At in his quæ inuoluntariæ ueniunt, non à cerebro, nō ab uniuerſo corpore, ſed ipſorū oculorū ſubſtantia ſeparātur, forte hu-

Multiplex error.

Multiplex redargutio.

Neotericorū ſubterfugiū.

Redargutio.

Noſtra opinio.

Lachrymę in gaudio ex partibus proximis, in triſtitia uerò ex profundiſsimis.

Atteſtatio.

Triſtitiæ ſedes in corde.

Vulgo dicta,

Subita nō autem ſucceſsiua lachrymas mouet.

Cur lachrymæ calidæ.

Morboſæ lachrymæ aliquando frigidæ.

Inuoluntariæ lachrymæ periculoſæ, & maximam debilitatem accuſant.

more tenui, ideoque infirmam extremè uirtutem retentiuam ostendunt, quæ uel quod bonum, & modicum est, nequit retinere. Non est autem ue risimile, quòd ipsa particula sola male habet, sed & ipsum uicinum cerebrum: secus enim per se nunquam eò usque promouisset debilitas oculi, quæ suum robur à cerebro accipit. Atque has lachrymas sæpe corrugatio corneæ sequitur, ut supernatam uulgus telam putet: quod & ipsi signum mortis habent. Ne mireris igitur, ex hac imbecillitate potius, quàm uentris, aut intestinorum pœnis, signum accipi, nam retentiua in uentre magno robore eget, ad continendum quod accepit: at oculus nullius alterius onus tolerat. Itaque imbecillis admodum uirtus esse debet, quæ proprio ac tantillo humore grauatur.

Multa oculorũ debilitas uniuersũ cerebrum infirmum arguit.
Corneæ.
Occupatio.

APHORISMVS LIII.

QVibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, his fortes fiunt febres.

COMMENTVM Galeni dubium est: uidetur enim uelle, quòd calor lentam materiam faciat. Idque iterum potest intelligi dupliciter, uel quòd talem faciat in solis dentibus, uel etiamdum in ipsis uenis. Ego autem intelligo, quòd lentor in dentibus significet lentam materiam in ipsis uenis: fumus enim, qui ad superiora fertur, naturam prioris humoris imitatur, nec secus ipse humor euariat. Hoc & calor ipsius linguæ indicat: est enim aliquando flaua, aliquando pallida, alba, nigra: sæpius tamen lentor circa dentes quàm linguam concrescit, quia linguæ motus eum dissipat. Acceditur autẽ calor in eiusmodi materia à principio admodum lente, sed semel accensus egregiè emicat: nam & ligna uiridia, licet ab initio non admodum magnam flammam edunt, tandem inextinguibilem reddunt. Idem uidetur accipere antiquus interpres, qui Fortiores febres exponit, Diuturniores. Cõmunitas tamẽ horũ Aphorismorum mihi ferè persuasit, ut & hunc de biliosis febribus, atque adeò de acutis intelligam: nam & in ijs aliquando dentes quodam lentore tentantur, atq; idipsum in his est multo peius: nam parum est in pituitosa febri lentam esse materiam, sed non nisi rarißimè talis est in acuta: grauis enim debet

Galeni commentum dubium.
Nostra opinio.
Lentor potius circa dentes q̃ linguã.
Comparatio cum lignis uiridibus.
Antiquus interpres.
Nostra opinio.
Grauis lẽtor ex materia biliosa.

bet esse calor, qui hîc serosum mutet in lentum.

APHORISMVS LIIII.

QVibus plurimum siccæ tusses, leuiter irritantes, in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

AVT Plurimum *delere oportet, ut Theodorus, aut si retinere uelis, ad totam sententiam referre. Non enim simul plurimum ac leuiter tusses iritare possunt, & reliquæ quædam febres, præsertim pituitosæ, non admodum siticulosæ sunt. Proinde,* in ardentibus, *dixit, in quibus quidem rarior est ex distillatione tußis, aliquando tamen, quoniam licet per febrem ardentem uniuersum corpus incalescat, cerebrum minus. Multum hîc iuuabunt nos paradoxa nostra, in quibus ostendimus, quòd aqua incalefacta suapte spõte refrigeretur, nisi locus sit admodũ calidus. Experientia est in uapore, qui sub ollarum concrescit cooperculis: ita & uapor in cerebro suapte sponte cogitur, ac ex inferiori cerebri superficie delabitur, forte etiam à uirtute exprimitur. Et quidem biliosus parum sitim mitigat, ac forte ea sola ratione, quia ut simplex inæqualitas tußim prouocat, atque humiditatem quandam ex proximis partibus concitat, quæ siccitatem diluit: non est enim hæc sitis ex caliditate uentriculi, sed ipsius gulæ siccitate: quare melius est in commento audire, quòd loci humectentur circa asperam arteriam, quàm simpliciter ipsa aspera arteria. Videtur idem multo præstantius facere humida tußis: sed per accidẽs aliter euenit: quippe sua craßitudine meatus aliquando infarcit, ac situm potius auget, quàm minuit. Et in hoc Hugo Senẽsis lapsus est. Forte etiã siccam tußim adnotauit Hippocrates, quia humidam admodũ uix hîc reperies. Potest unusquisq; ex hoc Aphorismo cognoscere, quàm studiosè Hippocrates ubique accidentium rationem inquisiuerit, & ubique quod per se est, ab eo quod per accidens est, distinxerit.*

Febres pituitosæ parũ siticulosæ.

Tussis in febribus ardentibus.

Paradoxa in problemata digesta.

Vapor in cerebro sæpe ꝑ se cogitur.

Qua ratione sicca tussis sitim diluit.

Sitis hęc ex gulæ siccitate.

Occupatio.

Hugonis Senensis error.

Altera suspicio.

Hippocratis diligentia.

APHORISMVS LV.

EX inguinum tumoribus, febres omnes malæ, præter diarias.

PARVAM

PARVAM difficultatem in hoc Aphorismo Galenus reperisse uidetur: quē minimo dignatur cōmento: neq; enim commentatio ipsa adeo excedit Aphorismum: uerùm neq; sententia ipsa uidebitur Hippocrate digna, tantum abest, ut aliud Galenus commentum desideret, si quidem simpliciter intelligatur. Quippe quòd febres putridæ peiores sint diarijs, per se constat, neque aliunde testimonium desiderat, siue ex bubone oriantur, siue aliunde. Grauior hîc imminet difficultas, de qua minime sperabatur, an aliæ febres à diarijs bubonem sequi possunt. Super eo nos dubitare fecit Galenus, qui in secundo libro De febribus, febrem nullam, præter diariam, ex tumore inguinum, ac similium glandulosarum partium, suscitari putauit. Nec obiter dixit, rationem ibidem ipse adiecit, dicens humorem in his locis impingi, cogique, adeò ut nullus hinc putridus halitus cor tentare poßit, citra quod putrida febris nunquam contingit, saltem secundùm illius sententiam, quamuis etiam cor quàm maxime incalfaceret. Caliditas ergo cordi tantùm communicatur, sed putredo in ipso bubone circumscribitur, atque uno die finitur, quamuis nonnunquam iterum atque iterum, pro diuersitate caloris & doloris reuertitur. Hugo Senensis usque ad uenas putredinem diffundi putat, aliquando autem ad ipsum cor, adeò ut putridam committat. In quo loco bis cum Galeno pugnat, ac credo, quòd hunc locum in libris de febribus non legerit, aut certe non animaduerterit. Condonandus tamen error: nam idem uidetur astruere præsens sententia, & attestari ipsa experientia: quippe bubonem pestilentem non tantùm putrida, sed sæpe acuta febris sequitur. Ac diu fortaßis circa hunc nodum laborassemus, nisi eum Galenus in hoc loco explicuisset: ipse enim primum annotauit, has febres nequaquam exteriorum, sed internorum inflammationem sequi: subinde enim uterque locus simul inflammatur. nec est difficile dictu, cur potius interiorum quàm exteriorum inflammationes putridæ sequantur: quippe proximior putredini est uia ad cor ab internis, quàm externis. Multo etiam facilior, quòd hîc uenæ & meatus latiores sunt. Nihil igitur hanc putredinem ad cor ferri impedit, & reuera fertur. Difficilius est reddere causam, cur non tota materia simul putredine afficitur. Atque hîc fimum colum

[Margin notes:]
Prima sententiæ phantasia admodū simplex.
Grauis quæstio.
Galeni locus in secūdo de febribus.
Hunc locum ibidem eruimus.
Hugonis Senēsis supinitas.
Experientia.
Iusta Galeni explicatio.
Facilis cordi cum internis uisceribus omnibus communicatio.
Difficilis quęstio.
Cur ī inflāmationibus materia paulatī accēdatur, & plures pariat paroxismos.

columbinum (cuius Galenus alibi meminit) respicere oportet: non enim hic totus simul putruit, sed paulatim accensus est. Idem & in internis inflammationibus cogitare oportet, ut paroxismorum uicißitudines inuenias: quod ut melius credas, adi Galenũ in principio undecimi Therapeutices, ibi plures febres, ex ipsis phlegmonis prius cõceptis inuenies. Quidam pro singulis paroxismis nouam materiam influere cogitant: & in hoc egregiè falsi sunt. tantùm id quibusdam ulceribus longis tumoribus accidit. diuersitas causa est, quòd in ulceribus & alijs affectibus longis habitus quarundam partium deprauatus est, quæ nouam semper materiam euomunt. Scio quòd & Galenus ipse in secundo De febribus, dicit inflammationes in principio exacerbationis intendi, in declinatione uerò contrahi. Sed hoc potius acceptum feremus febris feruori, quàm nouæ defluxioni. Proinde non quidem id, quod iam influit, sed id quod primo die pòst influxit, omnes ex ordine exacerbationes facit. Nec est simile de febribus intermittentibus: nam hic paulatim excluditur materia, ac tantùm eã, quæ fuerat corrupta, appellant coniunctam: at in initijs inflammationum, affatim cadit tota antecedens simul, & coniuncta. Hoc in pleuritide etiam ipsum sputum arguit: nam in morituris putridum existit, in conualituris uerò concoctum, atque non aliter, quàm urina in uenis aliquando putredinem, aliquando concoctionem ostendit. Vt ingenuè tamen fatear, materia inflammationis non semper in loco priuato circunscribitur, sed ad uenas proximas differtur: atq; hinc est, quòd inflammationes in pectore, pulmone, & alibi, aliquando per fluxum sanguinis è naribus, aliquando per aluũ, interim per sudorẽ terminantur, atque à principio, uel etiam ubi constiterint, facta phlebotomia diminuitur. Ad magnas tamen, et cõmunes uenas parũ materiæ exorbitat: proinde rectè uulgò dicitur, quòd urina nullũ super pleuritide iudiciũ præbeat. Quòd si in huiusmodi inflammationibus urina putredinis signũ ostendat, non est huius causa, quia urina momentum aliquod humoris ex eo loco referat, aut in uenis accedat, sed quia per consensum & affinitatem sanguis in uenis nonnihil patitur: nam & alibi citra ullam febrem sæpe sanguis corrumpitur. Non est autem ociosus hic sermo, uel tantùm

Paroxismorũ uicißitudines.

Quorundam opinio.

Longis tumoribus paulatim aliquid influit, in acutis omnia affatim fiunt.

Diuersitatis causa.

Occupatio.

Galeni locus difficilis.

Nostra opinio.

Occupatio.

Attestatur sputum.

Inflammatio sæpe ad uenas proximas exorbitat.

Vrina in pleuritide ac similibus inflãmationibus uix attestatur humori in loco affecto.

Occupatio.

Sermo operi medico utilis.

V prop

propter speculationẽ dictam, sed ad praxim necessarius. Videmus enim hinc apertè totum ferè morbum in pleura contineri, ac corpus temere onerari tot poculis, quæ uniuersum corpus respiciunt. Contrà magis ecligmatis insistendum, nisi forsitan calori cordis, ac uniuersi corporis prouidere uelimus, ne reliqua materia in uenis in consensum trahatur. Ut ergo ad propositam sententiam reuertamur: Summa rerum est, quòd febres putridæ, quæ cum bubonibus committuntur, malæ sunt: quia suspitionem alicuius interioris inflammationis (ut pestilentes bubones) faciunt, exterior bubo solam diariam facere potest, qualis plerunque externam causam sequitur: ac talis quidem febris sine discrimine existit, nisi forte initium alicuius pestilentis febris nequeas à diaria distinguere: nam hoc alibi diximus, quòd febris pestilens subinde in principio anticipat occidere, priusquã ad magnitudinem perueniat: quod multis indoctis ausum præbuit, ut inter febres pestilentes diarias putridis periculosiores, atque acutiores putarent.

Abusus uulgaris.

Summa hui⁹ sententiæ.

Externus bubo solam diariam facit.

Mala quorũdam opinio de febribus pestilentibus diarijs.

APHORISMVS LVI.

FEbricitanti sudor superueniens, febre non deficiente, malum, prorogatur autẽ morbus, & multam significat humiditatem.

TRIPLICEM sudorem Neoterici hic distingunt: antecedẽtem, intercedentem, & sequentem. Antecedentem, credo, uocant, qui uniuersum morbum, aut ipsum paroxismum præcedit. Sequẽtem, qui paroxismũ finit. Neutrum nunc Hippocrates spectat, sed de ignauo illo, credo, loquitur, qui tempore intermissionis, aut remissionibus oritur: contingit enim quosdam uel extra paroxismum leuiter sudorem fundere. Atque hic quidem multam humiditatem significat, quam natura impotenter continet, & per fas & nefas grauata excludit: secus enim facilius est illi modicam materiam concoquere, & eijcere, quàm paucam. Atque hic est, de quo Hippocrates nunc loquitur. Oribasius ijs omnibus missis, febrem partitur in eam, quæ ex putredine, & eam quæ ex uentositate fit. Delirare eum diceres, nisi forte per flatum spiritum intelligat. Quid, quòd febres ex putredine

Triplex sudor. Antecedens. Sequens.

Intermedius.

Quare natura per sudorẽ poti⁹ multam materiã minuit, quàm paucam.

Oribasius delirat.

Nugæ.

dine, & putridis humoribus inuicem dimiserit? Fateor, quòd febres quædam diariæ ex bubone inguinis, aut alia suppuratione fiant: sed scio, quòd huc non respexerit. Omitto, quòd idem sit, diariam ex putridis humoribus, aut ex putredine dicere. Verùm & in priori Aphorismo ociosum uidetur, reliquisse commentum, ubi causam reddidit, cur diarijs putridæ sint maligniores. Inquit enim id trifariam accidere: primò, fluxu humorum: secundò, imbecillitate partis: tertiò, ipsa natura febris, ubi iterum diarias febres ex uentositate generat. Sed de ijs satis: non enim repetere uolumus, quod alibi diximus, materiæ multitudinem aliquando morbum abbreuiare, ubi speciem mutat: secus uerò plerunque producere.

Ignaua Oribasij distinctio.

Materiæ multitudo aliquando morbum producit, aliquando acutum facit.

APHORISMVS LVII.

QVi à conuulsione aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur.

NIMIVM scrupulosa est hîc quæstio Oribasij, dũ quærit, cur non fuerit Hippocrati satis conuulsionem dixisse, nisi & distentionem adiecisset: aut cur distentioni conuulsionem præposuit. Mirabilior illius respõsio, cùm diceret decere, ut genus proponatur speciei: nam cõtrà cõmuniter Hippocrates speciẽ præposuit generi, ac frustra speciem adijcere uidetur, qui genus antè nominauit. Sed neque distentionem uidetur rectè describere, cùm distentum membrum rigidum quidem, sed uel incuruatum, uel extensum finit: etenim distẽtum, semper est extensum & rigidum, utroque musculorum genere patiente, aut extendente tantùm: itaque melius est per cõuulsionem simplicem alicuius musculi affectionem intelligere, per distentionem uerò utriusque, aut certè extẽdentis tantùm. Ac de hac re postea, nunc nobis satis est, quòd utraque communiter morbus instrumentarius existit, non quidem ut Hugo Senensis in definitione eius putauit, quia membro organico accidat (sic enim & morbi similares instrumentales essent) sed quia constitutionem ac situm partium instrumentalium uitiat. Proinde siue ex repletione, siue ex inanitione fuerit, species morbi eadem erat: tanto simplicior erat antiquorum error, dicentium, spasmũ quidem ex siccitate morbum similarem, ex plenitudine uerò in-

Mirabilis Oribasij dubitatio, mirabilior ipsius solutio.

Distentum semper est extensum.

Conuulsio morbus instrumẽtalis.

Definitio morbi instrumentalis.

Error ueterum.

Causa speciē morbi non mutat.

Duplex Barbarorum error.

Maior quæstio.

Hectici nunquam uniuerso corpore distendūtur.

Nullum unquam corpus in omnibus partibus tumorem cōcepit.

Distentio rarissim⁹ morbus.

Catalepsis, congelatio, distētio, morbi proximi.

Frigiditas & siccitas corpus faciunt rigidum.

Catalepsis definitio.

Galenus.

Paulus Aegineta.

strumentalem: nam causa speciem morbi non mutat. Quæ autem plenitudo conuulsionem committit, alibi diximus: nam & in hoc error medicorum apparet, dicentium materiam secundùm latum musculum spasmum facere, secundùm longitudinē uerò paralytim. Sed neque hoc bene distinxerunt, materiam paralytis subtiliorem, cōuulsionis uerò crassiorem. Sed hæc alibi. Illud ego à Galeno, & Neotericis magis ostensum uellem, in quo morbo totius corporis accidat distentio. Neque enim in hectica febre ipsum inuenient, ubi fortassis maximè ostendere sperabant: nemo enim ex his unquam toto corpore distentus est: naturalis enim quodammodo hæc siccitas corpori euadit. Quòd si in aliqua illius parte conuulsio sentiatur, id potius ex flatulento spiritu est, quàm siccitate. Forte igitur per capitalem aliquem morbum id eueniet: quippe unumquenque per se musculum affici plenitudine, aut tumore, est impossibile: monstrosum enim ad modum corpus esset, & albo coruo simillimum, quod in singulis partibus nocuosum fuerit. Ergo in morbo comitiali clamabit se id quispiam inuenisse, sed frustra: nam nulla species conuulsionis hîc proprie accidit. Igitur nec in sopore, lethargo, aut phrenitide. Ac iam propemodū omnes capitales morbi mihi numerati uiderentur, dum catalepsis, siue depræhensio (rarus quidem, sed periculosus morbus) nobis occurrit, congelatio uulgo dicta, morbus frigidus ac siccus, in quo quidem ego hanc distentionem solam incidere puto: neque sine ratione: quoniam & alioqui melancholici parum à rigidis absunt, certè subinde stupidi uisuntur: nihil enim est, quod corpus immobile magis, ac inopportunū ad morbū reddat, quàm frigiditas, & siccitas. Ita nihil mirum, si in catalepsi morbo quidem capitali, sed insigniter frigido, & sicco, corpus rigeat: prompte enim frigiditas et siccitas cerebri ad uniuersum neruorum genus defertur. Propius id ex nomine ipso argues: nam catalepsis, siue depræhēsio, dicta est, quòd homines in eo statu manent, in quo morbus eos depræhendit, ac plane totum corpus in hoc morbo rigidum manet. Vnde & iuxta Galenum oculi aperti manent. Paulus Aegineta tametsi paulo obscurius de ipsa disserat, tamen similiter corpus in tali morbo rigidum constituit. Atque ista sunt, quæ mihi hanc distentionem in sola fortassis catalepsi fieri persuadent.

Scio

Scio quòd in tertio De locis, Galenus catalepsim à tetano uideatur distinguere: sed ea diluemus ibidē: nunc satis constat, quòd distentio potius quādam siccitatem, quàm plenitudinem sequitur. Quocirca multo facilius est nobis, quàm alijs, rationem reddere, cur præter conuulsionem Hippocrates distentionem adiecerit. Quippe alio modo febris conuulsionem tollit ex plenitudine, alio rursum modo distentionem: conuulsionem enim curat, quia plenitudinem discutit: distentionem uerò, quia insigniter uniuersum corpus incalefacit: forte etiam distentio conuulsionis genus nescit. Quicquid autem sit, utrique febris confert, ac potissimum diaria, imo & putrida minus periculi afferet, quàm ipsa distentio. Frustra ergo diu conflictantur in ea quæstione Neoterici, an putridam febrē conuenit excitare in conuulsione ex plenitudine, aut flatulēto tumore. Sed de his plura in secundo Aphorismorum reperies.

Occupatio.

Cur Hippocrates præter conuulsionē adiecerit distentionē, nostra coniectura.

Melior est febris putrida, quàm distentio.

APHORISMVS LVIII.

A Febre ardente habito, rigore superueniēte, solutio fit.

DIFFERENTIA est inter febrem ardentem, & tertianam continuam: nam in febre ardenti obsidentur uasa cordi proxima, in tertiana uerò continua remota. Nō tamē Hugo Senensis culpa caret, qui ardentem febrem aliquando à paroxismo tertianæ exorbitare dicit. Sed credo similitudine synochi falsus sit, qui unicam accessionem edit. Sed neque rigoris causam sufficienter explicat: non enim ob eam causam humores in uenis tranquillæ feruntur, quia uenæ sunt stupidæ, sed quia eorum sensus in uenis meliorum commistione obtunditur. Grauior est dubitatio, cur per rigorem simul & habitus externus dolore afficitur, & tamen spiritus & sanguis ad interiora relabitur. Nam in alijs doloribus humores econtrario ad partem affectam affatim ferri solent. Nemo, quod sciam, hunc nodum expediuit, sed ut mihi apparet, ex dolorum discrimine soluitur: quippe mediocres dolores ad sese humores aduocāt: magnus uerò, usq; ad cor peruenit: quippe & in alijs ferè animi affectibus ipsum cor maximā partem spiritus & sanguinis ad sese refert, nec iam id magno alicui

Differētia ardentis & tertianæ continuæ.

Error Hugonis.

Grauior dubitatio.

Humores alibi referuntur ad partē dolentem.

Mediocris dolor humores ad se uocat.

Affectus animi.

Non solùm in magnis:

sed & ijs qui affatim incidunt doloribus, spiritum & sanguinē cor ad se trahit.

Falsus Oribasius.

Ardentem sudor finit, synochū uerò fluxus sanguinis.

Occupatio.

Sanguis in inflammationibus concoctione aliā phātasiā induit.

Rigorem ferè uomitus comitatur.

dolori tantùm accidit, sed & confecto, ac subito. Ita quidem materia in principio paroxismi, licet non adeò magnum dolorem pariat, tamē subito in uniuersum corpus quodammodo irruit, atque causa rigoris existit, qui proximè febrem soluet, non (ut Oribasius inquit) quia interna refrigerat: nam id falsum existit: sed quia principiū sudoris promittit: ac (ne mireris, cur Hippocrates in hoc loco rigorem scripserit) is est, qui præcipue ardentes finit: nam synochum magis fluxus sanguinis è naribus curat. Aliquando tamen & hic, quemadmodum & ipsæ quoque interim inflammationes sudore exhauriuntur. Nec obest, quòd per modum aquosi humoris sanguis exigatur: quia per concoctionem aliam phantasiam recipit: nec id solummodo hîc euenit, sed & illic, ubi inflammationes aut per superiorem aut inferiorem uentrem expurgantur. Sed de ijs omnibus in ultimo De crisibus. Unum hîc addere oportet, quòd, dicente Galeno in commento, rigorem non tantùm sudor sequitur, sed & uomitus & deiectio, sudor tamen magis: unde ferè & febrium intermittentium paroxismum sudor terminat, qui cum rigore inuadit.

APHORISMVS LIX.

TErtiana exquisita, septenis circuitibus, cùm lōgissima est, iudicatur.

Breuis exquisitæ tertianæ definitio.

Nulla apud nos esse potest tertiana pura.

Pura impura breuior.

Breuitatis causa.

Quartana, quotidiana, impuriores apparent breuiores.

TERTIANA exquisita, quam omnes conditiones circumstat biliosæ: ergo neq; tempore hyemis usquam, neq; apud nos unquam suboriri potest pura aut legitima tertiana, quod idem est: nam saltem regio nostra frigida est, neq; natura nostra tantùm sentit præsentem aërem, sed et prioris eius cōsuetudinem. Facile ergo est colligere, quòd pura, impura sit breuior: nā æstiuæ quartanæ breuiores hyemalibus, multo magis præcipitabuntur, ubi omnia circumstant calida. Hæc ergo prompta sunt in tertiana. De reliquis licet dubitare: nam ecōtrario quartana & quotidiana eo breuiores apparent, quo fuerint impuriores, atq; ad calida inclinent amplius. Nam bilis quàm pituita, & pituita quàm melācholia citius euincitur. Proinde breuior uidetur morbus, qui definita mole pituitæ ac bilis cōstiterit, aut melancholiæ & pituitæ, quàm ex sola pituita aut melancholia.

lia. Aliud est, ubi pituita miscetur cum melancholia: nam tales quotidianæ puris diuturniores, forte & quartana cum pituita coniuncta erit longior: nam ægrius conficit duos humores, quàm unum. Forte etiã erit breuior ea, in qua omnes conditiones ad melancholiam spectant. Facilius asserere datur, quòd tertiana continua intermittente sit breuior: nam licet forte in intermittente materia sit minor, est tamen in continua ferè subtilior & calidior: quorum utrunq; magnum est ad morbi breuitatem compendium. Horum ergo omnium ratio in promptu existit. Non est æquè manifestũ, cur reliqui morbi acuti ferme iudicentur decimoquarto, & tertiana Galeno ferè anticipet decimotertio. Miror, quòd nemo ex cõmentatoribus huius rei causam reddiderit, ne inquisierit quidem. Videtur mihi, quòd paroxismus in utroq; genere in finem diei decimætertiæ incidit, sed crisis subinde declinationem excipit: atq; ita fit, ut aliquam partem deciminquarti occupet. At tertiana nullam nouam mutationem in septimo paroxismo patitur, sed ut in cæteris, obiter sudore soluitur. hoc enim peculiare febribus intermittentibus, ut plurimas toto corpore euacuationes tolerent, neq; repente iudicentur, sed paulatim terminentur. Ita & nunc quoque Iudicari pro Terminari in Aphorismo audio. Ac sic quidem sese habet proportio tertianæ ad continuam. Reliquis, scilicet quartanis, atque quotidianis, nullum terminum Hippocrates aut Galenus præfixit: in causa forte est, quia longitudo illarum terminum prospici prohibet. Ausi tamen sunt Neoterici definire, quòd legitima quotidiana finiatur diebus sexagintaquatuor. Melius, ut alibi redarguimus, definiuisset sexaginta: nihilosecius & hic longus est pro quotidiana, nõ solùm exquisita, sed & impura, quæ ut diximus sæpe citius finitur, quàm exquisita. Magis est irrationabile, quòd quartanam exquisitã finiunt uno anno: nam satius esset dicere, in quadraginta paroxismus. Nihilosecius hæc omnia ãbigua sunt, et uix definiri possunt: nam & illud adijcere oportet, quòd uel tertiana impura sæpe finitur tertio paroxismo, ob materiæ breuitatem. non tamen exquisita tertiana ob materiæ quantitatẽ (ut quidam malè cõmentantur) potest differri ultra decimumquartum: ex quo constat, quòd morbi conditio ferè magis sequitur materiæ qualitatem, quàm quantitatem. Atq; hinc

desum

Fortuna ambigua, & difficilis definitio.

In febre tertiana intermittẽte materia breuior, sed in continua calidior.

Difficilis quęstio, quare morbi acuti ferè iudicantur decimo quarto, & tertiana terminetur decimotertio.

Neotericorũ negligentia.

Nostra opinio aut coniectura.

Iudicari pro terminari.

Termini quartanæ & quotidianæ incerti.

Neotericorũ incerta coniectura.

Omnia incerta.

Tertiana impura ob materiæ breuitatem finiri potest paroxismo tertio.

Pura non excedit decimũ quartum.

desumptum est, quòd tertiana pura longissima septuagesimo terminatur circuitu.

APHORISMVS LX.

QVibus in febribus aures obsurduerunt: sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum.

Surditas ex uarijs humoribus uariam sortitur fortunam.

Fluxus sanguinis cõuenit in surditate ex sanguine.

Ventris flux⁹ in surditate biliosa.

Vtrunque remedium sæpe eidẽ affectui cõpetit.

Neotericorũ mala distinctio.

Rimosa Galeni commẽtatio.

Aluus nõ solùm materiá in surditate reuocat, uerũ etiã euacuat.

Surditas ante crisim dupliciter gignitur.

Prior fluxu sanguinis tollitur.

Posterior turbationem alui amat.

Crisis una p uarias simul euacuatiões.

DIFFICILE redargui poterit, qui hanc sententiam in diuersis acceperit affectibus: nam surditas nonnunquam in synocho euenit ex sanguinis delata sursum copia: atq; hîc potissimum iuuat sanguinis profluuiũ: alibi surditas ex congesta bile oritur, atq; hîc magis proderit uentris irritamentum. Nihilosecius, & in eodẽ affectu utrunq; conuenire potest: non enim solùm sanguinem mittimus, ubi sanguis bene temperatus abundat: sed & ubi uel biliosus, uel melãcholicus, uel etiã pituitosus exuperat, modo humorum istorum cruditas (ut inquit Galenus in quinto De sanitate tuenda) non multum supra aut infra modũ sanguinis fuerit. Ex hoc loco (licet malè) Neoterici uidentur accepisse suam distinctionem de sanguine separato ab humoribus, aut cõiuncto. Sed de ijs alibi. Nunc tantùm id uolebamus dicere, quòd in ijs affectibus non semper requiritur purgatio, aliquando loco purgationis sufficit sanguinis missio: sed & econtrario aliquãdo loco euacuationis sanguinis, sufficit purgatio. Nescio igitur, cur Galenus in fine cõmẽti dixit, Aut euacuatis, aut trãsmutatis: nã utraq; & totus morbus euacuari, & symptoma tolli potest, non tamen simul humores & ad superiora, & inferiora ferri solent. Proinde aurium surditatẽ, quæ ante crisim euenit, bifariam oportet generare: aliquando ipsi humores caput petunt, & surditatem cõmittunt, atq; hæc eleganter fluxu sanguinis è naribus finitur: aliquando surditas duntaxat leuiores uapores sequuntur, dum humores discernuntur, qui postea ad inferiora traduntur: atq; hæc fluxus uẽtris medicatur: nam postquam humor præcipuus, à quo exortus est ipse uapor, effluxit, facile uapor cerebrum relinquit. Iam unus & idem morbus aliquando uariè iudicatur, & simul fluxu sanguinis, sudore, aut uentris profluuio crisis eiusdem morbi obitur.

APHORISMVS LXI.

FEbricitātē nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.

NIMIS grauatim hanc sententiam fert Galenus: nam non est hic sermo de quibusuis febribus acutis: sed simplicibus, ac citra inflāmationē: neq; de ijs omnibus rursum, sed præcipue ardentibus, quæ rarò usq; ad decimumquartum immorantur, sed uel quinto, uel septimo, nono, aut undecimo terminantur. Recte ergo dixit Hippocrates, quòd recidiuare consue uerunt, hoc est magna ex parte redeunt, quæ in paribus diebus relinquūt: nam rara est, quæ ad decimumquartum diem differtur. In eadem sententia eodem modo Celsus quoq; cæcutiuit. Galenus non nihil morosus. Acutæ febres ferè imparibus diebus iudicantur.

APHORISMVS LXII.

QVibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.

NEGAT Hippocrates febrem ardentem ante septimum diem morbo regio posse terminari. Atq; id merito quidam commentatores mirantur: quidam etiam refellere audent, qui in regionibus calidioribus ante septimum diē apparuisse testantur. Atq; horum mittamus experiētiā, ne forte fallax sit: nam ratio ipsa in promptu uidetur: si enim febris tertiana etiam impura, sæpe tertio circuitu terminetur, cur non & ardēs febris posit tertio die, aut saltem quinto, per morbum regium expurgari? Atq; Hippocratis quidem dictionem facile esset excusare: nam licet ipse quibuscunque *dixit, tamen magna ex parte forte intellexit: ac reuera paucissimæ sunt, ac ferè duntaxat legitimæ, quæ ante septimum iudicantur: illegitimæ autem, quales ferè plerunq; sunt, aliquem ex posterioribus terminum obtinent. Proinde rarissimum est, quòd ante septimum diem morbus regius ardentem terminet. Sed quid, precor, Galeno facies, qui in eodem, eoq́ue breuissimo commento bis impossibile asseuerat, ut ante septimū bono fiat? nunquid oblitus est, quòd paulo antè ardentē tertio, quarto, quinto die forte terminari cōcesserit? Non est uerisimile, sed forsitā ita ipse cogitauit, quòd febres ardētes, quæ terminātur ante decimūseptimū,* Hippocratis sententia mirabilis. Quidam repugnant. Obiectio. Facilis Hippocratis excusatio. Galeni dictio magis perplexa.

Non quæuis bilis morbũ regium facit, tantùm crassior.

Fallax sequela.

ex tenuiore constãt materia, quàm quæ morbũ regium facere posset: non enim morbus regius ex quauis constat cholera, sed crassiore: forte etiã febres, quæ ante septimum terminãtur, potius alia euacuatione ac fluxu sanguinis, quàm sudore finiuntur, utpote calidiores. Iam nullo modo sequela obtinet, quòd morbi acuti, uel sudore, uel obiter morbo regio absolui possunt, si quidẽ aliter eas finiri contingat. Certe potius est, altero modo Galenum componere, quàm ab eo ad Arabes decedere.

APHORISMVS LXIII.

QVibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febre soluuntur.

Typi febriũ.

Multiplex locus, in quem materia febris excutitur.

Notæ partiũ in quas materia febrilis labitur.

Signa patientis uẽtriculi.

Signa hepatis recipiẽtis.

Galenus in libro quinto, De morbis.

RIGOREM, horrorem, frigus, typos in febribus appellant: fiũt autem, dum materia à uenis in habitum corporis excutitur: atq; id multifariam accidit: aliquando excutitur in caput, & si materia frigida fuerit (dicente Galeno) sopor sequitur: uigilia autẽ, ac delirium, si quidem econtrario calida fuerit: tussis uerò euenit, si quando effatu digna in pectus inciderit. sic multos in principio paroxismi multa tussiuisse deprahẽdimus. Sæpius in uentriculum cadit, atque hìc duplex fortuna: si quidem natura imbecillis fuerit, materiaque maligna, syncope ferè sequitur: alibi aut uomitus, aut nausea. Dixit alibi Galenus, si quando hepar imbecille fuerit, atq; huc forte materia redundet, in principio paroxismi deiectio frequens fit: sæpissime materia in habitũ corporis excutitur, & qui antè dicti sunt, typi sequuntur. Manifeste his attestatur Galenus in lib. quinto De morbis & symptomatibus: ubi materiam nunc ad cutem, nunc ad interiores partes irruere asseuerat, & quidem rigor proprie dictus solam bilem sequitur. Sed nũc liberius de eo loqui oportet, atq; ad horrorem etiamdum frigus extendere: tantùm enim discrimine maioris & minoris differũt. Maximus quidem rigor in exquisita tertiana insurgit: nam bilis ipsa maxime fluxilis existit, & cum impetu quodam ruit, ac sua acrimonia maxime neruosa corpora uellicat. minus acris, minusq; subtilis est melancholia, & proinde horrorem pro rigore facit. Atq; id de uera melãcholia dico: nam succus melancholicus si quando ex eo febris oritur, ignauus est,

Cur bilis maiorem quàm alij humores rigorẽ facit.

Quartana ex succo melancholico paruum horrorẽ edit.

ac potius frigus, quàm horrorem facit: ob craßitudinem enim suã minus præceps est. Eadem est causa, cur pituita in quotidiana potius frigus quàm horrorẽ inducit: etenim ipsa crassa est, & lentore suo hæret, nec ulla acrimonia corpora perstringit, tantum leuiter suo frigore percutit. Proinde nõ solùm in quotidiana, sed in semitertiana frigus excitatur, dum leuiter ipsa per uenas mouetur. Maxime tamen dum extra uasa materia expellitur, huiusmodi typi oriuntur. Et hæc est causa, cur ferè tantùm in intermittentibus adnotantur, ac præcipue in exquisitis: nam in impuris omnia secus eueniunt, atq; in tertiana sæpe pro rigore horror, aut etiamdum frigus oritur: econtrario in quotidiana & quartana aliquando leuis rigor committitur, prout hæc materia aut alia illi permiscetur. Iã tũ in quotidiana, tum alijs aliquando frigus tam leue ac breue, ut uix alibi quàm ipsis pedibus poßis percipere. Hæc de typis. nunc, cur febres certis quibusdam ordinibus reuertuntur, tempus est definire. Galenus in secundo De febribus, ex imbecillitate uisceris humores generantis causam requirit: sic singulis annis quibusdam quidam morbi per circuitum redeunt, febres, podagræ, & chiragricæ. Sed hæc generalis tantùm causa est, cur morbi annui recurrant. Quærimus autem nunc, cur plures per interualla paroxismos committant. Neoterici causam dicunt: quia in loco (ut ipsi uocant, minera) putredinis relinquitur mala qualitas. uidentur accepisse ex hoc loco Galeni, qui in fine commenti dicit, remanere quandam dispositionem, à qua secundùm circuitum febres & alij casus generantur. Dura dictio: manifestior causa est, quia multi humores manserunt maligni, à quibus prior pars progressa est. Proinde toties, ac tam diu paroxismus recurret, donec tota materia fuerit finita. Specialior ad hæc est quæstio, cur cholera tertio die, melancholia quarto, quotidiana singulis diebus recurrat, sanguis uerò unicam à principio usque ad finem accessionem faciat. Et sunt, qui id ipsum requirant ex astris: nos uerò alibi ostendimus, eorum causam in terris: nam hæc omnia fiunt pro discrimine qualitatis, materiæ, atque quantitatis, prout uidelicet materia plus aut minus ad putredinem est idonea: alioquin quomodo quintanæ, sextanæ fient? nunquid pro ijs quintum ac sextum humorem inuenies? aut tertianam semper

Quare quotidiana tãtùm leuiore frigore percutit.

In semitertiana leue frig⁹.

Typi præcipue in intermittentibus.

Impure typos uiolant.

In quotidiana aliquãdo uix frig⁹ sentitur.

Cur febres ꝑ certa interualla redeãt.

Galeni ratio obliqua.

Neotericorũ opinio ex Galeno desumpta dura.

Nostra opinio.

Specialior quæstio, cur singuli humores sua ac propria seruant interualla.

Nostra opinio.

ex cholera, quotidianam ex pituita compones? nunquam inuenies. Sed ut unusquisque humor ad putredinem ideonus, ita paroxismos citat: sic synochus unam ac perpetuam habet accessionem, quia inter reliquos humores sanguis putrescit promptissimè. Secundo loco pituita, est enim humida. Pertinacissime putredini resistit melancholia, utpote frigida, & sicca. Cur ergo diuersis temporibus reuertantur, dictum est. Nunc, cur rigores finem eius paroxismi significent, dicendum est, nec procul quærenda ratio: quoniam rigor materiã extra uenas protrusam significat, quæ proxime per sudorem, aut alia decedet, postquam per febrem putruerit. Veruntamen ut rigorem non semper febris sequitur, ita neque sudorem semper rigor præcedit. Causa est, uel quia materia ignauior existit, uel quia paulatim irruit. Hac de causa sæpe & morbus regius citra rigorem incidit, ob illam uerò causam sæpe quotidianam, uel citra rigorem ullũ sudor finit: raro tamen quotidianam sudor sequitur, non quidem, ut Neoterici suspicantur, quia pituita sanguini mista, nam iam uasis excidit, sed quia crassa est, ac lenta. Hac de causa & febres quædam in principio minorem faciunt horrorem, quàm postea: nam à principio materia, utpote crassa, ægrè excutitur, postmodum uerò extenuata, magis promptè exploditur. Ita ergo & pituita, quia crassa est, non expellitur affatim, sed resoluitur paulatim. Est autem & in quartana humor magis crassus, sed interim parum lentus. Atq; hæc mihi causa uidetur, quòd ipsius potius, quàm pituitæ, magis diligens fiat expulsio.

Prout unusquisque humor ad putredinẽ est idoneus, ita paroxismos mouet.

Quare rigor febrem finit.

Neq; rigorẽ semper sequitur febris, neque sudorem semper antecedit uigor.

Morb⁹ regi⁹ citra rigorẽ.

Sudor rarus in quotidiana.

Neotericorũ opinio friuola.

Rigor præcedentibus febrib⁹ crescit.

Cur euidentior rigor in quartana, ꝙ quotidiana.

APHORISMVS LXIIII.

QVibus in febribus morbus regius septimo, uel nono, uel undecimo, uel decimoquarto, superuenerit, bonum: nisi dextrum hypochõdrium obduruerit. Si uerò non, non bonum.

IDEM ferè Aphorismus est cum eo qui prius dictus est: nam ubi in fine adijcit, Si uero non, non bonum. *hoc solùm uult, si non septimo, sed aliquo ex prioribus diebus apparuerit morbus regius, malo est. Communiter autem in utroq; adnotare oportet, quòd ipsi per se dies morbum.*

bum regium neque damnant, neque commendant, sed solummodo interuallum supputant, intra quod concoctio febris fieri potest. Igitur uel citra dierum numerationem idem ostendet tibi urina, & reliqua accidentia, an morbus regius malo sit, an bono, quæ ut imperfectam crisim quodammodo arguit, ita tamen ab omni periculo asserit.

Dies interuallũ supputant. Vrina certiꝰ indiciũ præbebit, quàm dierum numerus.

APHORISMVS LXV.

IN febribus circa uentriculum fortis æstus, & cordis morsus, malum.

IN febribus intermittentibus citra periculum euenit, ut præcordia mordeantur: quoniam humor biliosus sæpe eò labitur. At idipsum in febribus acutis mirabile est: quoniam hic materia non excutitur, sed intra uenas continetur. Ergo in his id tantùm febribus euenit, ubi propter materiæ multitudinem, ac naturæ ipsius imbecillitatem, per fas ac nefas materia præcociter elabitur, aut propter exuberantem illius quantitatẽ, atq; excellẽtẽ qualitatẽ, qualitas illius à uenis ad uentrẽ peruenit. Adiecit interpres, ex sua commentatione, præter dolorẽ, cordis morsum, *modum doloris significans. Galenus tamen in cõmento per uerbum, καρδιωγμὸν, uelocem cordis motum ac palpitationem recipere contentus est.*

Aestus uẽtriculi & eiusdẽ morsus periculo uacat in intermittentibus.

Duplex causa quare in febribus acutis uentriculus mordetur, aut æstuat.

Καρδιωγμός.

APHORISMVS LXVI.

IN acutis febribus conuulsiones, & circa uiscera dolores fortes, malum.

QVIDAM ex commentatoribus hac sententia febres ex inflammatione notari putant. quod Galenus tribus redarguit rationibus. Nam rectè admonet, quòd per febres simpliciter, semper simplices, citra inflammationem intelligat. Altera ratio est, quia per se manifestum est, quòd inflammationes simplicibus febribus sint periculosiores, utpote in quibus morbus quodammodo geminatur: non tamen dolores, uel conuulsiones in inflammationibus ullum graue periculum denotant: nam dolores coniunguntur semper, & si quæ ex ipsis conuulsiones fiant, hæ quoq; periculo uacant, certe minus periculosæ, quàm quæ siccitatem febrium sequũtur. Ergo simplices aliquot febrium conditiones damnat, quarum non

Neotericorũ opinio tribꝰ modis à Galeno dissidet.

Dolores & cõuulsiones in inflammationibus periculo uacãt.

est minima malignitas, si uel conuulsiones, uel fortes circa uiscera dolores sequantur. Et quidem de doloribus circa uentriculum antea dictum est: dictum est antè & in libris Præsagiorum, quòd continuus dolor capitis cum febre acuta mortalis existat. Nescio tamen tertium uiscus, ubi ingens per febrem acutam dolor fiat, qui periculum significet: hoc scio, quòd dolores ex siccitate plerunque mortiferi, reliqui ex caliditate duntaxat mali.

Dolor præcordioru͂ & capitis magnus ac continuus in febre acuta periculosus.

APHORISMVS LXVII.

IN febribus, ex somnis timores, uel conuulsiones, malum.

ALIBI diximus, quòd uel sani in principio somni aliquando retractionem patiuntur: quia membra spiritu destituuntur, ac ferè obdormientes sibi per insomnia cadere uidentur: qua phantasia perculsi, sese subtrahunt. Maximè autē id illis euenit, qui inquietius obdormiunt, præsertim si crapulæ indulserint, aut aliter malè concoxerint. Sic diximus, infantibus ex lactis multitudine pauores accidunt, & quibusdam prouectis post crapulam idem accidit, si forte ingenij fuerint illustrioris: nam promptissime à uisis & aurium internis sibilis mouentur, qui uisu exquisito pollent, aut acri auditu præditi sunt: ita qui retusiore sunt ingenio, & phātasia, nihil ijs uaporibus immutantur. Eadem est discriminis causa, cur quidam à poculis uigilent, quidam more glirium obdormiant. Atque illos quidem errores, ipsa uigilia discutit, nec quicquam mali significant. At graues sunt, qui etiam post somnum manent: quippe difficilem aliquem affectum significant, atque materiam potius corrumpi, quàm concoqui. Iuxta id quod in secundo libro diximus de delirio, quod somnum excipit: eiusdem enim rationis sunt hæc ipsa symptomata, nisi quòd delirium pēdeat uel ab humore, uel uapore bilioso: timor uerò melancholico, forte (ut in febribus fit) adusto. Hactenus de timore. Verùm nescio, quid nobis toties usque ad fastidium signa ex cōuulsione repetet. Nunquid ipse Hippocrates immemor fuit eorum, quæ statim de conuulsione scripsit? iam si de conuulsione loquatur ex siccitate, non tantùm oportet eam damnare

Dormientes uel tempore sanitatis subinde sese in principio sō ni retrahunt.

Infantes in somnis sæpe timent.

Vt quisq; sensum aut intellectum habet magis illustrem, ita mouetur citius.

Quidā à poculis minus, quidam profundius dormiunt.

Graue delirium, quod post somnū manet.

Timor uanꝰ post somnū delirij species.

Freqūēs mētio conuulsionis.

nare à somno, sed & alibi in uigilia: sæpe enim dictum est, quòd conuulsio ex siccitate mortalis sit. Sed neque dictio præsens huic conuulsioni congruit: nam conuulsio ex siccitate paulatim nascitur: hæc uerò, ut apparet, subito ex somnis oritur. Ne nunc dicam somnum potius humectare, quàm exiccare, tantum abest, ut somnus conuulsionem ex siccitate pariat. Cogitarem, quòd de conuulsione ex inflammatione loqueretur: sed somnus potius intro quàm foras uocat: at conuulsio exteriorum membrorum est, quo multo potius est humores pelli, quàm intus retineri. Videtur Galenus aliquam aliam conuulsionem intelligere, qualis in morbo comitiali ratione cerebri aut uentriculi oritur. Nec dubium, quin hæc corruptionem potius, quàm concoctionem morbi significant, quando post somnum accidit. Et potest id Galenus sæpe cum multo discrimine uidisse, iuxta illum Aphorismum, qui in principio secundi dictus est. Forte tamen Hippocrates hæc in ipsis somnis fieri intellexit: nam id subinde uidimus, in somno & ægros turbari, & manus quodammodo per interualla conuelli: ac plerunque eam rem periculum sequutum est. Ac forte timorem in somno hæc conuulsio quodammodo sequitur: qua de causa Hippocrates nunc coniunxit. Forte huc respexit Aphorismus ille, quē Galenus in sexto expunxit, in quo dicitur, quòd tremores delirio soluuntur.

Suspecta cōmentatio.

Refellitur secunda expositio.

Tertia.

Nostra suspicio.

Nostra coniectura cur Hippocrates hæc symptomata coniunxit.

APHORISMVS LXVIII.

IN febribus spiritus offendens, malum: cōuulsionem enim significat.

OFFENDENTEM spiritum uocat, qui ægrè, & cum dolore trahitur, adeò ut in medio paulisper subsistat, atque intercipiatur. Is idē est, ut mihi apparet, quem alibi luctuosum suspirium appellat. Fit autem trifariam. sæpe enim magnam aliquam septi transuersi oppressionem sequitur: quocirca Neoterici eum quærere solent in spleneticis tumoribus, quòd hi plerunq; pro sua ratione maiores sint, quàm hepatis. Potest obiter idem euenire humoribus ante crisim per pectus sublatis, ut ubi ex superioribus iudicium imminet, aliquando præcordiorum, atq; adeò ipsorum

Offendens spiritus.

Tres causæ.

Splenetici luctuosa sæpe ducunt suspiria.

Spiritus offēdit sæpe ante crisim.

rum musculorum siccitatem sequitur, qui spirationi deseruiunt. & mortalis est: quoniam & ubiuis alibi ex siccitate conuulsio lethalis est. Oribasius ridiculè conuulsionem ex debilitate intelligit.

Tertia difficultas de qua nunc loqtur.

Ridiculus Oribasius.

APHORISMVS LXIX.

QVibus adhuc febricitantibus urinæ sunt crassæ, grumosæ, paucæ, multitudo earum tenuis superueniens, iuuat. Præcipue uerò tales ueniunt, quibus ab initio, uel non ita multo pòst, sedimentum inest.

MVLTA sunt, quæ sæpius melius cognoscas ex solo nomine, quàm obscura definitione. Ita omnes sciunt, quid obiter urinæ nomine accipimus, sed medicorum est eius generationem tradere, atque eius partes distinguere. Nõ enim simplex est, sed plurimã eius pars serosa, pauca bili affusa: atque ea est, quæ illi colorem affundit, siue naturaliter genita, siue ex putredine aliqua adnata: sola enim caliditas id nunquam poterit. & quòd illi bilis naturaliter misceatur, obiter fieri potest, ob suam tenuitatatem. Fortassis etiam renes non solo succo seroso delectantur, sed cum bile permisto: nec iam ex ijs solis constat urina, sed committitur illi tertia pars, quæ sedimen appellatur, aut hypostasis, artificiosior proculdubio, & elaboratior urinæ particula, & propemodum alba. Putat Galenus eius rei causam solida uiscera, quæ (ut inquit) alba sunt. Atque hic, ut mihi apparet, nonihil à seipso discedit, qui sedimen in hepate colligi iudicat: id enim cruentum potius, quàm album est: nec potest eius generationem acceptam referre uenis in hepate: nam ipso dicente contra Erasistratum, principale hepatis officium aut munus ipsius carnis est. omitto, quòd ea ratione potius sanguinem, quàm sedimen dealbare debuit, utpote qui principaliter destinatur nutritioni. Nõ potest ergo bene cognosci, unde sedimẽ album appareat, nisi prius sciuerimus, unde ipsum procedat. Et quidem alibi in breui quadam disceptatione ostendimus, non ex crassiore alimenti parte (ut Galenus putat) sed leuiore sanguinis parte proficisci, quæ facile dealbatur, dum reliquus sanguis exquisitius concoquitur.

Vrinę partes.

Bilis appingit urinæ colorem.

Duplici de causa bilis miscetur seroso succo.

Tertia pars hypostasis.

Quare hypostasis alba, Galeni opinio.

Galeni opinio suspecta.

Occupatio.

Concoctio potius refertur accepta carni hepatis quàm ipsius uenis.

Altera redargutio.

Disceptatio nostra de hypostasi.

Sunt

Sunt autem & hæ tenuiores ſanguinis partes differentes, quædam leues, quædam leuiores, quædam leuißimæ, quæ ubi ſimul coniunguntur, unam hypoſtaſim, ad inſtar turbinis, aut pyramidis, efficiunt. craßiores partes, utpote plures, baſim ipſius conſtituunt: leuiores uerò acutæ, in ſuperiores partes euadunt. Atque hæc hypoſtaſis modice ſupra fundum attollitur, ſublinamentum in medio ſuſpenditur, nubecula (quam dicunt) in ſupremo fertur. Veruntamen eſt ludibrium, quòd quæ inferius ſubſiſtunt, ſuper inſimis ſignificent, ac quæ in medio ſuper medijs, & rurſum quæ in circulo ſuper capite. Ecquid ergo de illis dices, qui liuidum circulum ſuper melancholica, bilioſum ſuper phrenitidie, ac iterum ſpumoſum diſtillationem ſignificare contendunt? Nugæ profectò immenſæ. Hoc tamen uerum, quòd color totius urinæ, nuſquam clarius arguitur, quàm in circulo: quoniam hîc ipſe reflectitur, ac quodammodo geminatur. Hactenus de ratione urinæ in genere. Supereſt de morboſis dicere, ubi primò occurrunt crudæ: ſunt autem in duplici hæ generatim differentia. Crudißimæ ſunt tenues & albæ: ſecundo loco craſſæ. harum rurſus triplex eſt differentia: aliæ minguntur perturbatæ, ac tales manẽt: quædam claræ minguntur, ſed poſtea coguntur: aliæ minguntur turbatæ, ſed paulo pòſt euadunt claræ. Sed harum rurſum duo ſunt modi: quædam tales euadunt ferè à principio: quædam tandem morbo hac expurgato. Econtrario aliquando eſt, ubi à principio quidem urinæ apparent tenues, tertio aut quarto die craſſæ, ac deinceps continue uſque ad finem craßiores, nouißimè tenues. Atque hic eſt caſus, quẽ nunc deſcribit Hippocrates. Euenit autem, ubi multa eſt humorũ in uenis cum laxitate meatuum craßitudo, ferè autem hoc caſu anfractus uenarũ primum obſtruuntur: quocirca uel hîc à principio tenues uiſuntur, ſed paulatim & meatus aperiuntur, & humores attenuantur, ut in primis diebus aliquod rudimentum ſediminis (quod nunc ſedimen appellat) apparere incipit. Diſtinguitur autem hoc à uero ſedimine, multis alijs modis, atque eo præcipue, quòd commotam urinam turbat, reliquum uerò eandẽ exhibet. Promouente autẽ concoctione, copioſior quoque materia ſequitur. In genere tamen ſemper manent paucæ: facilimè enim ob craßitudinẽ impingunt,

Noſtra de albedine ſediminis coniectura.

Cur hypoſtaſis aſſurgit in modũ pyramidis.

Tres differẽtiæ hypoſtaſis pro diuerſitate loci.

Multę Barbarorũ in urina nugæ.

Color urinæ maximè apparet in circulo.

Crudißimæ urinę tenues. Craſſarũ triplex differentia.

Reſpectus Hippocratis.

Quare à principio tenues & poſtea craſſæ.

Rudimentũ ſediminis à uero diſtinguit motus.

Quare grumoſę paucæ.

donec morbus omnino excoctus, aut etiam expurgatus fuerit: hîc enim multæ ac tenues apparent, tenues dico respectu priorum: nam reuera mediocres existunt. atq; hæc ad illustrationem sententiæ sufficiunt. Superest inquirere, ecquid post crassas grumosas dixerit. Galenus superfluum putat. Credo ego, quòd eo uerbo Hippocrates eas ab illis distinguere uoluit, quæ minguntur clarè, sed postea turbantur: nam hæ licet crassæ sunt, tamẽ grumosæ non sunt. Ita credo Non sine febre adiecit, uel ut calculosorũ admoneret, in quibus tenuis subinde urina mala est, uel quòd præsertim in longis febribus tales apparerent.

Rursum tenues.

Galeni opinio.

Nostra suspicio super utraq; adiectione.

APHORISMVS LXX.

QVibus febricitantibus urinæ sunt perturbatę, quales sunt iumentorum, ijs dolor capitis uel adest, uel aderit.

VRINÆ perturbatæ, ut diximus, triplicis sunt differentiæ. Prima est, quæ mingitur perturbata, ac etiamdum manet. Secunda nuper dicta est, quæ quidem talis mingitur, sed breui temporis spatio distinguitur. Alia est, quæ econtrario clara mingitur, sed paulopost turbatur. Harum rationem Galenus tractauit & in quarto De sanitate tuenda, & iterum in primo De crisibus. sed, ut mihi apparet, obscurè, & ferè diuersè. Nam in primo De crisibus nihil aliud commentatur, quàm harum omnium causam esse internam in corpore perturbationem, in ijs, quæ tales manent præsentem, in secunda differentia factam, in tertia futuram: in qua commentatione difficile est coniectari, quam perturbationem uocet. Nam si perturbationem uocet spiritus flatulenti commotionem, bis uidebitur excidere: nam neque in secunda, neq; in tertia differentia spiritũ flatulentum sequitur, sed aliunde concedit, ut statim dicemus: non enim fieri potest, ut extraneus aliquis spiritus urinam hora, postquam emissa est, perturbet, & si perturbauerit, ad ea quæ in corpore geruntur, nihil attinet. Denique nimis simplex mihi esset Galenus, siquidem urinam, quæ clara mingitur, & postea perturbatur, talem spatio temporis putabat euasuram in corpore: nam & quæ postea per multos dies minguntur, simi- liter

Galenus parũ diuersus.

De causis urinarũ perturbatarũ uaria disceptatio.

liter sequuntur claræ. Eiusdem erroris esset æstimare, quòd urina quæ min gitur perturbata, & postea fit clara, idem passura erat in corpore: nã & hic secũdæ sequũtur similiter, ut priores perturbatæ. Neq; magis excusari poterit in quarto libro De sanitate tuenda, ubi omnium istorum causam ad concoctionem retulit, quasi urina, quæ perturbata manet, præsentem concoctionem significet: at quæ clarescit, factam: quæ uerò deinceps turbatur, hactenus futuram. Ego profectò nescio quid ijs rebus Galenus faciet: nam ego lubenter illi dederim, quòd urina, quæ manet perturbata, minus cruda sit, quàm quæ exquisita tenuis: nunquam tamen obtinebit, quòd causa urinæ turbatæ ac talis permanentis sit ipsa concoctio: nam ut statim dicemus, causa illius est, quia totus humor insigniter crassus est, uel quia aliquis spiritus crassus ac flatulentus, crassum cum seroso permiscet, saltem nihil ad concoctionem conferet. Sed hæc Galeno condonemus, forte ubi ad eum locũ uentum fuerit, meliorem excusationem reperiemus. Interim nunc, si fieri potest, aliquid apertius super ijs dicere tentemus. Fiet autem id quàm maximè, si quot modis succi externi perturbentur partiamur. nempe id mihi potissimum aut tribus, aut quatuor modis fieri uidetur. Primùm tales sunt succi, qui ex crassis constant partibus: tale lac est: nunquam enim ipsum per se est pellucidum, ob eam causam & iumentorum urinæ perturbatæ, crassæ enim, utpote quæ crudo utuntur alimento. Nunquam, aut rarò, tali de causa hominibus urinæ perturbantur: nam puro alimento fruuntur. Quòd si quæ ob eam causam in homine turbatæ euadant, tamen dolore capitis uacant. Secundò flatus succos turbat: ita tempestas mare obscurat. hoc modo & ego urinas, quæ in hoc Aphorismo describuntur, turbari puto. Unum interesse apparet, quòd hæ urinæ semper manent turbatæ: uerùm quæ foris uento concitantur, subsidente iterum uento & ipsæ quoque declarantur. Accidens ergo aliud intercedere debet, quod à nemine est annotatum. Videtur autem mihi esse succedens refrigeratio, non solùm enim flatus, sed & frigus urinas turbat: atque ita nũc euenit, ut priusquã flatus soluantur, refrigeratio superueniat: itaq; semper turbatæ manent. Attestatur huic rei, quòd quædam urinæ, quæ minguntur turbatæ, & ad tempus manent turbatæ, incalfactæ ab igne, utcun

Multiplex error.

Conatus noster.

Tribus aut quatuor modis externi succi turbantur.

Crassa per se.

Flatus multa turbat.

Quare subsidente uento multa clarescunt, urinæ uerò minimè.

Nostra annotatio.

Frequens experientia.

que discretæ manent. Tertiò motus aquam cœnosam facit, quæ iterum quiete illustratur: talis est urina, quæ prius dicta est: nam & ipsa in uesica pura erat, sed turbatur, dum excernitur. Hinc est, quòd constituto urinali ad tempus iterum clarescit: nam antiquum est, Quæ motu turbantur, quiete declarantur. ita & quæ frigore coguntur, calore soluuntur. Ex eo genere sunt urinæ, quæ claræ minguntur, sed postea turbantur, & si quidem longo pòst tempore turbentur, malo uacant, duntaxat redarguũtur, quæ paulopost turbantur. Turbatur autem altera altera facilius, duobus modis: uel quia craßior, uel quia calore remißior: nam quo calor ipsarum est remißior, aut etiamdum substantia craßior, eo urina ut turbetur est opportunior. Vidimus in moribundis quasdã semel incrassatas, quæ nunquam postea igne extenuari poterãt. Vidimus quasdam, quæ admoto igne magis cogerentur, in quibus, meo quidem iudicio, calor ignis calorem urinæ potius exoluit, quàm auxit. Erant aliæ, quæ priusquam incrassarentur, nullum sedimen ostenderũt, sed incrassatæ, atque igne extenuatæ, aliquam eius similitudinem exhiberent: quæ ad eas, quæ minguntur perturbatæ, sed postea fiunt claræ, mihi uidentur propius accedere. Nunc facile est ex ijs omnium urinarum turbatarum conditionem arguere: ac præstat primùm de ijs, quæ minguntur claræ, & postea fiunt perturbatæ, dicere: nam de ijs nihil scripsit Hippocrates, forte quia uariæ admodum, ac multiplices. Etenim quædam ex ijs citra ullum manifestum morbum, aut morbi malum uisuntur, præsertim si non statim, sed longiore temporis spatio turbantur, tantùm externæ frigiditatis effectum arguunt: tales uisuntur & in purgatis nuper, & conualescentibus. Quædam etiam bonum significant: ut quæ antè fuerunt tenues, & nunc paulo craßiores: nam & hæ magis concoctæ, & citius euadunt turbatæ. Grauiter tamen in morbis significant, præsertim si admodum cito tales euadant: nam ferè caloris naturalis paßibilitatem significant, atque exolutionem: non enim antea urina perturbari poterit, quàm calor ipse expirarit: expirat autem eò facilius, quò est breuior. Proinde, ut mihi apparet, tanto est urina peior, quãto turbatur citius. adeò Galenum demiror, qui eam meliorem autumat. Eiusdem sententiæ uulgus uidetur: nam & hic, quòd urinæ turbentur, lau

dare

Motus multa confundit.

Vrinæ quæ motu turbantur, quiete declarantur.

Quæ extenuantur calore.

Quare altera altera à frigore facilius turbetur.

Variæ de urinis experientiæ.

Quæ mingũtur claræ, & postea turbãtur, ab Hippocrate omissę.

Citra malũ.

Ex ijs quæ mingũtur tenues, & craßescunt, quædam bonum, quædam malum arguunt.

In morbis quæ admodũ cito perturbatur, ferè mala est.

Vulgaris opinio.

dare solet. Verùm ut in alijs rebus, ita hîc quoque uulgus peculiares experientias nimis liberaliter explicat, dum ueterum quasdam dignitates retinet, sed illarum rationem parum distinguit. Sic in proposito non quæuis urina laudari potest, quæ turbatur, sed quæ occasione substantiæ talis euadit: est enim hæc multo tolerabilior, quàm simpliciter tenuis & aquosa. Videte nunc, an non hæc nostra commentatio multo potior sit, & illustrior, quàm Galeni. Lubens omitto occultam eorum, quæ in libris De sanitate tuenda scripsit, cum ijs, quæ in libro De crisibus reliquit, controuersiam, cui unicum hoc remedium inuenire possum, ut urinas, quæ sponte fiant crassæ, distinguam: nam quædam, ut diximus, promptè crassescũt, ob illarum craßitudinem: quomodo & uulgus experientia edoctum, per has morbum discedere putat. aliæ sunt, quæ ob breuitatem caloris naturalis tales euadunt, & hæ malæ sunt. Hoc forte respexit Galenus in libro De crisibus, aliud in libro De sanitate tuenda. Sed de ijs omnibus latius diximus ibidem.

Crassum uulgus rationẽ ubiq; negligit.

Occulta controuersia.

Concordia.

APHORISMVS LXXI.

QVibus septimo die fit crisis, ijs nubecula rubea quarto die in urina apparet, & alia ex ratione.

GRADVS cruditatis prius distincti sunt, sequitur statim manifesta concoctio: & hæc quoque suas differentias habet. Primum locum obtinet nubecula rubea, maiorem uim habet alba. Galenus eam in quarto De sanitate tuenda aßimilat superno iuris refrigerati cremori. Non multum ab hac differt, quæ in colliquatis reperitur tela aranea: dicunt aliquando eam quoq; uideri in ijs, qui pinguibus admodum usi sunt: sed & ex solis renum affectibus idem quoque euenire posset. Ergo alijs quibusdam aßidentibus inuicem oportet distinguere. Sublinamentum eiusdem speciei est, nisi quòd ipsa nubecula melius sit. Proinde rectè iudicauit Hippocrates, quòd morbus rectè iudicari non potest, nisi quartus dies, qui iudex est & contemplabilis, saltem nubeculam rubeam ostenderit. Galenus in biliosis admodum signum manifestæ concoctionis, etiam

Manifesta cõctio suos habet grad⁹.
Rubea nubecula.
Alba.
Cremor iuris refrigerati.
Tela aranea.
Eiusdem rei plurimæ causæ.
Sublinamentum.
Causa Aphorismi.
Lenißimum concoctiõis signum.

mutatã in melius substantiã exhibet. Idem illi potest & color in melius uarians. Verùm in hoc loco est difficultas magna, à nemine rursum annotata, sed & in interpretibus ipsis est cõtrarietas. Antiquus & Leonicenus referunt bonũ esse, si alba urina fiat rufa. Laurentianus utrunq; commendat, & album & rufum. Nescio quid in ea diuersitate faciã: optimũ mihi uisum est, ad ipsam experientiã refugere, & quid in morbis admodum acutis contingit animaduertere. Mihi certe ante statum subinde urina in melius mutata uisa est, non solùm in sedimine, sed & colore: nec sine ratione, sed quia urina attestatur causæ antecedenti, quæ continuè melior efficitur, aut certè uictui, qui continuè melius concoquitur. Itaq; non solùm spißior urina, sæpe etiam ex flaua admodum rufa euasit, albam tamen nunquam uidimus, itaque minus tinctam oportet intelligere. Forte etiam idipsum castigauit adiectione uerbi, Rufum. Certe Leonicenus nullo modo tolerari potest, qui particulam ἢ, uerbum accepit, & quòd album rufum fiat, uertit: nam neq; in acutis urina à principio alba apparet, neq; intensior hic color concoctionem significat. Sed ad propositum redeamus. Omnibus his fidelius est sublinamentum, & magis ipsa hypostasis. Propter hoc forte asscripsit Hippocrates, Et alia ex ratione. *Forte hac definitione, & aliorum excrementorũ nos admonuit: nihilo enim secius gradus in sputo atq; screatu, quàm urina distinguimus, & manifestam concoctionem à perfecta simili interuallo discernimus. Potuit etiã, dicente Galeno, intelligere, quòd & reliqui quaternarij similiter sese haberent ad suos septenarios. Vnum interest, dicente Galeno, quòd quaternarij hebdomadarum sequentium minus ipsam crisim accelerãt: nam quo morbus est protractior, eo natura debilior, ac pluribus diebus ad concoctionis gradus eget. Potuit & hoc indicare Hippocrates, quòd non statim nubecula in urina crisim ostendit in ea, sed si & alia ex ratione sese habuerint, hoc est, si reliqua accidentia responderint, & motus morbi uelox: nam secus, usq; in nonum, undecimum, forte decimumquartum prorogari poterit.*

Noua difficultas & interpretum uarietas.

Nostra opinio.

Experientia.

Ratio.

Vrina in morbis ante statũ nõ solùm substantiam, sed & colorẽ sæpe mutat in melius.

Leoniceni error.

Nouißimæ appẽdicis uaria expositio.

APHORISMVS LXXII.

QVibus urinæ albæ sunt, & perspicuæ malæ, presertim uerò in delirantibus apparent.

VNVM

VNVM genus urinæ crudæ dictum est, quod crassum erat: secundũ multo crudius est, quod uidelicet simul album existit, & pellucidum, duabus enim rationibus improbatur: primò, quia album est: secundò, quia pellucidum, aut si mauis ob tenuitatem perspicuum: nam aliud perspicuum existit ob coloris fulgorem. Iuxta quod ego soleo dicere, quòd urina mulierum sit tenuior & aquosior, uirorum uerò pellucidior: & quidem tenuitas humorum craßitudinem arguit, coloris uerò remißio, atq; adeò ipsa albedo caloris imperfectionem, & breuitatem. Quòd ergo talis sit in frigidis affectibus, non est mirabile: sed non uidetur unquam talis posse deprehendi in delirantibus, aut secus ex bile febricitantibus: ea enim est, quæ immodice urinam tingit & accendit, uel etiam in mitioribus. Videtur et ipse Galenus in ea quæstione hæsisse, ac duplex commentũ reddidisse. In priori dicit, quòd bilis, quæ urinam tingeret, sursum rapitur. Verùm, ut mihi uidetur, raro febris biliosæ tota sic materia sursum rapiatur, ut nulla eius portio, ne naturalis quidẽ, in uenis proximis hepatis relinquatur, cùm neq; in alia ulla inflammatione, quantumcunq; biliosa, id contingat. Melius est secundum commentum, in quo cruditatẽ, aut (ut dicamus clarius) craßitudinem incusat, quæ meatus infarcit, per quos solus serosus succus transmittitur. Veruntamen rarius ad eam craßitudinem peruenit: est enim bilis natura tenuior, ac proinde si quando talis euadat, periculosior, uel ob eam causam, quòd morbus ex ea naturam magis exerceat, quàm ex pituita, adeò ut naturam anticipet obruere, priusquam ipsum humorem poßit concoquere. Vide ergo, si non, ut alibi, ita & hîc diligens Hippocratis obseruatio. Sic quidẽ Hippocrates, id quod expertus est, obiter scripsit. Galenus prætera ubiq; illorum rationem quærit, atq; id paulo difficilius. Facilius enim est experimentum obiter tradere, quàm illius rationẽ reddere: atq; inde est, quòd frequentius Galenus quàm Hippocrates lapsus sit. Potest & alia huius ratio esse, quæ in speciebus hydropisis dicta est, quòd aliquando caliditas tanta est, ut nullum humorem, ne bilem quidem facere, sed tantùm more ignis extenuare poßit: non enim quiuis immodicus caloris exceßus bilem parit, sed qui medium omnino temperamentum non exceßit. Nam & ipsa bilis reliquorum elementorum rationem

nem

Alba urina & pellucida.

Perspicuum duplex.

Vrina mulierũ dilutior, uirorum pellucidior.

Vrina alba in delirantibus.

Hæsitantis Galeni duplex commẽtum.

Prior Galeni cõmentatio suspecta.

Secũda expositio melior.

Obstructio ex crassa bile admodũ periculosa.

Diligẽs Hippocrates.

Cur Galenus frequentius periclitatur, quàm Hippocrates.

Secunda expositio.

Magnus extimiè calor bilem gignere nequit.

Hugo pueraſcit.

num participat. Hugo Senenſis neſcio quam hîc phrenitidem ex ſiccitate & humiditate cogitat, quam pueris accõmodat: ubi mihi cum pueris ſtulteſcere uidetur, tam eſt ridiculus.

APHORISMVS LXXIII.

QVibus hypochõdria ſuſpenſa murmurant, lũborum dolore ſuperueniente, ijs aluihumectãtur, niſi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proueniat. Hæc uerò in febribus.

Murmur in uentre & dolor multipliciter ſoluitur.

Frigidus affectus materiã ſuam ferè traducit per uẽtrem.

Febris per ueſicam.

Febris flatus diſtinguit, & materiam attenuat.

In febribus uenter cogitur.

Noſtra commentatio aliis Hippocratis locis conſentanea.

MELIVS ſcripſiſſet, Præcordia, in quibus deprahenſum murmur flatulentam diſpoſitionem ſignificat. Ferè autem hæc à multa humiditate pendet, atq; hæc magna ex parte pe͛r aluũ decedit. Aliquando modica humiditas eſt, & flatus excretus, totum dolorem ſoluit. Poteſt etiam aliquando contingere, quòd flatus per uentrem abeat, aut aliter ſoluatur, & reliqua materia per meſaraicas ad renes feratur. Fiunt autẽ hæc nequaquam forte fortuna, ſed pro uarietate ipſorum affectuum: ſi quidem affectus frigidus fuerit, ferè per uentrem abit. Sin autem febris fuerit, aliquã do per urinam humor à uentre ad ueſicam transfertur: atq; hîc multiplex occurrit ratio. Primum, quòd nullus alius morbus magis, quàm febris flatus diſtinguit. Deniq; neque aduerſus humorem febrilis caliditas ignaua eſt, ſed potens ipſum extenuare. Iam in febribus ferè uenter exiccatur, et uel hac de cauſa potius in febribus, quàm alibi humor per renes ad ueſicã regurgitare cogitur. Neq; hæc nunc commentatio à nobis uidetur excogitata, ſed cum aliquot alijs Hippocratis Aphoriſmis conſequentibus & præcedentibus conſentanea: nam & prius ſcriptum eſt, quòd multæ urinæ poſt craßas præſertim ueniũt in febribus. Et poſtea quoq; in ſexto ſcribitur, quòd quibus dolor circa ilium, citra inflammationem, his febris ſuperueniens morbum ſoluit. Quid, quòd ſtatim ſubſcribit, quòd ab abſceſſu liberat urina craſſa ac multa?

APHORISMVS LXXIIII.

QVibus ſperatur abſceſſus futurus ad articulos, eos liberat ab abſceſſu urina multa, craſſa, &

& alba: qualis in laboriosis febribus quarto die qui busdam incipit fieri. Si uerò etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.

QVI morbi in abscessus euadunt, dictum est prius: sed & signa quædam tradita sunt, ex quibus à principio cognoscere possumus, in quem locum ipse abscessus imminet. Nemo tamen unquam tantus cõiectator aut artifex fuit, quẽ non aliquando morbi fortuna fefellit: interim enim à principio abscessum minatur, qui postea per aliam euacuationem absoluitur. Aliquando etiam per uesicam materia traducitur: idq; dupliciter. Vel enim natura fortis est, tum affatim ac criticè per urinã solutio morbi abscessum anticipat: atq; ita uidetur accepisse Galenus. Aliquando natura paulo debilior, nec potest affatim, sed morbũ per urinam soluit paulatim, quomodo & alij morbi longi expurgari solent. Vtrobique urina turbata mingitur, & postea fit clara. Est tamen diuersa eius fortuna, ab ea, quæ prius dicta est: nam illa morbum quodammodo inchoat, hæc uerò terminat & expurgat: illa semper cruda fuit, uerùm hanc, quæ nũc dicitur, manifesta atq; etiamdum perfecta concoctio præcesßit. Non possum igitur satis mirari Galenum, qui quartum hîc diem, tanquam contemplabilẽ notat: id enim uarijs de causis falsum apparet. Prima ratio est, quia laboriosæ febres, quales plerunq; in abscessum abeunt, ex longioribus acutis existunt, neq; ex subtilibus & cholericis (ut Oribasius putat) sed magis crassis humoribus fiunt, quæ neque quarto, neque septimo die signum manifestæ concoctionis ostendunt: sæpe in decimumquartum, aut decimumseptimum differunt. Nescio an hac de causa Galenus quasi sibi male cõscius, statim adiecerit, Quòd autem quarto die *adiectum est, pro exemplo ponitur, & oportet te ad reliquos iudices quaternarios transferre. Verùm hæc admonitio nihil proderit: nã neq; in quarto, neq; in undecimo, neq; quouis alio die, huiusmodi urina signum manifestæ concoctionis prodit: quia turbata existit: omitto, quòd Hippocrates per quartum non quidem quemuis, sed eum qui à principio supputatur, intellexit. Proinde (ut mihi uidetur) parum retulißet, etiam si pro quarto tertium posuisset: nihil enim*

Coniecturæ subinde incertæ.

Aliquãdo robur in causa est, ut urina anticipet abscessum.

Aliquando p uirtutis infirmitatem hæc fit mutatio.

Vrinę turbatę uaria causa & uaria fortuna.

Ex præcedentibus discrimen capitur.

Galeni commentatio mirabilis.

Galenus sibi malè conscius.

Frustranea admonitio.

Nostra opinio.

Vrinæ crassæ subinde longos morbos expurgant.

aliud uult dicere, quàm quòd in laboriosis febribus talis urina statim uideatur à principio, uel breui pòst, hoc est, in primis diebus: ac quòd talis sit urina, quæ morbos expurgat, priusquam abscessus eueniant. Ita & in quibusdam morbis longis euenit: unde, credo, uulgus eas urinas laudare cõsueuit, tanquam eas, quæ morbum expurgant. Verùm, ut antè monuimus, quum uulgus causam ignorat, fit ut in rebus similibus erret. Iam neq; hoc de quibusuis urinis perturbatis dici potest, sed quæ simul sunt grumosæ.

APHORISMVS LXXV.

SI sanguinem, aut pus mingat, aut renum, aut uesicæ exulcerationem significat.

Membrana p quam urina colatur non nisi tenuiorẽ succũ demittit.

Secunda causa, quare sola urina percoletur.

Pus per integros renes, aut eorũ mẽbranam colari potest.

RENIBVS non quidẽ multus sanguis attrahitur, sed ut & aliis partibus paucus, atq; hic ab ipsis diligenter continetur: quia eo tanquam alimento fruuntur. Est autem & membrana, in quam emulgens uena explicatur in renibus paulò crassior, quàm ut per ipsam integram sanguis excoletur. Sola urina transit, quia utraq; eius pars tenuis existit, & facile per poros excidit, non etiam ut sanguinem, ita & urinã perpetuo retinẽt, tantùm temporis spatio ipsæ abutuntur. Pus igitur per renes integros colari potest: nam & à natura extruditur, & sanguine magis attenuatur. Sic pulmonis uomica, & magis ipsius hepatis, per renes aliquando euacuatur. Hac de causa, credo, Galenus in hoc Aphorismo uerbum, mingat, *nequaquam simpliciter audit, sed suo more plures in eo uicissitudines intelligit, acsi ita dixisset Hippocrates,* Si quis longiori tẽpore minxerit.

Exquisita Galeni commẽtatio.

Pus magna ex parte, sanguis uerò sẽper ulceratione significat.

Conciliatoris opinio.

Vrina cruẽta.

Mihi uerò rariores prædicti casus sunt, quàm ut ob eam causam nouam et excogitatam in uerbo, minxerit, *expositionem aut significatum inquiram: nobis satis est, quòd pus magna ex parte in renibus ulcerationem significet: nam sanguis affatim aliter effluere non potest. Tanto puerilior est ipsius Cõciliatoris, si rectè memini, opinio, qui ex ruptura magnæ uenæ mictum sanguinis expectat: etenim citius iis integris, quàm solutis, sanguis huc efflueret. Laxato tamen, aut rarefacto in renibus panniculo, urina utcunque cruenta reddi potest, atque id tantùm. Sed de his postea.*

APHO

APHORISMVS LXVXI.

QVibus cum urina crassa, carunculæ paruæ, aut ueluti capilli exeunt unà: ijs à renibus excernitur.

CARVNCVLAS appellat ueras quidem carnes, sed exiguas: ac quòd ueræ carunculæ cum urina nusquam aliunde decedere possunt, quàm ex renibus, est certum. Affectio nobis semel uisa Niuellæ, in quadã muliere, ætatis utcunq; prouectæ: traxit autem satis diu malũ, uerùm tandem immortua est. Fatetur Galenus, quòd nunquam hunc affectum uiderit, atq; hac de causa clam nititur (si fieri posset) humores in similitudinẽ eroborum aut carnis adustos intelligere. Ita & per pilos humores intelligit in uenis, ad horum modum assatos, suntq; (ut mihi uisum est) in dupli- ci differentia. Quidam ex ijs crassiores, & albiores, hos generat Galenus ex frigidiore & pituitosiore substantia: hoc & color indicat: tanto magis Oribasium admiror, qui eos generat ex sanguine. Sunt alij, quos frequenter uidi, quodammodo nigri, tam longi quàm breues, ueros pilos diceres. ac forte ij sunt, qui ex calidioribus humoribus fiunt, nec forte multum differunt à fibris in sanguine. Quibus exemplis Aristoteli nequit sanguis concrescere. Et certum est, quòd hæc omnia in uenis fiunt. Idem & ipse in libro De locis affectis asserit, & rationem ex quãtitate ipsorum adscribit. Scio, quòd in ea ratione mendum apparet, sed ibi correximus, & nunc nihil interest. Aliam etiam coniecturam apponit, quia neminem ex ijs calculosum uiderit: nec mihi coniectura displicet. Videte ergo, quàm difformiter nunc eos in renibus generat: & scio, quòd non ob aliam causam id faciat, quàm quia Hippocratem reformidet: nam si in uenis generentur, nihil ad affectum renum pertinent, sed iniqua erit Hippocratis sententia. Hæc proculdubio causa fuit, quare hìc potius, quàm in libro De locis affectis, eos pilos in renibus describit. Quòd si diligenter animaduertes, neque id in proposito pertinaciter facit, sed in fine comenti illorum generationem hepati concedit. Quòd si & in hepate, & in renibus generari possunt, diu quæret, quid illorum generationem in me-

Carũculæ ex solis renibus.

Obliqua Galeni commẽtatio.

Pili ex adusti õe duplices.

Oribasius.

Pili secundi generis.

Fibræ.

Omnia hæc in renibus.

Locus Galeni mendosus.

Galeni difformitas.

Galenus coactus.

Si pili generãtur ĩ uenis, iniqua particularũ huius Aphorismi comparatio.

Galenus fluctuat.

dijs uenis prohibebit. quod si semel concesserit, non uideo, quomodo Hippocratis Aphorismum de his intelliget, qui simpliciter renibus illos attribuit. Sed neque felicius carunculis ueris in hoc loco illarum similitudines ex adustione humorum supponet: nam, quæso, quod istud mysteriũ, quòd huiusmodi adustiones, quæ cũ urinis ueniunt, & in uenis fiunt, per renes exeunt? Quòd si de ueris carunculis hunc Hippocratis locum, ut facit, semel exposuerit, male Aphorismum scindit: & per pilos duntaxat rudimenta quædam pilorum ex adustione humorum in eodem Aphorismo intelligit: nam diuersissima est illorum cum ueris carunculis generatio, ratio, & significatio: alterum enim ad solam humorum adustionem, alterum ad renum exulcerationem pertinet. Igitur aut ueris carunculis oportet suppositítias supponere, aut utrunque signum eodẽ modo ad ulcerationem renum referre. Ita & ipse Hippocrates postulat: nam postquam communiter ulcerationis uesicæ, & renum cõmunia signa posuit, opportunum erat, ut alijs quibusdam signis harũ partium affectus inuicem discerneret, & dirimeret. Atque ita fecit: nam in sequenti Aphorismo signa ulceratæ uesicæ scripsit. Rationabile ergo est, ut hæc signa ad ulcerationem renum expendamus. Et de carunculis ne Galenus quidem difficultatem facit: sed & de pilis merito dubitat: non enim ueros pilos dixit, sed ueluti pilos: & tales sunt fibrosæ renum partes, in quas caro ipsorum resoluitur: quippe & aliæ ferè carneæ partes in has similitudines atteruntur: aliquando in maiores partes lacerantur: quippe primum fibras quasdam carneas (quas nunc mihi quasi pilos appellat) exterunt. Deinde grauiores partes, ac (uti possis dicere) ueras carnes remittunt. Forte huc rudis uulgi suspicio, qui ex quibusdam fibris, quæ in urinis aliquando natant, Veneris nocturnæ impetum captant, resolutiones uocant. Verùm ij bis peccant, & quòd renum substantiã tam leuiter fundi autument, & quòd pilos, qui in uenis geniti sunt, eosdem cum fibris, in quas soluitur caro renum, habeant, aut distinguere nesciant. Superest nunc unum, ut inuestigemus, cur & hic, & postea asscripserit Hippocrates, In urina crassa. Scio quòd Galenus per crassam mediocrem intelligit: uerùm ne id quidẽ mihi placet, uel ob eam causam, quòd uel paulo antè per tenuem mediocrem.

Galeni anxietas.

Altera quoq; pars commẽti suspecta.

Non feret Aphorismus talẽ inæqualitatem.

Quid ordo postulet.

Nostra opinio.

Caro renum in fibras quasi pilos resoluitur.

Vulgaris suspicio.

Duplex uulgi error.

Galeni opinio parũ placet.

crem audiuit. quæ enim hæc lubricitas, inconstantia, licentia Hippocratis erit, si ut nominibus, ita temere nobis illudere poterit? Scio quòd medium utriusque rationem & respectum obtineat. Sed non est in proposito uerisimilis cōmentatio, nec alia de causa à Galeno excogitata, quàm ut suam expositionem, quam nunc refellimus, assereret. Melius ergo est & hîc, & paulopòst crassam urinam simpliciter audire, præsertim quum in talibus ulceribus mediocris esse nequit.

Nō est uerisimilis in Hippocrate licētia. Occupatio. Simpliciter crassam hic audio.

APHORISMVS LXXVII.

QVibus cum urina crassa, furfurea quædam simul exeunt, ijs uesica scabie laborat.

CONCEDVNT furfurea multis modis. Primùm sine graui suspicione ijs ueniunt, quibus sanguis ac reliqui humores aduruntur. Vulgus dicit, quòd phlegmatis quandam adustionem significēt. Multum nos terrere debent, quæ colliquationem sequuntur: sed talem urinam ferè præcedit pinguis farinacea. distinguit etiam hæc ab alijs febris acuta. Si Galeno credimus, aliquando uenæ, ut exterior cutis, scabiem quandam patiuntur, ac ramenta furfuribus similia exterunt. Sed rarus est casus. Idē aliquādo putat Galenus uesicæ accidere, quasi & ipsa subnatis in ea humoribus ut cutis exasperaretur: atq; eò nūc torquet Hippocratis sententiam. Mihi potius uidetur, ut scabiem hîc pro omni asperitate atq; ulcere accipiamus, quod uel lapidis, uel urinæ, uel aliorum humorum cum urinis mistorū sequitur iniuriam: hæc enim ferè ulcera sunt, quæ instar furfurū aut squammarum in uesica iacturam faciunt. Vulgus hanc ulcerationem in uesica, & in omnibus alijs membranosis partibus excoriationem uocat. Non repetam autem nunc, cur crassam urinam iterū dixerit: nam antea dictum est, quòd in talibus affectibus tenues ac claræ esse nequeunt.

Furfurea quędam adustionem significant. Quædā colliquationē sequuntur. Tertiò scabiem in uenis significant. Scabies in uesica. Furfurea hîc nobis ulcera in uesica significant. Excoriatio.

APHORISMVS LXXVIII.

QVicunq; sponte sanguinem mingunt, ijs à renibus uenula rupta significat.

CITRA causam manifestam, hoc est, exteriorem, sæpe & à

Galeni expoſitio.

Noſtra opinio.

Sanguis ſubito aut citra ullum dolorē eiectus renes accuſat.

Aliquãdo citra dolorem euidentē manifeſtus ſanguis p uesicā excernitur.

Frequentius urina ſubcruenta, quàm ſanguis.

Neotericorũ in quibuſdã rebus nihili ſubtilitas, in rebus utilib⁹ rurſum ſupinitas.

Auicenna.

Erroris ſuſpicio.

Vrinarum ordo ſubinde inuerſus & contrarius uidetur.

ueſica ſanguis excernitur partibus ipſius ab humore aliquo eroſis, forte lapide attritis. Galenus ergo uerbo, ſponte, *pro* repente *abutitur. Neſcio an melius eſſet,* ſponte, *in ſua antiqua ſignificatione ſeruare, ac paulo liberalius cauſam manifeſtam, tam internam, quàm externam audire. nã eſt, ubi ſanguinis mictus colliſionem, aut ex alto caſu eſt, ubi lapidis attritionem, aut aliam uellicationem ſequitur. Sed hæc omnia paulatim, ac dolore produntur, ac quodammodo manifeſta euadunt, ac præſertim in ueſica, aliquando nullo præcedente dolore, ſanguis affatim emingitur. Atq; hoc ruptam in renibus uenulam, aut membranam, in quam uena emulgens funditur, ſignificat: nam in renibus aut nullus, aut paucus dolor oritur: in ueſica etiam nulla eſt uena, quæ fracta tantum ſanguinis fundere poßit. Galenus id putat fieri ex repentino in renes ſanguinis impetu: & poteſt aliquando contingere. Mihi autem & ex quauis alia cauſa uidetur fieri poſſe: ſubinde in calculoſis uidimus, præſertim ubi immodicè ſub ſole ſeſe fatigarunt, idq; citra ullum aut manifeſtum in renibus dolorem, atq; id rarius. Frequenter autem panniculo, per quem urina colatur, rarefacto, aut attenuato tantùm, urina ſubcruenta effluit. Talis etiam effluit, quando natura parum diligenter hîc ſanguinem à ſeroſo ſucco diſcernit. Scio, quòd quidam ex Neotericis diſtinguant, atque aliam uolunt oſtendere urinam, quando panniculus attenuatur: aliam, quando rareſit: & rurſum tertiam, eamque diuerſam, quando potentia parum exactè diſcernit. Verùm mihi nulla differentia apparet. Ita & in alijs quibuſdam rebus futilibus ſcrupuloſi ac multi ſunt frequenter: in rebus uerò neceſſarijs, & ad rem medicam pertinentibus, admodum ocioſi & ſupini. Auicenna in quodam loco impotentiam diſcretiuæ in renibus diuerſitate urinarum determinat: quia primam dilutiorem, ſecundam coloratiorem docet. Nec id difficilè obtinebit: quoniam & in alijs omnibus, etiam ſanis, ferè idem euenit. Forte contrarium ipſe ſcripſit, ac primam coloratiorem ſecunda habuit. Sed hic nihil mutare uolumus, ſcilicet & nos meminimus, quòd in quibuſdam hunc inuerſum urinarum ordinem inuenimus, ut prior poſteriore ardentior eſſet, idque mane, uel etiam admiſſo à prandio ſomno. Verùm an hoc euenit propter imbecillitatem diſ-*

cret

cretiuæ in renibus, an aliam occasionem, alibi diximus: nam hæc duntaxat propter affinitatem rerum hîc dicta sunt.

APHORISMVS LXXIX.

IN quorum urinis uelut arenulæ subsistunt, ijs uesica laborat calculo.

ARENAE duplices sunt: aliæ, quæ matulæ impinguntur, & ubi adhæserint, uix extergi possunt: aliæ sunt, quæ nihil tenacitatis habent, & cum urina feruntur. Priores adustionem humorum significant, ac ferè in iuuenibus, & his qui iuuentutē transmiserunt, depræhenduntur. Posteriores rudimenta lapidis notant. Non tamen omnes idem ex his signū accipiunt: quædam ex ijs lapidis solutionem, quædam eius generationem capiunt. Mihi utrunque diuersis temporibus significat: hoc solum interesse apparet, quòd paulatim apparent, quando lapis gignitur: affatim uerò, & coaceruatim ueniunt, ubi soluitur. Hugo Senēsis aliter distinguit: dicit friabiles esse eas, quæ lapidem soluunt, tenaces uerò apparere, quandiu constituūt. Et quidem certum est, quòd neque calculus, neque lapis ex quauis materia fiunt, duntaxat lenta. Veruntamen & ante generationem, atq; in ipsa generatione lapidis & calculi, sæpe arenas friabiles in urina inuenimus. Ita & quæ ex uesica, & ex renibus descendunt, similes apparent. quidam eas, quæ ex propinqua uesica ueniunt, albiores dicunt, ex renibus uerò rubicundiores. Certior habetur differentia ex earum permistione: nam quæ procul ex renibus ueniunt, propter longam societatem, & commeatum, quem cum urina habuerunt, diligenter cum ea fermentantur: quæ uerò ex proxima uesica exeunt, non nisi obiter in ea confunduntur. Ita & ipse Galenus alibi docet cognoscere, an pus & sanguis siue per uesicam, siue per uentrem descendat ex superioribus, aut inferioribus partibus, præcedat: quia quæ longius ueniunt, diligentiorem & exactiorem inuicem mistionem retinent. Nam & in rebus externis, quo aliquid diutius cum altero commouetur, eo magis alteri unitur, & commiscetur. Nescio ergo, cur Galenus hunc Hippocratis locum excindere cogitat: nam ex ijs certum est, quòd arenulæ, in uesica natæ,

magis

Arenæ duplices sunt, uiscosæ & friabiles.

Priores adustionem choleræ significant, aut sanguinis.

Posteriores rudimentum lapidis sunt.

Diuersa diuersorum cōiectura.

Nostra opinio.

Hugo Senensis.

An arenæ in uesica & renibus differūt.

Certius ex p̄mistione q̄ colore discrimen.

Demonstratio ab externis.

Temerè hic locus Galeno suspectus.

Frequentia in lapide uesicæ.
Signa à dolore.
Sæpius lapis in uesica q̃ renibus urinam retinet.
Lapidi uesicæ anus consentit, renib⁹ uerò directum crus.

magis subsistunt, quàm quæ ex renibus ueniunt. Vidi aliquando in his, qui lapide in uesica laborarent, sæpe statim ante urinam, multum humorem pituitosum (mucum dixisses) exire. Nec tamen ijs solis signis crederе uelim. sunt alia discrimina certiora: nam in altero affectu incumbit grauis dolor in renes, in altero uerò punctulis uesicam exercet. Iam lapis in uesica sæpe urinam, aut omnino, aut ex parte prohibet: in renibus uerò nisi ambobus affectis pro consuetudine ferè elabitur. Iam si in renibus fuerit lapis effatu dignus, ferè directum crus obstupescit: at si in uesica fuerit, anus illi consentit: nec minus homines cacaturiunt, præsertim ubi lapis magnus fuerit.

APHORISMVS LXXX

SI sanguinem mingant, aut grumos, uel stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat uentrem, & pectinem, & femen, ad uesicã labor est.

Oribasij sinistra suspicio.
Stillicidium urinæ affect⁹ quidem uesicæ, sed sæpe aliunde oritur.

SANGVIS & grumus ab omnibus locis possunt excidere: tanto magis admiror Oribasium, qui sanguinis mictum uesicæ periculariter asscribit. Magis id poterit de stillicido urinæ dicere: nam hic affectus uesicæ propius est: non est tamen primarius: sæpe eius prima conditio & occasio in renibus, aut etiam altiore corpore incœpit. Mouet autem dolorẽ in partibus, per quas descendit, ac primùm quidem in ureteris, ac partibus proximis, uentre, pectine, femine: deinceps etiam collum uesicæ conuellit, atque hic strangulariã facit. Hoc forte Galenus respexit, dum hos omnes casus omnibus prædictis partibus communes asseruit. Itaque circa uesicam latè intellexit, ut hîc & ipsos procul renes contineret. Credo tamen quòd nec Hippocrates lubenter hanc expositionem acciperet. Satius ergo est, hæc ad ipsam uesicam, & loca circa uesicam, hoc est finem ureterarum contrahere, ac de dolore, qui hîc figitur, intelligere. Ita uel sequens sententia requirit, quæ ea, quæ hîc cõmuniter dicũtur de ureteris, & uesica, alio signo interstinguit. Nescio igitur, quid Galenum aliò distraxerit, nisi forte alijs laboribus implicitus, hos, ut dixi, Aphorismos tantùm perfunctorie, & quasi leuiori brachio perstrinxit.

Galeni respectus.
Ingrata Galeni expositio.
Nostra suspicio.
Ordo consẽtit.

APHORISMVS LXXXI.

SI ſanguinem aut pus minxerit, aut ſquamulas, & grauis odor adſit, ueſicæ exulcerationem ſignificat.

QVAMAE, aut furfures, ex ſolius ueſicæ uulneribus ueniunt: ſanguis uerò, & pus, ex omnibus locis deſcendere poſſunt. Diſtinguit Hippocrates ex fœtore: pus quod ex ueſica exit, illi magis olet, quàm quod ex renibus. miror quòd Galenus nullã eius rationẽ reddiderit, imò ne inquiſierit quidẽ. Mihi autẽ ex ſola ueſicæ affinitate euenire apparet: etenim pus, quò eſt recentius, ac breuiore tempore alijs permiſtum, eò eſt fœtidius. Eſt autem recens admodum, quod ex ueſica labitur, & econuerſo admodum confuſum cum urina quod ex renibus deducitur. Et quid ergo mirum eſt, quòd minus fœteat? nam & rebus externis tam ſapores, quàm odores, permiſtione aliarum rerum diſsimulantur: ita & fœtor puris longa urinæ permiſtione exoluitur. Secus proculdubio pus in renibus per ſe eſt fœtidius, utpote natum in loco calido & humido, & ad putredinem maxime opportuno.

Squamæ ſolius ueſicæ.
Fœtor diſtinguit pus ueſicæ à pure in renibus.
Ratio à Galeno neglecta.
Occupatio.

APHORISMVS LXXXII.

QVibus in urinaria fiſtula tubercula naſcuntur: ijs ſuppuratione facta, & eruptione, ſolutio aduenit.

SI quis per Solutionẽ intelligat tuberculi affectionem, per ſe notum erat, nec admonitione admodum dignum erat. Melius ergo Galenus urinæ ſolutionem hoc uerbo excipit. Maius etiam myſterium ſuberit, ſi intellexerimus Hippocratem hoc Aphoriſmo docere peculiarem tuberculi, in hoc loco nati, curationem: nam tuberculum in alio forte calidiore loco reſolui poterit, at in hoc penè, utpote frigido, ac neruoſo, reſolui contumax, atque in ſuppurationem ferè abit.

Simplex ſermo.
Galeni expoſitio.
Noſtra additio.

APHORISMVS LXXXIII.

MIctio noctu plurima cõtingens, paruam ſignificat deiectionem.

Aa *Nequa*

Pars potus in sanguinem.
Concoctio quædam fit inspissando.
Pars cibi quędam in lotiũ abit.
Exquisita in hepate confectio parum relinquit urinæ.
In uentriculo eadem alimẽti & excremẽti ratio.
Multa concoctio in uẽtre auget lotiũ.
Deductio.
Alimenti ubique & excrementi quędã proportio.
Argumentũ à primo ad ultimum.
Commentatio Galeni parũ obliqua.
Rapacis hepatis remedium.

NEQVAQVAM totus potus abit in lotium serosum: quod est mirabile: aliqua eius pars mutatur in crassius alimentũ, adeò perpetuum nõ est, quòd cõcoctio in uẽtre atq; hepate magis attenuat, quàm inspissat. Nec rursum solus potus urinæ materiam sufficit, sed & serosior alimenti pars in hepate, subinde lotium auget, idq; diuersè admodum: ubi exquisitè alimentum in hepar conficitur, parum lotij redditur: ubi autem parũ, illic multum. Ita & in uentriculo, alimentum obiter concoctum, multam relinquit fecem: diligenter uerò elaboratum, paucam. Veruntamen hoc ipsum in causa est, ut plus tandem sequatur lotij: nam quo alimentum in hepate fuerit copiosius, eo & excrementum ipsius sequetur abundantius. Est autem nunc certum, quòd quo plus in uentriculo fuerit concoctum, eo plus rapietur ab hepate: non enim solet hepar, nisi concoctum in uentriculo cibum ad se allicere. Si quidem ergo ubiq; alimenti & excrementi proportio inuicem sequantur, necessum est, ut modicam deiectionem multa urina compenset: nam ob eam causam deiectio modica fuit, quia in uentriculo plurimum concoctum, & ab hepate plurimum assumptum. Scio quòd Galeni commentatio utcunque aliò spectet: uerùm hæc mihi nunc uidetur melior: nam & citra ullam digestionis importunitatẽ id fieri potest. Quòd si ea intercesserit, & properè hepar ad se trahere anticiparit, atque forsitan caliditas eius occasio fuerit, decet caliditatem eius restringere, atque admonente Galeno, digestionem eius præcocem impedire. Verùm ubi potius multa penuria totius corporis, quàm auaritiæ hepatis, in causa fuerit, durum remedium, ac pro eo mallem alimentum copiosius exhibere.

*

APHO

APHORISMOR.

LIBER V.

APHORISMVS I.


ONVVLSIO ex elleboro, lethalis est.

NEOTERICI nigrum elleborum albo praeferunt. Galenus contrà sentire apparet, qui elleborum album in quartana exhibet, & simpliciter album audit: id enim de digniore facere solemus. Sed & in alijs speciebus eiusdem generis album nigro solet esse remissius. Nõ tamen id primum commenti sunt Neoterici, sed ab ipso acceperunt Aegineta, Dioscoride, & alijs quibusdam ueteribus, qui in albo potius, quàm nigro suspectum habent strangulationis periculum. Intelligimus autem hic strangulationis periculum nequaquam, quod fungos, aut similia uenena sequitur, sed quod difficultatem uomitionis concomitatur. Ita & nunc in principio cõmenti Galenus indicat, ubi potius in principio purgationis confectae, quàm postea strangulationem reformidat. Eôdem alludit Dioscorides, qui propter idem periculum à cibo elleborum album exhibet: scimus enim, quòd post cibum uomitus sit promptior. Igitur alterum oportet dicere, uel quòd in utroq; elleboro idem periculum, eadem noxa, uel quòd candidus magis quàm niger uomitũ ciet. Tamen utrique uomitiuam uirtutem tribuunt, & (quod est mirabilius) praesertim propter melancholiam exhibent, quae ut grauis est, ita frequentius per inferiora quàm superiora decedere solet. Scio quòd à splene frequenter in uentriculum irruit, raro tamen ad os uentris ascendit. Quid dicam, nescio: mirum, quòd nemo ex Neotericis aut ueteribus id animaduerterit. Nos interim ad diuersitatẽ regionum confugere possumus. Certũ enim est, ob causas prius dictas, quòd Graecia, ac quaedã aliae regiones Graecia calidiores, multo gratius, quàm noster Septentrio, uomitum tolerant. Haec de elleboro, cui tres con

Elleborum album Galen⁹ nigro praefert.

Neoterici cõtrarium sentiunt.

Duplex strangulationis periculum.

Elleborus uterq; uomitum mouet.

Quare in morbis melãcholicis ciemus uomitũ.

Aliam rationem dedim⁹ in curatione quartanae.

uulsionis differentias diligens Galenus partitur. Prima, inquit, cõsensum stomachi sequitur: nam materia quæ uomitu effertur, aliquando stomachum ita prouocat, ac uexat, ut eius consensus ad uniuersum corpus perueniat, & eodem modo conuellatur aut distendatur, ac si singulis partibus esset, quod lacesseret. Atque hæc quidem conuulsio aut distentio minus est periculosa, & (ut mihi apparet) ab Hippocrate in hoc loco neglecta: tamen Galenus eam hîc cum alijs differentijs audire cupit, & ab Hippocrate quoque intellectam putat. atque hoc tantùm dicit: nullũ enim eius rei signum adducit, nec curat, quòd Hippocrates conuulsionem lethalem dicat, nam hoc ipse ad totum genus conuulsionis refert, & satis esse putat, quòd aliquot eius species mortales existant. Non minus laborabit in secunda specie, quam per morsum fieri cõstat. Nam licet singultus sic oritur, & in neruis quoque conuulsio eodem modo oriri potest: nõ uideo tamẽ, quomodo ab elleboro imbibito id promptè fiat. Omitto, quòd in libro octauo De medicamentis secundùm loca, neget se scire tertiam occasionem conuulsionis, licet ea in singultu frequenter occurrat. Profectò mihi uerisimilius est, quòd Hippocrates nullam aliam in hoc loco conuulsionẽ suspectam habeat, quàm quæ immodicam inanitionẽ sequitur. Sed & de ea quoque aliqua difficultas insurgit: non enim humores, qui euacuãtur, in neruis sedebant, sed in uenis, quorum euacuatio ad neruos nihil pertinere apparet. Sed & Galenus hîc fluctuat, & nunc neruos à substãtia ellebori morderi, nunc ui illius exiccari, nunc tertiò illorum humiditates ab ellebori attrahi putat. Quærit proculdubio potius, quàm reddit: nam neque substantia ellebori eo distribui integre poterit, neque neruorũ corpus tam cito eius ui exiccari, aut eorũ humiditas absorberi. Deniq; in hecticis omnia aridiora, tametsi pauci eorum conuulsione capiuntur. Audio quòd uulgo dicitur, in hectica paulatim, hîc affatim neruos exiccari. Verùm uerba hæc sunt, atque id tantùm: quippe ut ad exemplum Galeni redeamus, restis siue paulatim, siue affatim torreatur, semper cõtrahitur. Satius ergo est ad uenas & arterias, magnas & paruas abire: nã licet de substantia musculorum nõ sunt, ipsis tamen innectuntur, ac præcipuæ sunt, quæ totum corpus musculi in tumorẽ attollunt. Ergo horum,

nec

Tres differẽtiæ conuulsionis.
Prima cõuulsio parum periculosa.
Galeni excusatio.
Secunda conuulsio morsũ sequitur.
Galeni discordia.
Hippocrates solùm cõuulsionem ex siccitate suspectam habet.
Quomodo elleborus cõuulsionẽ ex inanitione faciat.
Galeni fluctuatio.
Hectici rarò conuellũtur.

nec aliorum corporum inanitio est, quæ eosdem musculos contrahit: nam inanitio & repletio eorundem corporum esse debent. Ita, ne ab exemplo exteriorum discedamus, uidere est, quòd continentia corpora multitudo abbreuiat, mediocria extendat, & rursum immodica penuria contrahat. Eodem modo & in musculis uenæ affatim impletæ, musculos contrahunt, mediocriter refectæ extendunt, præter modum inanitæ iterum subducunt, uel quòd simul cum humoribus uirtus excedat, uel quòd copia, quæ extendere solebat, ablata, ultro membra corrugentur, ac concidant. Ne tamen, quæso, id sic intelligas, quasi ex solis uenis fieret humorum effusio: nam & inflammationes extra uenas in carnem funduntur, minima tamen pars, maxima in ipsis spatijs ac uenis continetur: proinde & ipsa inanitio magis ad uasa & spatia in carne, quàm ad ipsos neruos pertinet. Omitto, quòd affatim ex paruis uenis, & carnis habitu, humores rapiuntur ad interiores & maiores, quando hæ confertim euacuantur: nam fluxus fluxū prouocat. Habes causam, quare in his subitis euacuationibus potius, quàm in tabidis, conuulsio sequitur. Ita est & in immodicis purgationibus, licet sanguis retinetur, tamen ad interiores uenas affatim fit totius sanguinis retractio. Et quid ergo mirum est, hanc retractionem cōuulsionem sequi? uidentur enim in solis animi defectibus hac occasione membra conuelli, & os concludi. Vnica est differentia, tamen satis magna, quòd in simplice defectu animi tandem humores, qui adfluxerunt foras, iterum reuocantur: in immodicis autem euacuationibus pertinaciter retinentur. Rara tamē eiusmodi eneruatio, ac sæpius flaccescunt, quàm conuelluntur ab immodica euacuatione: mēbra certe nunquā distentio sequitur, conuulsio autē aliquādo. Scio, quòd nūquā causam inquisiuistis: est autē una, quia distentio aut intemperaturæ excessum, aut naturæ uires, cōuulsio ubique facilè sequitur. Ac tantū de ellebori incommodis. Sunt autē eadē & in alijs, sed maluit ubique Hippocrates rē quibusdā exemplis ostēdere, quàm generali ratione summatim perstringere. Iam neque quæuis medicamenta hæc difficultas sequitur, tantū grauiora, atq; ea quorū facultas altius in corpus rapitur: nam leuiora, quorū uirtus in uentre, aut etiam hepate restringitur, huiusmodi periculo uacant.

Inanitio uenarum poti⁹ quàm neruorum cōuulsionem facit.

Quare subito euacuati potius quàm hectici patiūtur conuulsiones.

Quomodo immodica purgatio cōuulsionem facit.

In defectib⁹ animi retractio ad interiora, & quedā oris ac manuum contractio.

Multam euacuationē cōuulsio aliquādo sequitur, distentio nūquā, aut perrarò.

Non nisi potentiora medicaméta cōuulsio seqt.

APHORISMVS II.

COnuulsio ex uulnere lethalis est.

Duplex sententię expositio.

SI quis intelligat id ex fluxu sanguinis per uulnus, nulla difficultas est. Galenus citra profluuium accipit, & ad inflammationes, quæ plerunque uulnera sequuntur, præsertim ubi reuulsio negligitur, expendit. Sed mihi non apparet eò Hippocratem respicere, qui ne minimo quidem uerbo inflammationis meminit, sed age subaudiuit, quia uulneris plerunque assecla, raro tamen in his externis partibus conuulsionem facit. Sed neq; ubi euenerit, periculum affert, quoniam solæ illæ, quæ ex inanitione fiunt, mortales existunt. Id & Galenus sciuit, qui ob eam causam lethales impropriè, tanquã crebro tales audiuit, potissimũ ubi in neruosis partibus cõsistunt, atque deinceps particulares ipsius partis uulneratæ conuulsiones uniuersales (consentiente cerebro) excipiunt. Nec diffitemur, quin euanescentibus tumoribus in uulneribus atq; ulceribus (quẽadmodũ in fine huius libri dicemus) sæpe conuulsiones à tergo, atq; etiã distentiones sequãtur: sed rarum est, quòd euanescant. Vix igitur hæc expositio tolerabilis uidetur. Sed neque Oribasius placet, qui ad interiorem atq; principalium uiscerum uulnera Aphorismum contraxit: quia Hippocrates simpliciter scripsit. Sed & societas reliquorum Aphorismorum nos inuitat, ut & hunc de immodico ex uulnere fluxu accipiamus.

Rarò in uulneribus conuulsio ex plenitudine sequitur.

APHORISMVS IIII.

VBi sanguis plurimus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens, malum.

Conuulsio potius euacuationẽ quàm morsum sequitur.

EX hoc loco perspicuum est, quod elleborus ac similia medicamenta nequaquam conuulsionẽ faciunt, quia sua substantia neruos mordẽt, exiccant, aut humiditates absorbent: sed quia uenas & arterias immodicè exhauriunt, & totum spiritum, nedum sanguinem, ab extremis partibus intro rapiunt. Argumento, quòd equitantibus, & casu equi perculsis, subinde musculi in suris ex solo timore contrahuntur. Differentia est, quòd hæc conuulsio sit extemporanea, illa uerò pertinax ac diuturna. Iam extorto spiritu, neruos exiccari est necesse: nam spiritus eleganter partes humectat,

Extemporanea conuulsio.

ctat, inflat, ac tendit. Non est igitur mirum, quòd ex eodē fluxu singultus sequatur: nam molestam siccitatem uentriculus non aliter, quàm aliud acre incommodū expellere nititur. Ita & frigiditatem, uel quia ipsa per se prouocat, aut flatu aliquot inflat. Argumento pueri, qui ob tenuitatem aut raritatem corporis facilè frigido percutiuntur, ac refrigerati, non solū sterniunt ac tussiunt frequenter, etiamdum singultiunt. Flux' immodicus singultum facit. Singultus ex frigiditate.

APHORISMVS IIII.

EX nimia purgatione conuulsio, aut singultus superueniens, malum.

ANTEA dictum est, quòd licet medicamentum à sanguine abstinet, tamen immodicum, immodicè humores extorquet: quod cum natura parum ferat, anxia est, reliquos humores, ipsum etiam spiritum, et sanguinem, ad se pertinaciter reuocat, quo fit, ut nihilosecius quàm in superfluo sanguinis fluxu conuulsio neruorum insequatur. Natura ãxia.

APHORISMVS V.

SI ebrius quispiam repente obmutuerit, cōuulsus moritur, nisi febre corripiatur: aut ubi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, uocem recuperet.

VBI Galenus obmutescentiam finit, uidetur paulo obscurior, adeò ut interpretes contraria transferant. Nam Laurentianus, & antiquus interpres, suum commentum reddunt. Leonicenus inuentum sequitur, & habet melius: nam hæc est sententia ipsius, quòd immobilitas, atq; insensibilitas suborta, ex affectu cerebri, quæ proprie stupor appellatur, nunc auditur nomine ipsius obmutescentiæ. Non enim Hippocrates eos solos appellat mutos, qui id patiuntur occasione ipsius linguæ particulariter, sed qui ob affectum cerebri soluuntur toto corpore uniuersaliter: & quidem uarij sunt tales: etenim statim occurrit apoplexia, epilepsia, & multa alia, de quibus antea. Sed quænam eorum nunc Hippocrates intelligat, est obscurum. Paulus Aegineta uidetur hîc intelligere catochē, & catalepsim: Interpretum uarietas. Sententia partis commenti. Varij morbi qui hominē subito mutū reddunt. Pauli Aeginetæ suspitio.

tam

tam paruam facit inter utrunq; differentiam: ſed in catoche nullo modo conſtare poteſt, quia hîc ſimpliciter muti non ſunt: uerùm neq; de catalepſi hunc locum poteſt accipere, quia catalepſis potius frigiditatem ſequitur, quàm ex ebrietate crapulam. Hugo Senenſis iuxta Galenũ de Apoplexia hunc locum intelligit, ſed aliter quàm Galenus apoplexiã diuidit. Etenim eam hoc loco audit, quæ in ſola ſpirituum cõſiſtit affectione. At mihi nullum hactenus tale genus apoplexiæ depræhenſum eſt, & re uera commentitium eſt, & à Galeno alienum: nam is ſimpliciter de apoplexia intellexit. Et ego quoq; lubenter ita intelligerem, ſed tria ſunt, quæ me ab hac commentatione perturbant. Primùm eſt, quòd apopletici aut moriuntur, aut reſoluuntur: certè conuulſi non moriuntur. Secundò, ſi hæc ſit apoplexia, mirum eſt, cur ſecũdo die relinquat, uel interficiat: nam apoplexis diutius durat. Tertium eſt, quòd apoplexia per ſe nunquam ſolui ſolet, præſertim quæ tam fortis eſt, ut ſecundo die interficiat. Sed neque ipſe Galenus diligenter oſtendit, quomodo hîc conuulſio euenit, tantùm generaliter, nunc impletis neruis, nunc patiente primo principio, ipſam deducit. At certum eſt, quòd de uniuerſali conuulſione Hippocrates loquatur: quæ per neruorum impletionem fieri nequit: fruſtra ergo uini ſubtilitatẽ, quæ in neruos penetrat, accuſat. Sed & illud obſcurè dictum eſt, quòd uinum ſubſtantia ſua forte uentriculos cerebri infarciat, & ſua qualitate tandem expediat. Hæc ſunt, quæ proculdubio mihi perſuadẽt, ut eum hîc affectum intelligam, quem alibi Hippocrates ſcripſit, ubi inquit, Si quis repente obmutuerit, uenarum interruptionem ſignificat. *ubi uel ipſe Galenus uenas pro arterijs accipit. Nec de alia interceptione mihi hoc ab Hippocrate uidetur dictum, quàm arteriarum iugularium: nam harum impletio impedit, ne ſpiritus uitalis, ex quo animalis recreatur, ad cerebrum perueniat. Itaq; ſimilia apoplexiæ ſymptomata facit. Nec difficile hæc uaſa à crapula implentur: nam uinũ ut eſt calidum, ita promptiſſimè ad ſuperiora aſcendit. Videtis, ut quibuſdam oculi tument. Fortaſſis ergo hæc affectio minus eſt pertinax, quàm apoplexia, utpote quæ ex uapore magis cõſiſtit, quàm humore, atq; adeò in loco calido, ubi promptius ſoluitur. Verùm nihilominus magis periculoſa: nam ubi tantùm in uen-*

Hugo Senenſis apoplexiã intelligit ex ſpiritu.

Galeni commentũ trib⁹ modis ſuſpectum.

Fortis apoplexia nõ ſolet p ſe relinquere.

Altera in Galeno obſcuritas.

Noſtra ſuſpicio.

Interceptio iugulariũ cũ apoplexia eadem ferè cõmittit ſymptomata.

Hic affectus magis acutus & minus tamẽ pertinax.

triculis est obstructio, ut spiritus animalis (ut ferè est incorporeus) aliquis ad inferiora descendit: non tamen descendere poterit, ubi à societate & communitate uitalis penitus prohibetur, quia ex eo gignitur. Hæc dico, forte causa est, ut nihilo secius quàm apoplexia interficiat: tamen uel febricula, uel aliter ab ipsa natura obiter solui poterit: nam ad flatus soluendos modicus calor sufficit. Ergo neq; id erit nobis dictu difficile, ecquid hi conuulsi potius, quàm alij epileptici prima uice moriuntur: quippe epilepticis simplex est affectus, hîc uerò malũ ex malo oritur, atq; adeo geminatur: nam non antè hîc conuulsio sequitur, quàm malum usq; ad cerebrum promouetur. Sed neq; illud mirum est, quòd hîc potius, quàm alibi, cõuulsio cõsequatur: quoniam hæc materia egregie flatulenta est, quæ cerebrum nihilominus quàm in epilesia, uellicat. Videte ergo, quàm hæc Hippocratis obseruatio cum ratione consentiat, nec temere quicquam scripserit, aut quod rationem desideret, quamuis non semper sit in promptu, præsertim ijs, qui aut retusiores, aut aliter negligentiores. Idem forte & Galeno in hoc loco accidit, dum quasi aliud agens, & perfunctorie huius Aphorismi expositionem agit. Hinc est: quòd nequaquam conuulsionem in fine succedere putat, sed à principio simul inuadere autumat. Obiter & hoc ab illo dictum, quòd uinum eam quam fecit in neruis sua qualitate dispositionẽ sanet: etenim uinũ & idem seipsum cõcoquere nequit, sed natura est, quæ talem qualemcunq; plenitudinem spatio temporis excoquit. Attestatur huic expositioni quæ sequitur particula, ubi dicitur, Nisi in hora, in qua soluuntur crapulæ, uocem recuperet.

Leuis causa hunc affectũ soluit.

Quare hi conuellũtur & moriũtur.

Hippocratis sententiæ sẽper rationẽ inuenient.

Galeni sinistra opinio.

A Galeno obiter dictũ.

APHORISMVS VI.

QVicunque à tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si uerò hos effugerint, sani fiunt.

QVOTIESCVNQVE mihi nomen distentionis occurrit, toties noua difficultas apparet, propter morbi raritatem, & autorum uarietatem. Nec Galenus ubiq; constare sibi apparet, alibi in illius curatione remedia capiti implicat, alibi rursus conuulsionem uniuersalem, aut di-

Distẽtio morbus rarus ac difficilis definitionis.

Nostra opinio de distentione. Distētio morbus acutus.

stentionem ex solius spinæ affectione citra cōsensum cerebri fieri indicat, ubi illi mentē integrā seruat. Ac proculdubio refrigerata spinali medulla accidit: nam frigiditas admodum cadaueris corpus rigidum facit: ita & alibi sub gelu singula rigent. Est autem hic affectus acutus, si nō ob aliam causam, saltem ob discrimen anhelitus. Nescio igitur quare Hugo uniuersalem ac particularem distentionem æqualibus terminis protrahit: certum enim est, quòd morbus acutißimus diu durare nequit. Reliqua, quæ huc spectant, in prioribus nostris inuenietis commentarijs aut posterioribus.

APHORISMVS VII.

QVibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt. Quibuscunque autem uigesimoquinto, fere commoriuntur.

Pleriq; morbi comitiales pubertate finiuntur.

NON omnes morbi comitiales ante pubertatem mutationem accipiunt, sed pleriq;. Hæc est forte causa, quare reliquæ interpretationes particulariter efferūt. sed non est necessarium ob eam causam lectionem mutare, sed hæc & similia oportet amicè pro consuetudine intelligere. Subijcit, Quibuscunque autem uigesimoquinto, commoriuntur. *Potest id dupliciter intelligi, uel de morbis comitialibus, qui ab infantia huc usque permanserunt: uel de ijs qui nunc primò suboriuntur. Neutris sequētes ætates admodum conferre possunt, præsertim ijs, qui nunc primum occipiunt: nā qui antea forte à pueritia cœperunt, hos aliquādo, sed admodū raro, ipsa iuuentus emendare potest, sequentes certè potius incommodum augebunt: nam ut euadunt sicciores, ita etiam frigidiores. Igitur mirari nequeo, cur Hugo Senensis morbos comitiales in pueritia difficiliores, quàm in iuuentute autumat. puerilius etiam illius argumentum: nam quòd plures pueri hoc morbo moriuntur, quàm iuuenes, non est ex eo, quòd in pueris sint periculosiores, sed quia frequentiores.*

Duplex expositio posterioris particulæ.

Morbi comitiales qui in fine adolescētiæ extremæ incipiūt, per sequētes ætates corrigi nequeunt.

Puerile Hugonis argumentum.

APHORISMVS VIII.

QVicūq; morbo laterali laborātes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem uertuntur.

INFLAMMATIO ex craſsiore ſanguine ferè ſuppuratur, ex tenuiore & calidiore reſoluitur, apparetq́; eius initium aliquando primo die, ſæpe tertio, aliquãdo nono tantum, aut undecimo: ſufficit uideri eius rudimentum decimoquarto: nam quæ ſemel reſolui cœpit, ſuppurari nequit: moris enim non eſt, ut eadem inflammatio reſoluatur, & ſuppuretur. Neſcio ergo, quid in mentem illis uenit, qui (ut audio) in hoc loco eos ſuppurari audiunt, quibus in quatuordecim quidẽ diebus inflammatio reſolui cœpit, ſed exhauſta non eſt. Multis modis hîc mihi peccare apparẽt. Primum turpiter errant, qui magna ex parte reſolutam, tandem ſuppuratum iri putant. Non magis ueniam merentur, ubi uel poſt decimumquartũ in rudi & contumaci inflammatione reſolutionem nondum inchoatam poſtea expectent. Aequè cum experientia pugnant, ubi omnem reſolutionem funditus ſpatio quatuordecim (à quo primum cœpit) abſolui putant: nam in Anaxione, undecimo die cœpit, & uix trigeſimoquarto omnino deſijt: potuit etiam deferri criſis, in quadrageſimum. Igitur hic locus Hippocratis in ijs ſolis obſeruat ſuppurationem, in quibus materia tam craſſa, & reſolui contumax, ut ne uel decimoquarto aliquid initium reſolutionis patiatur. Nec tamen ſtatim initium ſuppurationis edit, aliquando decimo ſeptimo, aliquando aliquo ex poſterioribus, ſæpe etiam ante decimũquartũ nono, aut undecimo, aut aliquo ex prioribus: nõ enim numero dierũ id determinatur, ſed certis quibuſdam ſignis, quæ Hippocrates in prognoſticis ſtatuit, diſcitur, quæ quandocunque uiſa fuerint, obolent omnem ſpem reſolutionis, & indicant futuram ſuppurationem. Verùm uel citra hæc ſigna, omnis ſpes reſolutionis tollitur in pleuritide, in qua ante decimumquartum nihil, ne crudum quidem, excernitur.

Inflammatio ex ſanguine craſsiore ſuppuratur, ex tenuiore reſoluitur.

Recentiorũ quorundam opinio.

Prim9 error.

Secundus.

Terti9 error.

Certa eſt ſuppuratio inflãmationis, q̃ ante decimũ quartum nullum ſignum concoctionis accepit.

Initium ſuppuratiõis uarijs diebus incipit

APHORISMVS IX.

TAbes fiunt præcipuè ætatibus à decimoocta-uo, uſq; ad trigeſimumquintum.

EX hoc Aphoriſmo facile eſt intelligere, quòd Galenus temerè cõqueſtus ſit in Aphoriſmo trigeſimo, tertij libri, omiſſam ab Hippocrate adoleſcentiam: nam ex iſto conſtat, quòd ibidem per νεανίσκους *utroſque intellex*

Iniqua Galeni querela.

Νεανίσκοι iuuenes dicuntur & adoleſcentes.

tellexerit, & adolescentes extremos, & ipsos iuuenes. Liquidò etiam constat, quòd Leonicenus ibidem peius alijs reddiderit, adolescentiam: nam adolescentia Galeno hîc describitur à decimooctauo usque ad uigesimũquintum: inæqualiter ergo ab eo alibi ducitur, pubertas à decimoquarto anno, usque ad uigesimumquintum. Sed & id negligenter ab eo dictum, quòd hæ duæ ætates duntaxat per accidens tabi obnoxiæ sunt: nam iusta ratione id euenit, quia in adolescentibus sanguis multus, & in iuuenibus acris & calidus. Hic facile uas in pulmone uiolat sua qualitate: ille uerò sua quãtitate: atq; hæc est prima differentia aut occasio tabis ex ulcere pulmonis. Secũda ex acri distillatiõe oritur: atq; hæc diu trahit: prior nisi subito medicus occurrat, repẽte secũda inflãmatione, antequam tabes appa-ret, interficit: hæc quacũq; ætate incidere potest, tamẽ in iuuentute magis, quòd hæc maxime biliosa. Tertia differẽtia eius infelicẽ suppurationẽ sequitur, atque hæc magis accidit post quadragesimum annum: quippe in prioribus ætatibus inflammationes ferè resoluuntur, in posterioribus suppurantur. Nemo ergo hunc Aphorismum adiectum putet, quasi tabes ex suppuratione ijs maximè ætatibus fieret, sed per solam rerum affinitatem adscriptus est. Clarior tamen fuisset Hippocratis sermo, si quidẽ primùm differentias tabis numerasset, ac deinceps quæ in alijs ætatibus eueniunt, distinxisset. Sed in doctrina Aphoristica non licet subtiliter omnia exequi.

Longè ducta pubertas.

Negligenter à Galeno dictum.

Adolescẽtia & iuuẽt⁹ tabi per se ambæ obnoxiæ.

Phthysis ex destillatione diuturna.

Phthysis ex destillatione cuilibet ferè ętati communis.

Tertia species tabis ex suppuratione post annum quadragesimum.

APHORISMVS X.

QVicunque ab angina liberantur, ijs ad pulmonem uertitur, & in septem diebus pereunt. Si uerò has effugerint, suppurantur.

DE his qui liberantur, citra manifestam occasionem, oportet intelligere: ubi alterum est necessarium, uel quòd materia iterum in uenas regurgitet, uel quòd alium locum extra uenas obsideat. Et quidem angina plerunque in pulmoniam euadit, nequaquam materia per asperam arteriam delapsa, sed iterum in uenas resumpta, atque hinc ad pulmonẽ transmissa. Atque ubi à principio pulmonia suboritur, nequaquam, ut pleuri-

Fallax declinatio.

Angina in pulmoniam.

Pulmonia breuiter resoluitur.

tis, decimoquarto die moratur, sed ferè septem dierum spatio resoluitur. Nam licet pleuritis ex materia biliosiore est, tamen pulmonia in loco calidiore. Longe alia illius fortuna, ubi alium morbum sequitur, debilior hîc est natura, quàm ut ipsam resoluere poßit, plerunque suppuratur. Nõ ergo temere, sed ob iustam causam expurgationem pulmoniæ Hippocrates omisit, cuius in pleuritide meminit.

Pulmonia ex angina ferè suppuratur.

APHORISMVS XI.

QVi tabe molestantur, si sputum quod extussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli defluunt, lethale.

INORDINATE ac negligenter admodum hos Aphorismos scripsit Hippocrates: nam saltem his duobus tertium præponere debuit: quia naturale est, ut prius describantur signa, quæ morbum definiunt, quàm quæ facilem aut difficilem distingunt. Tale est sputum, quod carbonibus iniectum male olet: peius est, si per se fœtet: illud frequens est, quoniam & motus & calor fœtorem excitant, & accendunt: peßimo proculdubio augmento: quia ulcus potius sordescere, quàm exiccari, fœtor arguit, & omnino copiosius hîc est, quod corrumpitur, quàm quod concoquitur. Sensimus aliquando totum cubiculum, in quo huiusmodi ægri decumbebant, nescio quid male spirare: & ego quoque semper illorũ, quantum potui, animam suspectam habui. Verùm nondum intelligere possum, cur à quibusdam hic morbus contagiosus habeatur: nam licet halitus ipsorum tabidorum proximum aërem poßit corrumpere, non uideo quomodo pulmonem exulcerare. Et posset is fœtor aliud aliquando accidens sequi, sed ipsum & totum morbum admodum suspectum facit iactura pilorum, ac ferè periculum geminat. hoc experientia indicat, & Galenus rationem captat, qui nunc defectum, nunc corruptionem alimenti hîc eius causam accusat. Neutrum mihi placet, sed in causa mihi apparet subiecti tenuitas: non enim pili cutem, ut radices terram, pertinaciter amplectuntur, sed quasi stylus inanimatus in corpore denso firmatur, quo rursum attenuato, per se elabitur. Ita & pilos ego puto in his, qui

Præposterus ordo.

Calor fœtorem prodit.
Fœtor ulcus desperatum significat.
Grauis aëris fœtor.
An tabes sit contagiosa.
Iactura pilorum cum fœtore sputi ad modũ lethalis est.
Galeni opinio.
Pili in tabidis cadunt propter subiecti raritatẽ aut tenuitatẽ.

rara cute sunt, aut admodum tenui, ut in senibus, & tabidis, per se cade-re, quia illorum subiectum attenuatur. Nam neq; plantæ in terra obiter strata firmantur, sed quæ altius inseruntur. Et quid oportet de plantis dicere? proximius exẽplum bruta præbẽt, quibus corium densum tenui cute est: hæc enim natura nunquam caluescunt, quia in firmo solo ipsorum pili instituuntur: in hominibus ex se cutis tenuis est, attenuatur autem per ætatem & tabem. Nihil ergo admirandum, quòd utrobique excidant & elabantur, non quidem (ut mihi apparet) alimenti inopia, sed magis subiecti, ac si dicas soli, fortuna & iactura. Potest tamen & quædam corrupta humiditas accedere: nam tametsi totum corpus contabescat, tamen & colliquatur quodammodo ipsa caro. Ex rebus externis est discere, quòd non solùm tenuitas subiecti, sed & mollicies ipsa infixum labefactat. Ecquid ergo mirum est, quòd & in cute quadam humiditate & tabo flaccida, pili collabãtur? Id egregie uidere est in morbo Gallico, qui aliquando ne unum ferè usque pilum relinquit. Eadem ergo ratione & in tabidis pili possunt collabi. Quòd autem ipsa caro in his in quandã humiditatem soluatur, ex uermibus & pediculis, qui in his hoc tempore apparent, poßis cognoscere: nõ enim aliunde poßunt gigni: quomodo & in cadauere grauiores uermes enascuntur. Fateor, in pueris atque puberibus sæpe à morbo propter excrementorum multitudinem enascuntur, sed hic morbus potius siccus, quàm excrementitius.

Multa exempla.

Non est in causa alimenti inopia, sed subiecti fortuna.

Labefactat mollicies subiecti, nedum tenuitas.

Morbus Gallicus statim pilorũ iacturã facit.

Pediculi in tabidis.

Puerorũ pediculi.

APHORISMVS XII.

QVibuscunq; tabe laborantibus, capilli à capite defluunt, iis alui profluuio superueniente, moriuntur.

ALVI profluuium ubiq; ferè uirtutem deijcit: certè post morbum acutum, aut longum in extenuatis mortale existit. Non est ergo mirum, quòd tabidi huic succumbant: quoniam (ut iam diximus) illorum affectus potius siccus, quàm humidus est.

Omnis fluxus uirtute defecta mortalis est.

APHORISMVS XIII.

QVicunque spumosum sanguinem expuũt, iis è pulmone eductio fit.

Vbi

VBI ſanguis expuitur, primum oportet perpendere, an ex ipſo late pectore, an potius procedat ex ipſo capite. Tuſsis diſtinguit: multa eſt, ubi ex alto pectore aſcendit: modica eſt, ubi ex capite obiter irruit. Accedit diſtinctio ex tempore, ex capite extemporaneum eſt, ex pectore ſæpe diuturnum. Demum ſi quando cruentum ex capite cadit, aut ex uentriculo aſcendit, multum eſt: ex pectore uerò modicum. Tamen qui ex pulmone effertur, reſpectu eius, qui ex thorace uenit, copioſior eſt, recẽtior, & rubicundior, utpote qui ex propinquo uenit. Eſt alia differentia: ſanguis ex pulmone ſubito fertur, ex thorace uerò cum dolore proditur. Nouiſsimè ex omnibus partibus ſanguis decidere poteſt, ſed ſpumoſus non niſi ex pulmone. appello autẽ ſpumoſum eum, qui in omnibus partibus ſpumæ particeps eſt: nec talis ex quauis parte pulmonis egreditur, ſed ipſius carne: etenim hic multam cum aëre qui infertur, & effertur, habet cõmunionem. Fortè & uenis hic aër inſinuatur: ſed calore rurſum diſijcitur. Sed neque ſemper talis eſt, qui ex eius ſubſtantia procedit: quia ſæpe modicus eſt, ac priuſquam effertur, in pus uertitur. Iam neque pus à phlegmate, quod ex pectore aſcendit, admodum diſtinguitur. Dicunt quidem pus deſcendere, phlegma manere. Certius eſt puris indicium, ſi in minimas partes diſsipetur, et rurſum coëat: nam phlegma ægrè diuellitur, ac coit. Cur autẽ quoduis excrementum cruentum, bilioſum, dum concoquitur, phantaſiam phlegmatis in pectore induit, alibi late diximus, & in libro De criſibus amplius dicemus, propter eos, qui hæc nunquam contemplati ſunt. Præſtiterit autem nunc hæc ſigna quibuſdam alijs munire, atq; firmare, quæ foris incidunt, coniecturis. Nam ſi quis ex alto lapſus, aut in concione fatigatus, aut longam deſtillationem, eamq; acrem, aut ſuppurationem paſſus, paulopoſt ſanguinem expuerit, leniter ſemper febricitet, præſertim ueſperi, uehementer tabes ex ulcere pulmonis arguitur: accedit natura ægri, ſi oblongo collo, & anguſto pectore fuerit, magis ſuſpectum, ſi uox primum rauca, deinde exilis ſucceſserit, ac poſtea æger omnino obmutuerit.

Sanguinẽ ex pectore tuſſis ſequitur.

Ex capite & uẽtriculo ſanguis multus.

Sanguis ex thorace cum dolore.

Sanguis ex pulmone ſæpe ſpumoſus eſt.

Pus ſępe citra ſanguinem.

Phlegma ſupernatat, pus deſcendit.

Pus facilè diſtinguitur, & rurſum prõpte coit.

Phlegma nec facile diuiditur, nec diuiſum prompte coaleſcit.

Bilioſum excrementũ in pectore induit ſæpe phantaſiam phlegmatis.

Signa ex ijs quæ præcedunt ulcus pulmonis.

APHORISMVS XIIII.

TAbe habito profluuium alui ſuperueniens, lethale.

In omnibus extenuatis fluxus alui periculosus, plerunque lethalis.

A febre habitum acuta solet Galenus intelligere, ferè enim hæc subito extenuat. Ita & hîc à tabe habitum audire possumus extenuatum: nõ tantùm autem tabe, sed & quouis alio modo, extenuatum, alui profluuiũ è medio tollere solet. Sed & priusquam extenuatur tabidus, periculosum esse solet, diutius tamen hic mors differtur, quàm ubi præ nimio corporis fluore antè pili exciderint.

APHORISMVS XVI.

QVicunq; ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur, à die, qua fit ruptio, liberantur. Si uerò nõ, ad tabem transeunt.

Aphorismorum aliquot ordo.

SI quidem Hippocrates aliquam uoluisset suis Aphorismis dare ordinem, octauum Aphorismum debebat sequi nonus, & illum hic decimusquintus: est enim communiter de expurgatione suppuratorum. Non oportet autem initium suppurationis accipere, aut supputare ab initio totius morbi, sed ab eo die, in quo suppurari cœpit. Habet autem ille dies signa ab Hippocrate in Præsagijs scripta: horror quidam ægrum inuadit, & pro dolore punctili grauitas succedit: febris etiam morem mutat: hic est dies, à quo initium suppurationis tendere oportet. Sed neque idẽ omnibus suppurationibus interuallũ, calidiores citius, frigidiores lentius suppurantur. Dixit in Præsagijs, quòd pleræque distillationes in uẽtrem superiorem suppurantur intra uiginti dies, aliæ quadragesimo, aliæ etiam sexagesimo. ita pulmonia duplo citius pleuritide: ubique tamen citius ipsa resolutio, aut cõcoctio obitur, quàm suppuratio: nam earum inflammationum, quæ resoluuntur, materia tenuior, quæ uerò suppurantur frigidior. Perfecta autem suppuratione omnes in proximum spatium pus affundunt: unde uomicæ, & abscessus appellantur. Ex quo quidem loco paulatim expurgantur, nec rursus eodem temporis spatio quædam serius, quædam citius: sunt qui expurgantur uicesimo ab eruptionis die, pleuritici plerunque quadagesimo. Intelligimus autem purgationem magna ex parte: nam raro funditus certo die suppuratio expurgatur, satis est, quòd maior illius pars. Secus proculdubio phthysis ex ulcere pulmonis periculum imminet.

Signa incipientis suppurationis.

Suppurationes diuersæ.

Resolutio magis festinat, quàm suppuratio.

Vomicæ & abscessus quare.

Expurgationis suppuratorũ tempus uariat.

minet. Videtis ergo, quòd quadragesimum hunc diem nequaquam metiri licet ab initio totius ægritudinis, aut etiam suppurationis, sed ipsius eruptionis. Non est ergo mirum, quòd Hugo Senensis multorum expurgationem post quadragesimum citra periculum uiderit: ab initio enim supputat, iuxta quã supputationẽ sæpe dies expurgationis perfectæ erit octuagesimus. Sed & pulmonarios suppuratos temere hic eximit, quasi omnes contabescerent: quoniam sententia de omnibus suppuratis in spatio pectoris commmunis existit.

Quadragesimus dies ab initio eruptionis.
Vana Hugonis appẽdix.
Malè Hugo pulmoniacos eximit.

APHORISMVS XVI.

Calidum, ubi quis sæpius eo utitur, hęc mala affert, carnis effœminationem, neruorum imbecillitatem, mẽtis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem, quibus mors succedit.

DE balneo proculdubio loquitur, non quidem admodum calido, sed ut ferri potest tepido, hoc est, quod effœminat, siue emollit, & omnibus externis iniurijs corpus opportunũ exponit: etenim corpora mollia omniũ rerum impatiẽtia, nec calorem tolerant, nec frigus. Puto hac de causa Cato milites suos lauari prohibuit, ungi permisit. Idem facit mollis educatio, aut uictus, aër. Argumento Asiani, & Europei: etenim his corpora ad omnia magis indurata, quàm illis. Non tamẽ hæc tria eodem modo ipsam mentem afficiunt, mollior uictus siue temperatus, & aër, mentem meliorem reddunt, hoc est elegantiorem & subtiliorem, balneum uerò retusiorem. Discriminis causa est, quia uictus & aër totum peruadunt hominem, atque uniuersam totius corporis temperaturam reddunt meliorem: balneum duntaxat externam corporis phantasiam diluit, spiritum etiam animalẽ exoluit, in quo calor naturalis & anima habitat. Hinc est, quòd homines quidam effœminati, ac plus satis studio formæ dediti, faciem aqua tepida nunquam lauari, aut ab igne tentari sustinent. atque hos ridere licet. Non tamen culpa uacant, qui partem aliquam imbecillem, aut per morbum, aut per naturã, siue caput, siue tibias, siue uentrem, quarundam pellium amictu semper fouent: nam eas partes magis infirmant. Ne-

Frequens balneum corpora effœminat.
Cato milites suos lauari uetuit.
Aër mollis etiã infirmat.
Aër temperatus & uictus mentem excitant.
Homines effœminati.
Pelles partes infirmas magis infirmãt.

que his continentur calidi incōmoda sanguinis (inquit) præterea profluuia citat, etenim & humores fundit, & uenas late explicat: sæpe autem profluuia sanguinis animi defectio sequuta est. Sed & citra sanguinis profluuium, sæpe balneū animi deliquium intulit: spiritum enim, ut diximus, attenuat ac difflat, in quo anima habitat. Maxime autē id facit in insuetis. Sed & hi ferè, qui frequenter, & nimis molliter huic sese dedunt, præcocem senectutem ineunt. Hæc tamen omnia pro natura uniuscuiusq; oportet accipere: nam Telephus Grammaticus singulis mensibus hybernis, bis, æstiuis quater balneo se diluit, & plus centum annis uixit. Antiochus Philosophus octoginta, & tamen id singulis diebus fecit.

Balneum sanguinem fundit.
Balneū citra fluxū sanguinis sæpe exoluit.
Frequēs balneū, præcox senectus.
Telephus Grāmaticus.
Antiochus medicus.

APHORISMVS XVII.

Frigidum autem conuulsiones, tetanos, liuores, rigores febriles.

AN frigidum conuulsiones faciat, paulo diligentius oportet inquirere: quoniam omnis cōuulsio inanitione definitur, aut repletione. Mirum, quòd Galenus hāc causam aut differentiam omisit, cui curæ fuit uel eam, quæ à morsu fit, alijs annumerare. Nam certum est, quòd conuulsiones, atque distentiones, quæ frigidum sequuntur, maiorem habent similitudinem cum alijs, quàm quæ ob morsum committuntur. Et quidem foris multo frigore res contrahuntur, frequenter etiam distenduntur. exemplo sunt, quæ sub gelido aëre riguerunt: citius enim ea frangas, quàm cōtrahas. Ita & de Alexandro referunt historiæ, quòd postquā nimis diu, atque auidè in fluuio Cydno lauisset se, toto corpore obriguerit. Idoneum exemplū, nam grauissimus morbus erat, adeò ut uox ferè intercluderetur, nec sine periculo magno quarto die seruatus sit. Hinc facile liquet, quàm rectè alibi fecerimus, qui catalepsin & tetanum uniuersalem potius ex refrigeratione spinalis medullæ, quàm illapsu alicuius materiæ definiuimus. Proinde quum ad extrema uentum est, non solùm ex inanitione, aut repletione, sed & ex multa refrigeratione conuulsionem atque distentionem fieri dicemus. Neque Hipppcrates usquam id negauit, duntaxat quòd ex inanitione, & plenitudine plerunque fierent, asseruit. Quòd frigida liuorem faciat,

Conuulsio ex frigiditate uidetur alia à conuulsione ex inanitiōe, plenitudine, aut morsu.
Exemplū ab externis.
Alexander distentionem pass9 est postquam lauisset se in fluuio Cydno.
Tres species conuulsiōis.

ciat, per se natum est, si quis immodicè ea utatur: nam spatio temporis naturalem calorem extinguit, in principio tamen, atq; robustis, eam auget, et prouocat. argumento sunt, qui sub Aquilone frigent, & facie rubent. sed de eo problemate alibi. Rigores febriles uocat, quales in febribus fiũt, cùm materia uenis in habitum corporis excutitur. Putat Galenus hunc motum concußionis fieri ui animali, in expulsione subsidium ferente naturali. Sed nos diximus in libris De morbis & symptomatibus, potius fieri natura indignante, & quasi contrarium fugiente. Hoc & nunc exemplo eorum, quæ ex affusione aquæ frigidæ rigent, est uidere: non enim hîc corpus concutitur, ac contrahitur, quia natura expellere nititur, sed quia eius frigiditate percutitur. Huc etiam alludit, quòd calida ex abrotono, et similibus inunctio rigores soluit: nam hæc ad expulsionem potius conferret, quàm obeßet. Quòd autem rursus hic rigor à tremore differat, qui ob imbecillitatem uirtutis euenit, ex eo est conijcere, quòd uel depositum in solido membrum rigere non desinit. Sed de ijs omnibus alibi latius.

Frig⁹ primò calorē auget, deinde extinguit.
Quidam sub Aquilone frigent, & tamē facie rubent.
Galeni opinio de causis rigoris.
Nostra commentatio.
Frigida rigorem facit.
Duplex attestatio.
Calida rigorem soluunt.
Rigoris & tremoris differentia.

APHORISMVS XVIII.

FRigidum, inimicum oßibus, dētibus, neruis, cerebro, spinali medullæ, calidum uerò utile.

SVNT qui frigidum simpliciter accipiunt: & quia frigidum in genere partibus frigidis amicum, de immodico Hippocratem intelligunt: calidum uerò de modico. Videtur autem & Galenus eò spectasse. Quisquis autē sic intellexerit, ut mihi apparet, dupliciter à mente Hippocratis exorbitat. Primùm obliquam ipsius sententiam facit. nam tortuosum est, in frigido immodicum, in calido uerò modicum intelligere: deinde omitto, quòd econtrario poßis dicere, frigidum modicum amicum, sed calidum immodicum inimicum. Deinde difficile ostendere poterunt, quòd uel modicum calidum illis erit idoneum: non enim calidum frigidas partes conseruat, sed immoderatas duntaxat castigat. Neutro modo uerisimiliter loquutus est Hippocrates: proinde ego iterum intelligam ipsum de aqua frigida, & calida: ac frigida quidem, quæ duobus modis omnibus his partibus inimica, tum quia ordine frigiditas horũ temperaturam exuperat,

Im̃pba quorundam commentatio.
Inæqualitas non ferenda.
Calidum frigidas non cōseruat.
Nostra expositio.
Aqua frigida duobus nominibus ijs partibus inimica.

tum quia actu repugnat: nam dentes tametsi natura frigidi, actu tantùm calidi. Itaque frigida utroque modo nocet. Sed neque tepidum aut modicè calidum frigidis partibus conseruandis conducere apparet: est enim natura dißimile. Omitto, quòd latens potentia frigida sub tepore ipsis sit inimica, quo uel seipsam tandem reddit frigidam. Hugo Senensis propter hæc, & id genus alia, argumenta similia effectiuè audit. Laudo, quòd dignitatem uiolare reformidet: uerùm neque uerbis ipsis ob eam rem uim facere debebat, quoniam conseruatio non fit solùm per similia potentia, uerùm etiam actu. Hoc modo aqua tepida conseruat partes in corpore frigidas: nam licet dentes natura frigidi, phantasia tamen calidi, utrunque conseruatione indiget. Iam hoc per se, non autem per accidens oportet intelligere: nam per accidēs sæpe nihil aliud est, quod partes frigidas magis tuetur, quàm aqua frigida: & antiquum axioma est, quòd optimum sit uesperi uino, mane autem aqua os diluere atque fouere. De integris quoq; particulis hæc asserenda sunt, nam admonente Galeno neruis phlegmone affectis calida est aduersißima.

Obiectio.

Hugonis subterfugium.

Conseruatio requirit similia actu.

Per accidens frigida conseruat frigida.

Vetus consilium.

APHORISMVS XIX.

QVæcunq; refrigerata sunt, excalefacere oportet, exceptis ijs, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

QVVM dicitur, quòd morbo facto adhibendū sit contrariū, aut oppositū, intelligendū est opportuno tēpore: nam aliquando curatio principalis morbi differenda est in ipsum secundariū morbū, aut etiam accidens primū animaduertendum est. Sic particula, ex qua fluxus imminet, forte refrigerata, non statim incalfaciēda est, sed postquā fluxus sanguinis securi fuerimus. Neque hoc impedimētū in isto tantū loco occurrit, sed & in febre, & omni alio morbo, prius oportet excindere causam, quàm tollere morbū. Ita & in hoc casu calida auferenda, & frigida potius affundēda, nō quidē in eo loco, unde sanguis effluit, sed proximo: periculū enim est, ne calida sanguinem moueat, & rursum, ne frigida partem læsam mordeat. Nam antè dictum est, quòd calidum sanguinem fundit, et quòd

Curationem morbi principalis sæpe aliud accidens intercipit.

Vbique prius oportet excīdere causam, quàm effectum.

Vlceribus & à calida, & frigida noxa imminet.

frigi

frigidum ulcera perstringat. Scio quædam esse calida, quæ sanguinem sistunt, & quæ, quod solutum est, adstringunt: uerùm de aqua calida loquitur.

APHORISMVS XX.

VLceribus frigidum quidē mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilē facit, liuorē inducit, rigores febriles, conuulsiones, tetanos.

MORDENT, quæ substantiam conuellunt. Commune id est tam calido, quàm frigido, ac calido magis, quòd eius substātia tenuior, frigidi uerò craßior. Quocirca non omnem carnem, sed meliorem, utpote interiorem, mordere potest, & præ alijs partibus, oculos, & nares, aliā carnem indensat, quia refrigerat, obdurat, nō quidem per se (quia id duntaxat siccis accidit) sed quia humores spiritum & sanguinem ad interiora pellit, qui exteriores partes emollire solebant. Argumento manus in hyeme & æstate. Non solùm autē suppurationi, sed & concoctioni inflammationum per se aduersatur: nam per accidens utriq; conferre potest, magis tamen ei, quæ resoluitur, quàm quæ suppuratur: quoniam hic affectus est frigidior. Reliqua parum pro decore doctrinæ aphoristicæ adiecta: nā paulo antè dicta, nisi forte priorem sermonem ad integras partes comparet, hunc uerò ad ulceratas, hæc sunt frigidi incommoda. Dubitant Neoterici, an usquam per se conferet. Et certum est, quòd omnium quæ obeūtur in corpore nostro, calor naturalis sit artifex: non tamen frustra cerebrum est frigidum, os, neruus. Iam per accidens sæpe plurima nobis confert: argumento regiones, anni tempora, dierum portiones.

Calidū urit integra, frigidum uerò dūtaxat exulcerata aut tenera.

Frigida per accidens indurat.

Manus durę.

Frigida magis resistit suppurationi quàm concoctioni.

An frigidum per se conferat.

APHORISMVS XXI.

EST autem, ubi in distentione sine ulceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat. Calor autem hæc soluit.

TAM ex hoc Aphorismo, quàm prælato, & omnibus alijs, constat.

Galeni collectio.

stat, quòd nequaquam de quouis frigido loquatur, sed aqua frigida, quæ affusa, subinde calorem auget. atq; id iuxta Galenum hoc modo fit, quia calor ad interiora pulsus, ibidem imperfectos succos cōcoquit, nec antea huc reuertitur, quàm illis ipsis subsidijs confirmetur. Quàm uera hæc sit ratiocinatio, in libris De temperamentis ostendimus: sed & in Paradoxis contra Aristotelem atq; alios disputauimus, quòd ambitus calidi non potest firmare frigidum, sed econtrario solius frigidi, calidum. Nunc nobis dixisse satis est, quòd uel extemporanea aquæ frigidæ affusio, subinde calorem auctum ad cutem reuocat. Atq; id quidem in sanis facile est intellectu, in quibus sanguis abundat, quia fluxus fluxum prouocat: sed difficilius est id comprehendere in ægris, atq; adeò frigidis, in quibus calor naturalis, spiritus, & sanguis modicus est, & præsertim ubi affectus in internis uisceribus consistit: nam hic, utpote cachecticis, magis expedit calorem in interioribus colligi, quàm ad exteriora fundi. Proinde & ego hic credam affectum magis corrigi caloris unione, quàm repercussione: hæc enim duntaxat locum habet, ubi affectus externus est, & corpus adhucdum in intimis uisceribus pulchre calet. Sic aliquando curatur distentio, aut neruorum rigor, aut etiamdum conuulsio: quæ Galeno in hoc loco ab inflammationibus fieri uidentur: mihi tamen uerisimilius est, quòd de ijs nunc loquitur Hippocrates, quæ multam frigoris uim sequuntur: nam tales conuulsiones atq; distentiones, reuocato ab interno ad externa calore, promptè curantur. Fiunt autem hoc modo potius distentiones, quàm conuulsiones. Hac forte de causa solius distentionis meminit.

Contra Aristotelem.

Aqua frigida affusa subito calorem prouocat.

Difficultas in ægris.

Nostra opinio.

Suspecta Galeni commētatio.

Cur Hippocrates fortè solius distentionis meminerit.

APHORISMVS XXII.

CAlidum suppuratoriū non in omni ulcere, magnum ad securitatem est indicium, cutem mollit, extenuat: dolorem sedat: rigores, conuulsiones, & tetanos mitigat: capitis soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipue, eorumq; maxime, qui in capite ulcera habēt, & quæcunq; à frigore moriuntur, uel ulcerantur, &

her

herpetibus exedentibus, ſedi, pudendis, utero, ueſicæ: his calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum & perimens.

MIRVM, cur non ſcripſit calidum in pleriſque ulceribus ſuppuratoriũ: duriuſculum proculdubio principium. Atq; hæc forte cauſa fuit, cur Theodorus negationem abſtulerit. Sed melius eſt ſpinoſam orationẽ ſeruare, quàm genuinam mutare. Naſcitur aliud in ipſa re ſtatim magis dubium, ubi in ulceribus ſuppurationem laudat: ulcera enim abſtergimus, exiccamus, conglutinamus: ſed ſolas inflammationes ſuppuramus. Videtur mihi hæc difficultas naſci ex breuitate aphoriſtica, quum uno uerbo uoluit calidam bis laudare. Primùm ad ſuppurationes inflammationum, quæ frequenter cum ulceribus committuntur. Secundò & in quibuſdam ulceribus ſeorſum. Forte alludere uoluit ad alium paulo antè dictum Aphoriſmum, ubi frigidum per accidens in ulceribus damnauit, tametſi ſua facultate adſtrictoria cum ipſis bene conueniret, quaſi talis nunc eſſet ſermo, Calidũ, hoc eſt aqua calida, aut potius tepida, eſt egregium auxilium ad ſuppurandas inflammationes, etiam interdum ulceratas: nõ enim ubique ulceribus nocet, ſicuti frigidũ. Nunc ſingulas partes eius Aphoriſmi ſeorſum exploremus: ferè enim quælibet aliquam difficultatem continet. Primùm, calidum non eſt quouis modo ſuppuratorium, ſed duntaxat aliquando affuſum: nam longo tempore adhibitum reſoluit, tandem etiam refrigerat. Itaq; in principio duntaxat tale eſt, quandiu eſt calidum & humidum, citra reſolutionem aut refrigerationem: nam quæ ſuppurant, duplici facultate prædita ſint oportet: primùm, ut calida ſint & humida: ſecundò, emplaſtica certè, nullo modo diſiectiua: ac talis eſt aqua primo ſuæ affuſionis tempore. Magis eſt ſuſpectum, quòd eam in ulceribus recipiat: nam alibi idem non, niſi uino, uulnera lauari ſuſtinuit. Ecce iterum breuitas obſcuritatem parit: non enim credo ſignificare uoluit, quòd calidum ulceribus prodeſſet: ſed id tantùm, quod in quibuſdam ulceribus ratione alterius commodi ferri poſſet. Sunt autem ea, quæ incalfieri poſtulant, atq; hæc genere duplicia. Primùm talia, quæ in partibus frigidis conſiſtunt, oſ-

Durior dictio.

Temeraria mutatio.

Calida ambobus confert, inflammationibus & ulceribus.

Prior difficultas.

Aqua calida ad ſuppurationem tãtùm affundi debet.

Vlcera ſolo uino lauari ſuſtinent.

Aqua calida quarundam partium intẽperiem corrigit.

ſibus

sibus dico, membranis, sede, pudendo, utero, uesica, capite. Talia rursum sunt, quæ frigidum sequũtur, quales perniones calcaneorum, à frigido exulcerationes. Obscurius est, quid in herpete ulcerato conferat, & quod ego sciam, à nemine hîc annotatum: nam contrà hic refrigerari desiderat. Videte ergo, an non mirabilis Hippocrates, qui partes, quæ refrigeratione indigent, nec frigidam ferunt, nunc econtrario clam per calidam refrigerari docet, & quasi uni aquæ diuersa imperet, non quòd quidquã conferet aquæ calidæ dicere, I nunc, & incalfac, aut rursum hîc frigefac. Sed diuersis modis oportet eã administrare, ubi suppurare ac incalfacere uelis, debes illam quàmprimũ auferre: ubi refrigerare, diutius retinere. hæc sunt ulcera, in quibus aqua calida prodest, in omnibus alijs obest. Nimis breuiter mihi ea perstrinxisse uidetur in commento Galenus, qui in his duntaxat calidũ damnat, quæ suppurationem subterfugiunt: nam sic neque in herpetibus conueniet, neq; alijs quibusdam, quæ hic dicũtur. Reliqua, quæ in principio asscribebantur, uix ullam explicationem desiderãt: nam ex ijs quæ in descriptione frigidi dicebantur, facile elucescent. Vnum adijcere possumus, quòd neq; calidum ob eam solam causam cutẽ mollit, quia humidũ est: uerũ etiam, quia spiritum & sanguinẽ aduocat. Quod de capitis grauitate dixit, præsertim ad balneũ aquæ dulcis pertinet, nihil etenim est, quòd citra multitudinẽ uniuersi corporis elegantius ascendentes ad caput fumos reuocat, atq; eius dolorem mitigat.

Vlcera ex frigore. Secũda difficultas. Calida partes incalfactas clam refrigerat. Mirabilis Hippocrates. Aqua diuersa facit diuersa diuerso modo adhibita. Galenus hic nimis breuis. Calidum duobus modis emollit. Balneũ egregiè medicatur quosdam capitis dolores.

APHORISMVS XXIII.

IN his frigido est utendum, unde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa admoto, sed circa ea unde influit. Et ubicunq; inflammationes, aut uelut incendia quædam ad rubrum & floridum, sanguinis recẽti tendũt: ijs ipsis admoto. nam ueteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam nõ ulceratum iuuat, nam exulceratum lædit.

Ridicula Hugonis exemptio.

FRVSTRA Hugo Senensis albumen oui affert ipsi uulneri obligatum: nam Hippocrates de aqua frigida loquitur, quã pars ulcerata de-

dignatur. Verùm paulo antè uulnus ipsa utiliter affunditur, ac triplex cōpedium ad huiusmodi affectus habet: ratione frigiditatis humores influētes repellit: ratione siccitatis, ne accurrētes recipiat, partem firmat, atque adstringit: forte etiam affluxum prohibet, quia humores cogit & densat. hæc commoda frigida affert in fluxu sanguinis, proximis affusa partibus. Quòd si pars citra ulcerationem inflammata fuerit, secundum affert auxilium: quia calidum affectum egregiè attemperat, & refrigerat. Meminisse tamen oportet, quòd ubique prius oportet eruere causam, quàm effectum, ac proinde nequaquam ubiq; & omni tempore partibus laborantibus phlegmone, hoc est ex sanguine inflammatis, aquam frigidam super fundere conuenit, duntaxat in principio, ubi fluxus urget: nam constantē inflamationem, coit, ac condensat, quam calido oportet concoquere, & re soluere: herpes integer, toto tempore eam iucunde ferre apparet, atque etiā ante concoctionē: quia caliditas magis prouocat, quàm copia grauat. Proinde melius est, materiam nōnihil cogi, quàm plurimo calore particulam uiolari. In erysipelate distinctione opus est: nam erysipelas quòd phlegmones est particeps, duntaxat eam postulat in principio, dum materia fluit, ac tandem dum concocta est. Verùm autem erysipelas toto tempore refrigerari postulat, nisi ulceratum fuerit, atque huic duobus nominibus obest. Priori, quia partem ulceratam uellicat: posteriori, quia crassam choleram, ex qua constat, magis incrassat. Sed de his alibi.

Tria cōmoda affert aqua frigida ante ulcera.

Quartum cō modum in inflammationibus.

Inflammationes duntaxat in principio ferunt frigidam.

Herpes ferè ubique tolerat.

Erysipelas pro sua uarietate diuerso modo frigidā postulat.

APHORISMVS XXIIII.

FRigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouent, sanguinis profluuium, & destillationes.

PVTANT Neoterici physici, quòd in niue & glacie maior sit, quàm in aqua, refrigerandi facultas: non quòd frigiditas in ipsis simpliciter sit maior, sed quia substantia magis compressa. Vulgo enim dicitur, quòd qualitas eò est potentior, quò est astrictior. Ego autem non uerebor dicere, quòd glacies, nix, aqua, sint simpliciter frigidiores, scio quòd aqua ut simplex, ita inter elementa frigidißima sit, sed nihil prohibet ipsa à ma

Vulgaris physicorum opinio.

Nostra opinio.

Lenior dubitatio.

iori astrorum frigiditate cogi & infrigidari. Verùm hæc ad physicos spectant. nostrum est inquirere, ecquid pectori magis quàm uentri ea damnet, quum uenter ipso toto pectore nihilo sit calidior. Forte qui malit nodum scindere, quàm explicare, alterum in altero audiet. Mihi uerò secius apparet, quòd uentriculo hæc aliquando, pectori uerò nunquam cõferunt: quippe utiliter aliquando poculum nostrum niue ac glacie refrigeramus: pectus uerò nunquam. Amplius per accidens, aliquando stomachum, atque uentriculum corroborant, pectus uiolant, nam rigidum faciunt, quod dum fortius admotum prouocatur, facile in aliqua eius parte laceratur, atq; id rarum. Frequens est, quòd caput ad horum modum refrigeratũ, destillationes moueat, sed & citra destillationem frigidum plerunque pectus lacessit, & grauissimis tusses mouet, quæ uel per se frequenter pectus uiolant. nondum enim diximus, quòd simpliciter exteriores pectoris partes, uentriculo sint frigidiores.

Potus niue refrigeratus.

Frigidum destillationes mouet, & pectus lacerat.

APHORISMVS XXV.

TVmores articulorum, atq; dolores absque ulcere, podagras & conuulsiones, horum plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat, soluitque dolorem: nam modicus torpor dolorem soluit.

Multis modis aqua frigida inflãmationes iuuat.

CERTVM est, quòd Hippocrates per œdemata nunc inflammationes intelligat, atque has multis modis recreat. primò materiam influentem repellendo, secundò partem incalfactam refrigerando, tertiò quodammodo stupefaciendo, ac dolorem leniendo. forte calorem naturalem reuocando, nonnihil & ipsam materiam concoquit, ac resoluit: quis enim scit, an ob eam causam Hippocrates uerbo, attenuat, *usus fuerit? Non tamen omnino curat, sed magis mitigat. Et pulchre Hippocrates dixit, quòd leuat. Attulit autem in fine podagram, uel ut exemplo illius reliqui dolores articulorum essent manifesti, uel quia non omnes articulorum dolores repercussionem tolerant. Ischia enim recusat.*

Dolores coxendicum recusant repercussiua.

APHORISMVS XXVI.

AQua quæ cito calet, & cito refrigeratur, leuissima est.

SI quidem leuißimam pondere æstimat, ignaua est admonitio: quoniam dicente Galeno, promptius id est perpensione quadam, quàm tali indagine inquirere. Denique, ut Plinius inquit, aquæ saltem eiusdem generis, minimo inter se ponderis distant discrimine, adeò ut uix sensus differentiam accipiat, sed neque fidelis ubique est distinctio: nam aliquando fluuialem fluuiali, licet peiorem, tamen leuiorem inuenies. Certum ergo est, quòd leuißimam hîc appellat eam, quæ prompte per corpus digeritur: ac talis quidem est partibus suis tenuißima, & aëri ex quo profecta est similima. Verùm ne id quidem sensu potest discerni, sed ex ipsius alteratione disci. Prius enim dictum est, quòd ea, quæ substantia tenuia sunt, ad utrunque extremorum promptè alterantur, promptè incalsiunt, atque rursum frigesiunt. Rectè ergo Hippocrates eam optimam habuit, quæ citò à calido in frigidum, & econtra à frigido in calidum transit. atque hoc quidem signum sufficit. Poßumus tamen nunc alia illi apponere: nam eadem dulcis, hoc est insipida, existit, leuis, ac talis, in qua legumina facile macerentur, ac coquantur. Nec refragabor, si quidem huc demum signum à leuitate uelitis adijcere: quamuis enim per se est infidele, tamen alijs cõiunctum, fidem accumulat. Opportunum ergo deinceps est inquirere, quænam inter tam multas aquæ species talis sit. Et in Paradoxis nostris id prolixius docuimus. Sola est inter pluuiam & aquam fontanam cõtentio, de qua melius aliquem primatem ex uulgaribus, quàm medicos sentire dicas: nemo enim ex ijs aquam pluuiã uelit bibere: soli medici uariãt. Sunt autem illorum opiniones & rationes admodum diuersæ. Quidam pluuiam optimam putant, quia est leuißima: id autem eo adstruunt argumento, quia cœlestis est, atque in cœlũ primum sublata. Plinius hoc argumentum ridet, quòd & lapides aliquando huc rapti sint. Neutra opinio mihi placet. nimis insolens Plinij libertas, dißimulantis quid per se, quid per accidens. Certum enim est, quòd citius ac frequentius eleuantur

Discrimẽ ex pondere contemnendum.

Leuißimam aquam appellat, quæ per corpus præceps abit.

Tenuia in utrunque extremorum facile conuertuntur.

Optima aqua leuis, dulcis, & ad coctionem omnium rerum pulcherrima.

Paradoxa nostra.

An aqua pluuia sit optima.

Plinius medicorum rationem deridet.

Neutra opinio placet.

Dissimulatio pluuij.
Promptitudinē ad putredinem quidā commendāt, quidam uituperant.
Vtraq; rursū opinio falsa.
Aqua pluuia per se uiuax.
Causa erroris.
Medicamenta pectoralia minimè amant aquam pluuialem.
Fontana optima.
Multæ conditiones aquæ bonæ.

leuiora, quàm grauiora: non tamen ob eam causam reliqua pars obtinet, quòd aqua pluuia sit optima, aut etiam simpliciter leuissima, sed tantùm respectu aquæ marinæ, ex qua potissimum assumitur. Alij rursum eam damnant, utpote ad putredinem maxime opportunam. Paulus Aegineta, ac quidam alij, ob hanc causam eam maxime commendant, tanquam natura tenuissimam. Rursum utraque opinio mihi erronea apparet: in eo enim errant, quòd putrescibilem putant, est enim omnibus alijs uiuacior, salsum enim quid, atque astringens ex parente obtinet, quod uel alia à putredine præseruat. Decepit omnes aquæ pluuialis, quæ per canales decurrit, comparatio: etenim hæc ut limosa est, ita minimè diuturna, uiuax autem ea, quæ statim in uitro à cœlo excipitur. Magnus ergo medicorum error, qui ex ea, tanquam tenuissima, medicamenta pectoralia instituunt: nam duntaxat ad medicamētorum perpetuitatem confert. Hæc de aqua pluuia & fontana. Est tamen uerisimile, quòd Hippocrates in hoc loco magis uoluit fontanas inuicem, quàm ab alijs his signis discernere, quibus quædā alia accedunt externa. Melior, inquit, est, quæ potius ex terra scaturit, quàm ex lapide, & Orientem potius, quàm Occidentem spectat. Auicenna meliorem etiam habet, quæ Septentrionem spectat, quàm Occidentem: & iterum in longioribus tractibus, quàm ipsis principijs. Cōmendat præterea eam, quæ facile uinum alterat: hoc tamen signum quàm sit fidele, ipse uiderit, duntaxat frigidiorem declarat.

APHORISMVS XXVII.

QVi noctu bibere appetunt, ijs admodum sitientibus, si superdormierint, bonum.

Aquæ potus iucūdissim⁹.
Sitientes à cœna.

NON est dubium, quin de potu aquæ loquitur, & per affinitatem rerum iste Aphorismus scriptus est, quo quasi coronide omnes aquæ commoditates & incommoditates finiret. Est enim aqua potus suo tēpore iucūdissimus: quoniā, ut alibi diximus, sitis potius excessum qualitatis sequitur, quàm detrimētū quantitatis. Hoc ex ijs patet, qui mediocriter cœnati, cœnam absque ullo desiderio relinquunt: paulo pòst, ubi cubitum eūt, rursum sitiunt, plerique media nocte, quidam etiam summo mane adhuc

siti

ſitiunt. Eſt autem certum, quòd omnibus ijs ſitis oritur ex quadam cibi cruditate: nam ut ligna uiridia, aut alia, quæ ægre accẽduntur, multam edunt fuliginem: ita & cibus, dum parum coquitur, multum emittunt uaporum, qui ſtomachum ſiti affligunt, donec mitior concoctio cœperit. Argumento ebrij, & quidam alij, in quibus per ſe tandem ſitis deſinit. Verùm qui ob alias cauſas oritur, ſæpe temporis ſpatio magis augetur. Recte ergo nunc illis conſuluit Hippocrates, ut à potu dormituri abſtineant: nam potus ad tempus ſitim diluit, ſed concoctionem impedit. Proinde coniectari neſcio, qua de cauſa Galenus in commento diſtinctionẽ abhibet, & duntaxat de ijs qui parum ſitiunt, ſententiam audit. nam Hippocrates omnibus audientibus de his, qui multum ſitiunt, Aphoriſmum ſcripſit. Forte ergo putauit, quòd ex cruditate alimenti aſſumpti, nemo admodum ſitire poteſt. At ego contrà autumo, quòd poſt mediocrem cœnam, nemo ex defectu multum ſitiat. Fateor tamen, quòd tam ex latente caliditate uini, quàm ex multa cruditate, plurimum ſitientibus aliquando potum dare expedit: nam melius eſt concoctionem utrinque impediri, quàm multa ſiti uentriculum accendi, præſertim ex meraciore uino: quoniam ut recte affert in commento, talem ſitim decet aqua reſtingere.

Sitis ex cruditate abſtinentia corrigitur.

Ebrij ſæpe media nocte ſitiunt.

Galenus ab Hippocrate exorbitat.

Contrariæ opiniones.

Omnis immodica ſitis potum poſtulat.

APHORISMVS XXVIII.

SVffitus aromatum, muliebria ducit: ſæpius uerò & ad alia utilis eſſet, niſi capitis faceret grauitatem.

IN mulieribus ac puellis, ſtatim in pubertate multis modis nutricatio à concoctione uincitur. Itaque ſingulis menſibus ſuperfluus ſanguis colligitur, qui (quòd ſingulis menſibus expellitur) menſtruus appellatur: atque in puberibus primum: ſæpe cum magna corporis difficultate retinetur, ac grauiſsimos morbos facit, in utero quidem ſuffocationem, nunc in latus, nunc in ſuperna, ipſius peruerſionem: ſæpe inducit frigidam corporis cachexiam, nam frigidus eſt, atque eius copia reliquus calor facile ſtrangulatur. Hinc difficultates anhelitus, tuſſes, oculorum, capitis dolores:

Retenta menſtrua multa afferunt incõmoda.

Frigidi morbi ſuppreſſos mẽſes ſequũtur.

Suppressorũ menstruorũ uariæ causæ.

res: nec ista tantùm contingunt in ipsis puberibus ac uirginibus, sæpe etiam retinentur non sine magno corporis detrimento in mulieribus. Est autem suppressionis eius uaria causa. In puberibus primis, naturalis quædam angustia, uel ob eam causam, quòd potius per collum, quàm ipsum uterum ijs abire solent. In ijs ipsis & mulieribus sæpe in causa est aliorũ humorum, aliquando ipsius sanguinis menstrui crassitudo, tenacitas. Ad hæc omnia egregie ualet suffitus eorum, quæ hîc dicuntur, aromatum. sufficienter enim hic fumus aperit, laxat, incidit, extenuat, liberat, nec

Rara medicamentorũ forma, quæ utero conuenit.

Pectori excogitata eligmata.

Suffitus utero.

Suffit⁹ caput offendunt.

posset promptior medicandi modus excogitari: nam uterini clysteres morosi sunt, ac tales, quas ægrotæ ferè respuũt: pocula uirtutem sæpe amittunt, priusquam eò ueniunt. Proinde ut medendis malis in pectore excogitata sunt eligmata, ita in horũ locorũ affectibus ingeniosa antiquitas suffitus inuenit. Conferunt ijdem suffitus & malis in ipsis auribus, naribus, capite, pectore, sed rarius ipsis utimur, ueriti ne caput offendant, nam sua caliditate facile caput feriunt, atq; implent: etenim natura omnia odora auarius ad se solet attrahere. Minus est periculi in suffitibus uteri: nam mulierem cingere licet, & angustum uas illi sic subijcere, ut nullus fumus ad caput possit peruenire. In omnibus ergo uteri affectibus suffi-

Vbiq; corp⁹ procurandũ ante partem.

Communes interpretum differentiæ ociosis cómẽtatoribus relinquuntur.

tus utilis, nisi inflammatione laboret, aut consensu uniuersi corporis: nam ubique decet prius procurare uniuersum corpus, quàm partem, atque curare primum affectum ante secundum. Hoc in principio commenti admonuit Galenus, sed perplexè, & malè reddiderunt interpretes. Verùm ex ijs quæ diximus, facile erit castigare: nam huiusmodi res ociosis commentatoribus relinquimus, quibus uolupe est istis transcriptionibus paginas replere: nobis satis est, ipsam rem difficiliorem breuibus indicasse.

APHORISMVS XXIX.

In primis & postremis mensibus rarissime licet, in medijs aliquãdo oportet.

GRauidas purgare, turgente materia, à quarto mense usque ad septimum, minus uerò has. Recentiores autem, & seniores fœtus cauere oportet.

NON uidetur simpliciter prohibere in primis aut postremis mensibus, ne quis turgentem materiam purget, sed detractare tantùm. Auda-

cior

cior est in medijs mensibus, imo omnino præcipere uidetur, ut anticipemus periculum, nisi forte iterum intelligas illum reformidãtem per sequẽtem particulam, in qua dicit, Minus uero has. Fortè etiam hoc uerbo exclusit eas, quibus septimo mense turgeret: nam septimus mensis unus ex tribus postremis est.

APHORISMVS XXX.

MVlierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.

SI QVIDEM lethale simpliciter accipiatur, frustra prius admonuit, ut turgentem materiam purgaremus: quoniam nusquam turget, nisi in acutis. lethale ergo communiter audire oportet, pro eo, quod plerunq; mortem adfert. Talis est proculdubio morbus acutus in prægnantibus, quippe magna præsidia requirit, inediam dico, phlebotomiam, aut purgationem, quorum nihil admodum prægnans tolerat, ita ut uulgo dicitur, neque morbum, neque morbi remedium bene fert. Miror tamen, quòd inter reliquos acutos morbos Galenus morbum comitialem nũc attulerit: nam multas ex eo conualuisse scimus, ac ferè duntaxat ratione concußionis periculum affert.

Lethale, hoc est, periculosum.

Morbus comitialis simpliciter acutus non est.

APHORISMVS XXXI.

MVlier utero gerens, sanguine misso ex uena, abortit, & præcipue si fœtus sit grauidior.

IN postremis mensibus, certum aborsum minatur: sed neque in medijs periculo uacat: nam qui uel in primis mensibus abundat, utiliter quasi penus reponitur, ut fœtus in medijs atque postremis mensibus eo fruatur. Itaque uel in primis mensibus liberaliter sanguis missus (ut in morbis acutis conuenit) uel tandem causa aborsus erit. Dico liberaliter, nam modicum sanguinem quædam innoxie aliquando sibi detraxerunt.

In nullis mẽsibus sanguinis misio periculo uacat. nam qui in primis super est, postea desideratur.

APHORISMVS XXXII.

MVlieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio euenit.

SAE

SAEPE forte fortuna ob sanguinis multitudinem, ob casum, aut aliam fortunam, uomitus sanguinis erumpit, & ascendit: atque hic eruptio mensium confert. Credo quòd Hippocrates aliò spectauit, & isto exẽplo omnes morbos, qui ex retentione mensium fierẽt, illorum prouocatione curare docuerit. Ita enim elegantißimè uomitus sanguinis curatur, qui ex ignauia uteri ascendit.

Duplex Aphorismi respectus.

APHORISMVS XXXIII.

MEnstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.

MELIVS est sanguinem menstruum, atque omnem aluum quacunque parte foras erumpere, quàm morbum intus alere. Et potest per uarias partes sanguis menstruus exorbitare, nusquam tamen frequentius & innocentius, quàm per nares: nam licet sanguis menstruus frigidus, tamen liberior & promptior illi cõmeatus ad superiora, quàm hæmorrhoides. Nam & ex alijs hominibus pauci sunt, qui non effundãt sanguinem per nares, pauci autẽ per hæmorrhoides. Omitto, quòd hæmorrhoides semel apertas multa subinde sequuntur uitia: nares uerò pauca. Est tamen uel per hæmorrhoides hæc regurgitatio multo tutior, quàm per os, aut per uentrem.

Meli' est sanguinem supfluũ quacũq; euacuari, q̃ intus morbũ alere.

Hęmorrhoides aliquid uitij sæpe relinquunt.

APHORISMVS XXXIIII.

MVlier in utero gerenti, si aluus plurimum profluat, periculum est ne abortiat.

PER longum alui profluuium, non tantùm abeunt mali humores ad nutritionem inutiles, sed etiam succus uentris mediocriter concoctus, qui ad nutritionem erat destinatus. Nihil ergo refert, siue per uentrem abeat ipse sanguis, aut succus, qui in sanguinem erat abiturus: etenim utrobique inopiæ est periculum. Omitto, quòd uel sola alui commotio aliquando uterum turbat atque laxat.

Alui ꝓfluuiũ duobus modis obest.

APHORISMVS XXXV.

MVlieri, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.

VTER

VTERINA latè & ad omnes uteri affectus patent: est tamen certum, quòd Hippocrates nunc pro secundis, aut pro strangulatione uteri accepit. Et uidetur mihi reprehensione carere, qui uterina nunc pro secundis acceperunt: quoniam hæc est una difficultas, quæ in parientibus contingit, de quibus posterior est particula, ut talis sit sermo, Qui secundarum periclitantur, aut aliter difficilè pariunt, ijs sternutamenta conferunt. Nec refert, quòd quidem ex sequentibus Aphorismis eandem rem rescribant: nam & in multis alijs accidit, ut propter affinitatem rerum idem bis dicatur. Sed nec ei qui Apophthegmata scribit, aut Aphorismos, semper occurrit aut uacat requirere, quid prius scripserit. Accedamus nunc Galenum, qui strangulationem uteri audire mauult. Idem est ac si dicas, suffocatio: neque est ulla alia morbi species, quæ ex se magis diuersa habet symptomata: nã licet ex utero malũ oriatur, non unum, sed diuersa per consensum uidentur affici uiscera, eaq; principalia, inter cætera cor & cerebrum, nunc plus, nunc minus afficiuntur. Inde est, quòd quædam solo animo deficiunt, quædam quasi syncopa correptæ deijciuntur, quædam quasi epilepticæ conuelluntur, aliæ etiam quasi apopleticæ sternuntur: de quibus omnibus in sexto De locis affectis diximus. Sunt autem plurima alia eius remedia: sed Hippocrates forte sternutationis meminit, quia sæpe ultro incidit: promptè enim fumus ex utero caput ferit, quo nulla alia causa frequentius sternutamentum facit: nec refert, quòd fumus potentia frigidus: nam saltem actu calidus. Iam non tantùm calida, sed et frigida sternutamentum mouent. Quòd autem hæc ad secundas exigendas conferant, per se est manifestum. Sed quomodo strangulatis cõducent, Galenus obscurius egit. tantùm hoc dixit, quòd naturam excitat, & ad quæ inciderunt expurganda adiuuent: nam simpliciter dicere licet, quòd aut semen, aut sanguinem menstruum retentum (ex quo affectus oritur) prouocent, atque expellant. Saltem fumum eius ad inferiora detrudunt. Nam & per se multæ conualuerunt à paroxismo, excocto fumo, absque ulla euacuatione. Quid ergo mirum est, quòd uel sternutationem, uel per uincula retractionem passæ, ad se redierunt? ne hæc quidem ullus ex commentatoribus attigit.

Nomen uterinum latè patet.

Vterina pro secundis.

In Aphorismis neq; ordo admodũ seruatur, neq; memoria.

Galenus strãgulationẽ audit.

Suffocatio uteri diuersissima habet symptomata.

Prompte fumus uteri caput ferit.

Sternutamentum nunc semen mouet, nunc fumum reuellit tantùm.

APHORISMVS XXXVI.

MVlieres menses decolores, nec per idem semper tempus uenientes, purgationem indicant esse necessariam.

Vrina affert cõiecturam, sanguis ipse manifestã humorũ speciẽ.

VRINA quandam humorum coniecturam præbet, sanguis uerò ipse ex uena effusus euidentem superdominantis humoris speciem exhibet. Ita & menstrua, si quidem nigriora fuerint, melancholiam, flauiora choleram, albiora frequenter pituitam, mediocria per omnia mediocrem ruborem retinent, atque certum circuitum seruant, modò certum uictum (saltem magna ex parte) teneant: quippe magna momenta natura uincere nequit, parua potest. Vidimus eas, quæ obfirmata sanitate uiginti quinque aut triginta annis nullam unquam exorbitationem passæ sunt, sed stato semper die suos menses prodiderunt. Dicunt quidam amplius, quòd adolescentulis ferè in principio, prouectis uerò in fine lunæ accidant: nobis nunquam obseruare uacauit. Certè reliqua menstrua neque statum circuitum, neque ullum lunæ motum spectant, alba & pituitosa longo tempore latent. Itidem & melancholica, biliosa uerò anticipant, quod magis est, & alba quoque subinde festinant, modo serosa fuerint. Ac parum est, quòd hæc anticipent, illa uerò cunctentur, sed neque in suo genere ullum ordinem tuentur, hoc est, eodem semper modo uel cunctantur, uel anticipant, etiam si quàm maxime semper eodem modo uiuant. Et quia huius causam nemo reddidit, ne inquisiuit quidem, periculum est, ne & nos ignoremus. Videtur tamen mihi ea, quòd temperatura bona semper suo more constet, certè parum huc aut illuc immutatur. Intemperata uerò lubrica est, nunquam eodem statu permanet, nunc huc, nunc illuc magis inclinat: & quomodo ergo uitiosa menstrua aliquem certum circuitum obseruare possunt? Medium enim certis quibusdam terminis circunscribitur: extrema in utranque partem uarijs modis insolescunt, & luxuriantur. Ita bilis, prout est morosior, aut procacior, nunc plus, nunc minus festinat: & pituita quo est ignauior, eo magis cunctatur. Igitur non antè hæc menstrua ordinem seruabunt, quàm humores uitiosi fuerint expurgati

Naturalia ordinẽ seruant.

Pituitosa ferè cunctãtur, biliosa festinant.

Morbosa sæpe in omnẽ partem exorbitant.

Bona temperatura suo circunscribitur termino.

Intemperata nunquam ferè eundẽ modum seruant.

gati, & sanguis mediocritati restitutus. Et quòd pituita crassa ac melancholia concoctione, hoc est extenuatione egeat, priusquam posset alacriter educi, omnes fatētur. Sed et de cholera quoq; idem est (licet multi ignorent) iudicium, nec curo, quòd sanguine tenuior, atque sua fluxibilitate ante tempus præcociter sanguinem menstruum per uterum seducat: non enim eodem compendio, aut facilitate bilis per angustias hepatis à medicamento ducitur, quæ à natura, per manifesta uteri, aut hæmorrhoidum ora, expurgatur. Igitur & bilem primùm oportet attenuare, & deinceps expurgare. Idem est & de melancholia. Pituitæ aliquando sola concoctio sufficit, quòd concocta in bonum sanguinem euadit, saltem attenuata sanguinem menstruum dimittit, atq; cum eo decedit. Non loquor hîc de albis illis excrementis, quæ quasdam perpetuis annis fatigant, nam grauioribus hæc remedijs indigent, & quæ totum hepatis lapsum restituāt: sed lēta illa menstrua (inquit Galenus in commento) sæpe solo calamentho citauit. & nos quoq; Galenum sequuti, similibus sæpe idem obtinuimus. Verùm cautè hîc obseruare oportet, ne pro extenuantibus, uehementer prouocantibus utamur: nā subinde & hîc & alibi plus obsunt, quàm prosunt: uel quia id, quod serosius est, colliquant tantùm, uel quia multa prouocatione multitudinem angustijs uasorum magis impingunt.

Purgatio cō coctionē sequi debet.

Bilis cruda promptius abit per uterum quàm per uētrem.

Pituita aliqñ sola concoctione emendatur.

Prouocantia pro extenuātib⁹ sæpe duobus modis obsunt.

APHORISMVS XXXVII.

MVlieri utero gerenti, si mammę graciles repentè fiant, abortit.

NON attolluntur ubera in primis mensibus, ubi est maxima copia, sed in postremis, ubi incipit urgere inopia, non (ut aliquis putet) quòd natura fœtui extra uterum quasi penum procuret, sed (quod pauci intelligunt) quia in postremis mensibus tumore uteri, pars mensium ad uterum uenientium, sursum premitur. Nec hic tamen usq; ad partum totum manet (id enim sine eruptione uberum fieri nequiret) sed quàm potest tenuissimā atq; dulcissimā eius partē fœtus in utero ad se trahit. Sed neq; toto sanguine menstruo utitur, sed elegātiore eius parte. Sordidior materia inter secundas colligitur, & simul in partu excernitur. Neutrum alimen

Tumor uentris in causa est cur tandē ubera intumescant.

Pars lactis ab uberibus ad uterum trahitur.

Fœtus quàm diu ualet, nō nisi syncerio re sanguinis menstrui parte utitur.

tum nono mense sufficit, sed desiderio ipsius fœtus indignatus, exitum (inquit Galenus) quærit. Verùm priusquam longius abeamus, hîc errorem Leoniceni oportet animaduertere, qui in hoc loco reddidit, Postquam decem menses præterierint: *pro eo quod est, Quando decimus mensis accedit, instat, aut aduenit. non enim in decimo aut undecimo, sed nono plerunq; fœtus excluditur. Hoc ergo mense, fœtus auctus multis indiget, & partim menstruo, partim lacte fruitur, & citra periculum ubera aliquando paulatim exhauriuntur. Non tamen periculo uacat, si quidē alibi repente gracilescant: non enim hoc inopiam aliquam significat, sed (ut postea dicetur) affectum aliquem in utero, ratione cuius consensus, natura omnia deorsum depellit ad ipsum uterum: ferè autem hic conatus aborsum minatur. Sed neq; si paulatim attenuentur ubera, eo tempore absque discrimine est: nam non nisi propter grauem aliquam fortunam ante nonum mensem alimentum deesse solet, nec potest usq; in finem sufficere, quod nunc deest. Hunc tamen casum dissimulauit Hippocrates: forte in generali quodam alio Aphorismo continuit. Miror ergo, quòd Galenus ipse in commento huius Aphorismi causam ad inopiam reijcit: nā ad subitum casum aliquem pertinet.*

Incuria Leoniceni.

In fine ubera subsidunt citra periculum.

Vberū gracilitas ante nonum mensem aliquem affectū significat, & aborsum, siue paulatim siue affatim fiat.

Galeni negligentia.

APHORISMVS XXXVIII.

MVlieri utero gerenti, & geminos habenti, si altera mamma gracilis fiat, alterum abortit. & si quidem mamma dextera gracilis fiat, marem: si uerò sinistra, fœminam.

PRIOR huius Aphorismi particula, maxime priorem nostram cōmentationem confirmat: nam inopia utriq; fœtui communis esse solet. Verùm altera pars uteri ob aliquē affectum fortunata esse potest, ratione cuius alter fœtus turbatur, alter uerò quietus manet. Ita & altera māmillæ extenuata, altera solida manere potest: nam expulsiones plerunq; secundū directū: tamen magna ex parte fortuna, quæ uni alteri incumbit, per accidens utrunq; fœtum uexat, & utrunq; uber subito extenuat. Nā ubi uel unicus seorsum fœtus in utero compræhēditur, eo præcociter excluso, utrū

Prioris commenti confirmatio.

Vber utrunque ferè tandem collabitur.

que

que uber repente euacuatur.

APHORISMVS XXXIX.

SI mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt.

SINGVLAE partes glandulosæ, superfluum aliquid habent: uerùm nihil ex ijs est, quod utilitate caret: unumquodq; suum usum præbet, nec id à principio natura prouidit, sed particulæ conditioni acceptum fertur, quæ ita comparata à prima natura est, ut ratione laxitatis suæ plus solet recipere, quàm per intemperaturam frigidam ualet cõcoquere. Ubi ad singulas partes, quæ superfluum humorem naturaliter generant, & frigidas inuenies: ita euenit & ipsis articulis, in quibus muccosa illa humiditas quotidie generatur. Nescio tamen coniectari, quare Galenus nunc cum Aristotele medullam ossium superfluum illorum alimentum numerat: nam plerunq; ipso alibi dicente ad illorum nutritionem spectat. Non tamen lac in uberibus ita ad nutritionem ipsorum comparatur, alioqui & in uiris, nedum uirginibus, lac appareret: sed sanguis, qui nutriendis uberibus destinatur, in rorem uertitur. addo, quòd per diuersas uenas lac & nutrimentum uberibus dispensatur: nam lactis materia à menstruis uenis ascendit: nutrimentum uerò per proprias uenas decurrit. Ita ne id quidem admirandum, quòd sanguis hic in insolitam lactis substantiam euadat: nam natura pro diuersitate materiæ semper uariat, & aliter trãsmutat insolitum ac superfluum alimentum, aliter id quod est proprium. Illud est magis admirabile, cur non statim prægnantibus, sed in fine, menstrua necessaria, in lac uertantur: uirginibus autem, aut etiamdũ corruptis (sed citra molem uteri) admodum rarò. Vidimus enim uirgines multas, & uiolatas, quibus multis annis menses retinerentur, sed citra ullam lactis phantasiam. Econtrario uidimus, quòd quæ semel uterum gesserunt, semper aliquid lactis contineret, & exprimere possent, donec iterum concepissent: quæ rursum tertio à conceptionis mense iterum lac ostenderẽt. Pulchrè autem hæc omnia attestantur ijs, quæ prius diximus, quòd nõ antea menses ad ubera ascendunt, quàm tumore ac mole uentris eò premuntur:

Glandiũ utilitas.

Omnia fiunt naturaliter.

Articuli etiã suum habent superfluum.

Galeni lubricitas.

Lac nutrimẽti superfluũ.

Lacte ubera non nutriuntur.

Natura pro diuersitate materiæ phãtasiam effectus uariat.

Virginibus, licet menstrua diu retineantur, raro lac generatur.

Mẽses semel ad ubera expressi facilè reuertuntur, ac in lac uertuntur.

aliquando tamen eò per se ascendunt, & hac ratione uel in uirginibus nō minus, quàm in corruptis, sed nondum matribus, ubera distendunt, ac lac produnt. Volumus autem & hoc admonere, ne quis decipiatur, quòd nō statim menses ascendunt, ubi ubera inturgescunt: plerisq; id etiam bene sanis ob solam carnis multitudinem euenit, de quibus uulgo dici solet, quòd nunquam ijs ubera multo lacte turgent: fungosa enim, ac humida caro est, atq; id tantùm,

In uirginib⁹ lac.

Fungosa ubera.

APHORISMVS XL.

QVibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

NON potest sanguis, qui in lac conuertitur, furorem facere: quoniā in frigidius declinat. Sed neque is, qui inflammationem facit. nam hic suo loco circūscribitur. Solus ergo ille maniam significat, aut potius minatur, qui in uberibus integer manet. Fit autem hoc, uel quia insigniter calidus, uel quia multus: etenim calidus promptè caput ferit, multus uerò corruptionem quandam spatio temporis contrahit, atq; eius quoq; fumus tandem caput petit. Rarus (inquit Galenus) & nunquam ab eo deprahensus casus. Id contigit nobis uidere, quòd mulier quædam quotiescunque aliquo tempore puerum lactasset, propemodum desiperet. Alteram uidimus, quæ semper eo tempore dolorem capitis incurreret. Est autem uerisimile, quod hic motus & reliquos humores sursum traxerit.

Raró inflammatio uberum furorē facit, sed magis sanguinis multitudo circunquaq; fusa.

Lactis suctio & reliquos humores sæpe sursū uocat.

APHORISMVS XLI.

SI uelis noscere, an conceperit mulier: cùm dormitura est, ei aquam mulsam potandam da: & si aluí tormina patietur, concepit: si minus, non concepit.

NVSQVAM uulgus, ac plebecula medicorum magis laborat, quàm in certis imprægnationis signis. Multi frustra in urina notam quærunt. quod magis mirum, si rectè memini, & Auicenna quædam temere & inconsultè de illis scripsit. Alij ex eadem urina discrimen conceptus maris

Stulta & uana quorundā curiositas.

maris ac fœminæ diuidunt. multos ego noui huiuſmodi ſignis cõfiſos, qui uiros (ridiculum) prægnantes dixerunt. Nec mirum: nihil enim in urina mulieris cras pariture inuenies, quod urinæ uiri natura neget. Certum ſignum mulier animaduertere poßit in ipſo congreſſu: ſtatim enim ac concepit, ita matrix aſtringitur, coitque, ut ne ſpecillum quidem inſinuari poßit: alioquin enim rudimentum noſtræ generationis efflueret, aut certè periret. Auget fidem eodem menſe ſubita menſtruorum ſuppreßio: incertius tamen id eſt: nam & in prægnantibus aliquando, quemadmodum in uirginibus, modici per collum uteri erumpunt: tamen uel hoc ſæpe imprægnationis ſpem magis confirmat, quàm attenuat. Paulò pòſt faſtidium, atque citta, alienus quidam & inſolens appetitus, ſuppreßionem menſtruorum ſequitur: fumus enim iſtorum in prægnantibus facile ſtomachum petit, minus in uirginibus: quia in his menſtrua ferè per uenas errant. Vnde in his urina fere obſcurior. nam tandem (ſaltem frequenter) uitium ex conſuetudine ſanguinis mẽſtrui retenti, contrahit. Aliquando tamen uel plurima pars circa uterum deponitur. atq; hic rurſum urina integra manet, ac citta apparet: facilius enim fumus ex utero quàm uenis ſtomachum ferit, ac tantum, nec amplius, urinæ concedere licet. Primis diebus poſſes experiri, quod nunc Hippocrates affert: uerùm utrunque ſignum infidele eſt, niſi aliquibus definiatur diſcriminibus. Primò, non ſtatim quæ concepit tormina patietur, neq; ſi tormina patiatur, ſtatim rurſus ob id cõceperit. Poteſt eſſe aliud in cauſa: ita & hoc lubens dabo, quòd ſtatim à cõceptione uterus cõprimitur, atq; eius compreßionem aut obuolutionem quædã anguſtia aut difficultas circa inteſtina ac ſedem naſcetur. Sed poteſt multo calore mulier eſſe prædita, quæ ſtatim flatus in principio generationis ſuæ diſtinguet. Forte neq; ubiq; compreßio ſtatim eã anguſtiam faciet. Ergo duntaxat magna ex parte ita accipiendum, ac in ea præcipue, quæ mediocri copore nata eſt, & neq; flatuum ſit impatiens, neq; iiſdẽ aut per ſe, aut extranea ulla occaſione ſit obnoxia. Igitur neq; duro, neq; lubrico uentre eam eſſe decet: nam in lubrico uentre flatus nequeunt conſtare, & in duro minima occaſione ſolent aberrare. Ita & in uacuo uentre facile emoriuntur, & rurſum in pleno per exercitium excitantur. Recte

ergo

Vrina imprægnatiõis nullum ſignum continet.

Primum imprægnatiõis ſignum.

Secundum.

In uirginibus & prægnantibus menſes p collum uteri.

Tertium.

Quare uirgines ſuppreſſis menſtruis minus patiũtur cittam.

Quartum.

Signum utrũque infidele.

Hoc ſignum requirit mulierem mediocrem.

Vẽter debet eſſe mediocris.

ergo Hippocrates aquam mulsam cœnatæ, sed dormituræ, exhibet. Verùm neq; sic certum est: nam & ad molam, & uerā imprægnationem iterum ambiguum est, sed molam spatio temporis alijs signis licet distinguere.

Particularum in Aphorismo causæ.

APHORISMVS XLII.

MVlier grauida, si marem concepit, bene colorata est: si uerò fœminam, male colorata.

QVOD mulier fœcunda masculo sit coloratior se ipsa gerente fœminam, per se notum est. Asserit autem Hippocrates amplius, quòd quæ fert fœminam, seipsa sit decoloratior, & rursum quæ gerit masculum, seipsa rubicundior. Nec mirum: etenim mas plerunque fœmina, etiam matre, calidior. Plerunque, dico, quoniam inuenire est mulieres uiragines, & uiros effœminatos: nec sola materia masculum inuitat, sed astra generant. Potest etiam fieri, ut quæ gerat fœminam, eundem colorem, quem prius habuit, retineat: nam fœmina fœminam frigido parum excedit: labor tamen, quem mater sustinet gerendo, aliquid coloris detrahere potest. Iam non solùm fœtus ex semine calidiore matrem incalfacere potest, uerùm & alia multa, atque adeò calidior uictus ratio. Hæc ergo omnia oportet circuncidere eum qui uelit Aphorismum legitimè tueri, aut explicare. Galenus nititur distinguere ex alacriore motu: nam plerunq; masculus morosior, & fœmina quietior. Aristoteles etiam ex tempore motus discriminat, masculum quadragesimo, fœminam tardius, ac octuagesimo tantū moueri putat. Sed melius hoc poteris ex Hippocrate discere.

Mulier fœcūda masculo seipsa coloratior.

Color fallere potest.

Aphorismus amicè & cum quadam definitione accipiendus est.

Masculus morosior, fœmina quietior.

Mascul⁹ mouetur quadragesimo die.

APHORISMVS XLIII.

SI mulieri grauidæ in utero sit erysipelas, lethale.

NON solùm in principalibus uisceribus, sed & secundarijs plerisque erysipelas, ac inflammatio febrem acutam parit: tantus est ijs cum principalibus consensus. Tamen de inflammatione in utero Galenus dubitat, ego idem puto, non enim uterus ex minime principalibus particulis, sed maximam (licet frigidus sit) cum omnibus principalibus communionem & societatem obtinet.

Inflāmatiōes interiores febres acutas pariunt.

Inflammatio in utero plerunq; acuta.

APHORISMVS XLIIII.

QVæcunque præter naturam tenues existẽtes, utero gerunt, abortiunt prius, quàm crassescant.

TRES sunt eius sententiæ expositiones. Numesianus tum primùm aborsus periculum reformidat, quum crassescere incipiunt. & potest adijci ratio, quia mulier præter naturam, hoc est, ualde tenuis, non incrassesceret, nisi alimentum fœtui præripiat: nam affatim utrique sufficere nequit. Hoc quoq; obscurius Leonicenus reddidit, sed ex ijs, quæ diximus, ad amußim Græcorum facile est ipsum reponere. Peius alij acceperunt, quòd abortiant, nisi crassescant. Non dico autem, quòd hæ expositiones falsum contineant, sed Hippocratis mentem, aut uerborum significatum minime sequantur. Melior ergo saltem uerbis Hippocratis proximior tertia, quæ ualde ac præter naturam tenues putant abortire, priusquã possent crassescere: nam in principio fœtum, quandiu paruus fuerit, mater imbecillis continere potest, sed auctiorem infirma, atque adhuc dum tenuis, retinere atque absoluere nequit. Neque rursum firmari atque incarnescere mater poßit, nisi alimentum sibi soli attrahere anticipet, ita undiq; periculum inuertitur: non enim solius matris, sed & fœtus sanitas ad maturum partum requiritur. Hæc de tenuibus, præter naturam propriam, *cuperem etiam intelligere, de tenuibus aut gracilibus ualde secundùm naturam, atque à natiuitate: sed uerbum,* priusquam crassescant, *prohibet: nam frustra hoc de ijs dicitur, quæ perpetuo graciles, ac præter modum fuerint semper macilentæ: fieri enim non potest, ut hæ eo tempore, quo gerunt uterum, possunt fieri crassæ. Est tamen uel ijs aut simile, aut maius abortiendi periculum. Et uidimus eas, quæ tribus primis ac medijs mensibus conceptum ferrent: sed tres, quatuor ex ordine nouissimis mensibus abortirent, quædam etiam corruptos, aut certè ulceribus plenos excluserunt: nam ut qui tempore caritatis impuris seminibus utuntur, ita & fœtus, qui in utero impuriore menstrui parte neceßitate coacti aluntur, ferè ulceribus capiuntur. hæc sunt, quæ adijcere possumus.*

Expositionis Numesiani ratio.

Secunda expositio.

Tenues educando fœtui à principio sufficiunt, tamen succum bunt.

Et fœtus & matris sanitas requiritur ad legitimũ partum.

Sermo est de tenuibus pręter naturam propriam tãtùm.

Tenues ad modũ ex natura aut postremis mensib⁹ abortiũt, aut ualetudinarios aut ulceribus plenos pariunt.

Alimentum prauum ulcera parit.

Oribaſij delirium.

Oribaſium autem in his Aphoriſmis omiſimus, quia nihil aliud quàm delirat: ita in priore Aphoriſmo commentatur, quòd aqua mulſa bilem parit, et quòd bilis flatũ disijcit: hîc uerò craſſeſcere potius ad fœtũ, quàm ad matrem retulit. quid precor de eo dicam in quodam ſequenti Aphoriſmo, ubi patrisfamilias meminit, qui excauata foſſa agrum colit? quid quòd prius naturam cum duce comparauit, qui ingreſſurus urbem, commeatum præmittit? Ita ſi dijs placet, natura octauo & nono menſe in uberibus lac cogitat. Certum eſt quòd delirat, aut ſomniat.

APHORISMVS XLV.

QVæcunque mediocriter corpora habentes, abortiunt ſecundo aut tertio menſe, ſine occaſione manifeſta, ijs acetabula uteri plena muccoris ſunt, & non poſſunt propter pondus fœtum continere, ſed dirumpuntur.

Tenues abortiunt.
Craſſæ non concipiunt.
Mediocres aliquando periclitantur.
Mediocriter affectæ primis menſib' frequentius abortiunt.
Cauſæ externæ aborſus nullum menſem ſibi determinant: internæ certũ ferè tempus ſeruant.
Lenta humiditas circa uteri acetabula primis mẽſibus aborsũ mouet.

CVR & quo tempore tenues ualde abortiant, antè dictum eſt. De craßis nihil oportet dicere: quoniam poſtea de ijs dicetur, quòd non concipiunt. Sed neque illæ, quæ mediocri corpore conſtant, per ſe ſemper aborſus ſunt ſecuræ: ſed & ex ijs quædam certis quibuſdam menſibus, ac magis primis, quàm medijs aut poſtremis abortiũt. Non poteſt ergo talis aborſus ad externas cauſas referri, quoniam hæ nulli certo tempori obnoxiæ ſunt. Itaque quæ in primis ſecundo, tertio plerunque menſe abortiunt, nihilominus in ſe aborſus cauſam continent, quàm quæ magna ex parte aut medijs, aut magis poſtremis id incurrunt. Sed cauſa eſt diuerſa: non enim in ijs, quæ mediocri ſunt corpore, in primis menſibus aborſus cauſa poteſt eſſe alimenti inopia. ſed ſolerter ſuſpicatur Hippocrates, quòd ſit ipſius cauſa, circa acetabula uteri humiditatis copia. uocamus autem cotiledones, aut acetabula uenarum oſcula, quæ ad uterum ſanguinem menſtruum ferunt, atque fœtum ipſum utero connectunt. Ferè autem hæc ipſa in primis menſibus ex ſuperfluitate ſanguinis menſtrui muccum colligũt, quo laxata fœtum ſecũdo, tertio menſe impotenter deijciunt: tandem ta-

men

men hic muccus aucto fœtu exiccari incipit. Sed neque in primo mense periculum existit: nam fœtus ualde exilis est, & minimis uiribus sustineri potest. Videtis qua de causa mediocria corpora primis mensibus fœtum præcipitare solent. Eadem de causa & craßiusculæ eo tempore fœtum possent demittere: sed ob aliam causam ferè nunquam concipiunt.

Fœt⁹ primo mense facilè manet.

APHORISMVS XLVI.

QVæcunque præter naturam crassæ non concipiunt utero, ijs omentum os uteri comprimit: & prius quàm extenuentur, non concipiunt.

EXPERIENTIA casum didicit, sed causam ratione inuenit: non enim satis est semen in collum uteri inijci, sed oportet ipsum per os uteri, hoc est extremum colli in intimum uteri sinum, naturali quadam facultate attrahi. Id autem multis alijs modis impeditur, præsertim osculo uteri, incumbente mole ipsius omenti. Atque hæc quidem uera est compreßio: nam quæ complexo semine fit, potius quædam astrictio est, aut conclusio, nequaquam conceptioni contraria, sed ad formandum fœtum necessaria.

Semen à mare inijcitur & ab utero attrahitur.

APHORISMVS XLVII.

SI uterus in coxam uergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.

LINAMENTA (Græci μοτοίματα & ἔμμοτα dicunt) oblongiori forma ex linteis fiunt, aliquando rasis, aliquando concerptis, aliquando tortis: quædam fiũt ex ellychnijs, & ellychniota dicũtur: non sunt autem eiusdem facultatis, sed pro uarietate medicamentorum, quæ excipiant, uariant: omnia uulneribus induuntur, nec citra uulnus uterus suppuratur, etiam si in superna ascenderit. Mirum ergo, cur ijs, qui in latus declinãt, hoc potißimum medicamentum accommodauit. Nunquid idem exemplo eius & reliquas eius suppurationes continuit, an forte ob eam causam ita scripsit, quia in eo, qui ascendit, difficilè est linamentis uti? Profectò clysteres uterini magis conueniunt: sed neq; in hoc loco cõtemni possunt. Forte illa de causa Oribasius pro linamento temere thymiama scripserit.

Linamenta oblongiori forma oĩa.

Vbi uterus in lat⁹ declinat, linamẽta: alibi uterini clysteres conueniunt.

APHORISMVS XLVIII.

FOetus, mares quidem in dextris, fœminæ uero in ſiniſtris magis.

Natura ſemp cogitat maſculum. Cauſa uariat pro diuerſitate ſubiecti. Plantæ ſemiuſtæ tempore hyemis reuiuiſcunt. Flores in cryptis tempore hyemis. Oua animantur in furno. Frigiditas nunc omnẽ fœcunditatẽ tollit, aliquã do generationem maſculi tantùm. Dextera pars uteri duabus occaſionibus calidior ſiniſtra.

MASCVLORVM & fœminarum differentia penes cœleſtẽ aſtrorum uim eſt: & quidem hæc ſemper generare, atque adeo maſculũ cogitat, ſed interdum materiæ deſiderium, aut ineptitudo impedit, propter hanc cauſam tam uiri quàm mulieres aliquando ſteriles exiſtunt, & hyeme omnia emoriuntur, uere primum omnia geminant ac germinant. Magis idipſum ex plantis diſces, quas uſticulatas aut ſemiuſtas tempore hyemis reuixiſſe conſtat. Sed & in cryptis flores multi tẽpore hyemis uiuunt, qui ſub dio moriuntur, ſeneſcunt, & elangueſcunt, ne dicam de ouis, quæ nunc in furno, nunc fotu gallinarum diuerſo modo animantur: non enim id ſolus calor poteſt, (quia unum & idem non niſi ſibi ſimile generare poteſt) ſed hæc omnia eueniunt, quia calor commune generationis impedimentum frigus aufert. Ita & parentum frigiditas aliquando omnem generationem impedit, aliquando uerò maſculi tantùm. eadem ratione euenit, quòd fœminæ in ſiniſtra parte generentur, maſculi uerò in dextera: eſt enim dextera paulo calidior, tũ quòd ſocietate hepatis fouetur, tum quòd ad ipſam directiores & maiores uenæ ueniunt. Si certius iſta uelitis cognoſcere, abite ad libros Galeni De uſu partium: nos enim nolumus reſcribere ea, quæ apud alios poteſtis inuenire.

APHORISMVS XLIX.

VT ſecundæ procidant, ſternutatorio appoſito, nares comprime, & os.

In ſternutamẽto mediæ partes cõprimuntur, & extremæ exprimuntur. Narium aſtrictio ſternutamẽti uim ꝓmouet.

IN ſternutamento ex medio corpore ſpiritus affatim fertur, & media corporis pars affatim cõprimitur. Hinc euenit, ut ea, quæ in infernis partibus inſident, aut ſupernis, utrinque uehementer exprimuntur, etiam ea, quæ minuta ſunt ſic purgantur. Ecquid ergo admirandum eſt, quòd ad ſecundas expellendas uehementer conducet? Compendio autem id faciet, ſi quis prius nares & os aſtringat: nam quo ſpiritus diutius & anguſtius concluditur, eo confertius erumpit. Eadem de cauſa & pueri

expe

experientiæ docti, si quid oculis insederit, ut certius idipsum excernant, nares & os quoque prius comprehendunt.

APHORISMVS L.

MVlieri si uelis menstrua cohibere, cucurbitulã quàm maximam ad mammas appone.

NATVRA nusquam fert uacuũ. argumento est labrum, etiam densissimum, ubi aqua sursum in glaciem contracta atque concreta, in fundo uel minimum spatium relinquit: statim enim uiolatur ac frangitur, & quidem nisi graue impedimentum fuerit, aër singula implet. Proinde parum est, latissimam cucurbitulam alicui particulæ apposuisse, nisi satagas illam omnis aëris expertem (ut licet) inijcere. Hoc autem nullo modo præstare potes, nisi priusquam eam adieceris, multa flamma impleueris: nam neque ignis aërem tolerat, neque duo corpora unus & idem locus comprehẽdere sufficit. Sed neque adiecta & obcæcata cucurbitula flamma potest uiuere: quocirca dum periculum uacui oritur, subito quod potest cucurbitula ex proximo attrahit: atque id eò magis, quò flamma antè fuerit liberalior. Hac de causa non est satis maximam ad hoc delegisse: oportet præterea eam plurima flamma saturare, ac potius uacua stuppa implere, quàm solidis candelis accendere, ita quidem pulcherrimè ex proximis attrahit: nam ad remota procul eius uis obstupescit. Proinde nec ego in omnibus fluxibus menstruis, Hippocratem cucurbitula uti audio, sed præsertim in recentioribus, & qui affatim à superioribus partibus irruunt: promptissime enim materia ad illũ locum retrahitur, unde deriuatur. Non erit ergo æquè præsens hæc curatio in longis uteri destillationibus: ferè enim hîc materia à proximis utero partibus ac uenis incumbit: quo in casu melius erit topicis remedijs, pessis, aut clysteribus uterinis uti: quæ si ægrota (ut fere fit) aspernetur, externa auxilia oportet consulere. Atque hîc rursum potius calida, iuxta Galenum, quàm frigida, iuxta Æginetam atque alios, medicamenta eligere: nam frigida ferè intro pellunt, & ex proximis fluxum augent. Habetis quotidianum exemplũ, mulieres quæ recenti menstruorum fluxu laborant, nouam subuculam sta-

Natura uacuum non fert. Iouis omnia plena.

Ignis intercipit aërem.

Cucurbitulã magis implet multa flãma quàm candela.

Cucurbitula dũtaxat quasdam mensiũ eruptiões reuellit.

In longis uteri destillatiõnibus potius cõueniũt localia remedia aut clysteres uterini, q̃ cucurbitæ.

Repercutientia in fluxib⁹ uteri sæpe periculosa.

Recēs subucula sua frigiditate ferè fluxum menstruum intermissum renouat.

tim assumere detractent, experientiæ edoctæ, quòd fluxum iterum prouocat. Oribasius iterum somniat, & quæ nunc ab Hippocrate de reuulsione dicuntur, ad deriuationem peruersè comparat.

APHORISMVS LI.

QVæ utero gerunt, ijs uteri os comprimitur.

Vterus naturaliter cōprimitur aut clauditur.

CLARIVS habet antiquus interpres, clauditur. *Non est autem hæc compressio uoluntaria, aut animalis, sed naturalis: quomodo & uenter cibum, & folliculus flauæ bilis ipsam bilem amplectitur, contrahitur etiam ob inflammationem, & tumores duros, ut postea dicetur: sed nunc durities, nunc febris, atque alia quædam euidentia incommoda dirimunt.*

APHORISMVS LII.

MVlieri utero gerenti, si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillē significat. si uerò mãmæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.

Lactis effluxus semper arguit imbecillitatem fœt⁹. Duræ quoq; imbecillitatē sed minorem accusant. Solidæ mediæ inter duras & tenues aut flaccidas.

INFAMITER antiqua translatio in primo mense lac definit: nam in ultimis primùm mensibus prodit: nec hîc tamen eius copia urget, quia fœtus potens, uel renitente tumore uentris plurimum sanguinem mēstruum, atque etiam lac ad sese trahit. Igitur præ copia lac effluere nequit, nisi fœtus admodum imbecillis fuerit, magnum aborsus futuri argumentum. Sed neque econtrario tumidæ admodum, & duræ bonæ sunt, quoniam & ipsæ fœtum imbecillem arguunt. Verùm de ijs, quæ exuperant, dixit Hippocrates, ut maiorem excessum significarent, uel quia impletis plerunq; effluunt. Sic damnantur turgidæ ac duræ: nec minus periculi minantur admodum tenues, aut exhaustæ duntaxat. Igitur solidæ securæ sunt: uocamus autem ita modicè plenas, quæ & fœtum fortem arguunt, & alimentum sufficiens produnt.

APHORISMVS LIII.

QVæ corrupturæ sunt fœtus, ijs mammæ extenuantur. Quòd si rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpent.

OMNIS aborſus ferè ſubitò: uerùm cauſæ, quæ aborſum faciunt, aliquando paulatim, ſæpius repente inuadunt: ita & ubera aliquando paulatim, aliquando ſubito ſubſidunt. Hæc credo cauſa eſt, cur hîc repente, omiſerit. Et quidem in inedia paulatim ubera detumeſcunt: in alijs cauſis omnibus ferè repente ſubſidunt. Cur autem in inedia collabuntur, per ſe eſt manifeſtum: in alijs uerò fortunis repente cadunt: quia cauſa, quæ aborſum facit, magnam tempeſtatem in corpore edit, & ad indignationem uteri, ſurſum deorſum omnis humor detruditur: qua ratione & in alijs ferè doloribus ex proximis partibus, imo ab uniuerſo corpore, ad partem affectam humor incumbit. Itaque uel in ijs tandem ubera gracileſcunt, et attenuantur, quamuis antea duræ erant. Eſt tamen mihi ueriſimile, quòd Hippocrates de his ſolis loquatur, quæ paulatim, atq; adeò ex inedia, aborſum procul oſtendunt. Iam neque omnes abortiunt, quibus ubera flacceſcunt: nam ſi inedia propter morbum aut aliam cauſam paulatim euacuauit, poteſt morbus dirimi, aut aboleri, atque ex pleniore cibo ipſa iterum impleri. Ferè autem in hoc caſu indureſcũt, ubi citius mater, quàm fœtus uires reſumit: non enim poteſt præ imbecillitate collectam ſubito copiam conſumere, ſed neque rurſum ubera totum ſanguinem bene capere, aut in lac conuertere. Proinde aut in tumorem aliquem ubera attollet, fortè etiã effluet: aut calidior ad partes ſuperiores, oculos, caput euadet: aut frigidior ad inferiora, genua, coxas, aut alias partes ſubiectas, deſcendet. Poteſt etiã forte fortuna ad uterum tranſire: ſed hîc inter ſecundas collocabitur, ubi & reliquas ſuperfluitates didicit longo tẽpore deponere: minus ergo hîc, quàm alibi, duræ mammæ ſunt ſuſpectæ. Differentia eſt (meo quidem iudicio) quia ubi mammæ rurſum reſumuntur, magis oſtenditur matris ſanitas, quàm fœtus multa imbecillitas. Aliud eſt, ubi citra morbum matris mammæ indurantur. Hæc quidem mihi ita ſe habere apparẽt. Forte hæc noſtra commentatio multis diſplicebit: quia Galenus ſecundam hãc particulam de ijs, quæ à principio ubera dura oſtendunt, accipit: nec ego eam commentationem refellam, modò diſcrimen reddere poſsint, ecquid hic tumor mammillarum potius, quàm qui antè dictus eſt, ſecuritatem polliceatur. Profectò hactenus ego meam potius, quàm Galeni expoſitionem

Vbera per inediam paulatim detumeſcunt, per alias ferè cauſas ſubito.

Indignatio uteri omnes ferè humores ad ſe rapit.

Ante omnẽ aborſum ubera, ſaltem paulo ante, attenuantur.

Non eſt certum uberum attenuatio abors⁹ ſignũ.

Attenuata ubera aliquando iterum uſque ad duritiem implentur.

Duritiem uberum ferè unum ex multis incommodis ſequitur.

Raró pręgnãtes laborant inflammatione uteri.

Mammæ duræ quæ antea fuerunt flaccidæ, minus ſuſpectæ.

Galeni cõmẽtatio difficile rationem inueniet.

nem retinebo.

APHORISMVS LIIII.

QVibus os uteri durum est, ijs uteri os cõprimi est necessarium.

NON statim os uteri compressum, ubi inflammatio aut tumor durus uterũ obsidet: uerùm ubi inflammatio aut scirrhus os uteri urget, ibi ipsum os durum, atque conclusum deprœhenditur. Discriminis causa est, quia nequaquam in omni uteri parte inflammata, aut tumor uterũ claudit, aut astringit duntaxat, qui in illius ore consistit: clauditur autem & à conceptione statim. Sed duricies, & aliæ morositates uteri, manifestissime hæc à conceptione discriminant.

Inflammatio diuersas uteri partes cõpræhendit.

APHORISMVS LV.

DVecunque utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, sine occasione manifesta, difficulter pariũt, & cum periculo, aut abortum facientes, periclitantur.

MALE Hugo Senensis hunc Aphorismum de acutis febribus intelligit: neque enim hæ eousque possunt durare, neque de his oportet dicere, quòd periculum aborsus minãtur: quoniam antea de illis dictum est, quòd mortales existunt, atque mortem præcipitem ostendunt. Sed neque lentæ periculo uacant: nam alimentum febrem auget, & rursus inedia fœtum necat. Eadem est difficultas in medicamento: nam uitium humorum purgationem postulat, fœtus uerò detractat. Idem dico de missione sanguinis. Atque hæc tria sunt, quæ nomine fortium auxiliorũ audiuntur, et quæ prægnantibus in omni morbi tempore periculosa sunt: nam neque medicamentum post concoctionem in lenta febre conuenit. Scio quòd facilius sequitur materia concocta, quàm turgens ante concoctionem: sed non est similis ratio. In acutis & turgentibus melius est experiri anceps remedium, quàm ferre præsens exitium. In longis econtrario suspectius remedium, quàm malum. Itaque non nisi leuioribus medicamentis uti licet:

Hugo Senẽsis malè acutas intelligit.
Vel lentæ febres in prægnantibus periculosæ.
Prægnans neque morbũ fert, neq; remedium.
Nec post cõctionẽ præ gnanti in lentis febribus purgationẽ dare tutũ est.
In longis suspecti⁹ est medicamentum quàm malũ: econtrario in acutis.

licet: quippe extenuantibus, aperientibus, & concoquentibus: atque his quidem ad tempus febres finire poteris, quia concocta materia febris desinit. Verùm dum concocta in corpore manet, periculum est, ne iterũ corrumpatur, cum adueniente alimento, atque iterum febrem accendat. Itaque ferè usque ad partum, febris reuertitur, ubi eius materia cum alijs simul excernitur. Non ergo acutæ duntaxat febres sunt lethales, sed & lentæ periculosæ. Tertium periculum est ijs, quæ præter occasionem manifestam extenuantur: nam huius causa uirtus breuis existit, quæ per se plerunque aborsum facit. Negligenter ergo antiquus interpres hîc pro Extenuari, Calefieri reddidit: quòd si uelis utranque particulam cõiungere, ac simul de his, quæ à febribus corripiũtur, & absque ratione extenuantur, accipere, periculum geminas, quorum alterum ad discrimen satis erat.

Causa frequẽtis recidiuæ.

Acutæ lethales.

Lentæ periculosæ.

periculosa in prægnantib⁹ extenuatio.

APHORISMVS LVI.

IN fluxu muliebri, si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum.

QVAE hîc conueniunt, ex prioribus oportet requirere. Vnum & hîc, & alibi possumus annotare, quòd in omnibus huiusmodi sententijs potius conuulsionis, quàm distentionis meminit: nam ex inanitione tam exteriores, quàm interiores musculi conuelli possunt, extendi nequeunt: hoc enim morbi ex plenitudine, aut multæ affatim siccitatis, caloris, aut frigoris duntaxat opus est. Nec hoc quidem aliquis ante nos animaduertit. Possumus & hoc admonere, quòd defectus animi in fluxibus non semper signum mortale est, duntaxat ubi immodicum sequitur: nam aliquando ex accidente quadam subita animi mutatione, aut metu contingit, atque fluxum sistit: tantum abest, ut semper lethum minetur, præsertim autem in mulieribus, utpote magis pusillanimis.

Distentio fluxum nõ sequitur.

Defectus animi sæpe fluxũ sistit, tantum abest, ut semper mortalis existat.

APHORISMVS LVII.

MEnstruis largius fluentibus, morbi eueniunt: non fluentibus autem, ex utero morbi contingunt.

NEQVE retineri, neque superfluere menstrua utero, citra ipsius

Morbus ex morbo.

uteri morbum contingit: quoniam ubique morbum symptoma sequitur. Et hic quidẽ uteri laxitas, illic uerò ipsius angustia, obstructio, infarctio. Verùm secundorum morborum admonemur, ac sunt utrobique exempla prompta. Est diuersitas, quia in superfluis menstruis ferè alibi sequuntur morbi, quàm in ipso utero, cachexia, hydropisis, defectus animi, cõuulsio. Vbi uero retinentur, nunc in uniuersum corpus regurgitant, ac febres faciunt: aliquando in priuatam aliquam partem inclinant, sæpe ipsum uterum nouo morbo uexant, & nunc inflãmationes, nunc alios tumores hic suscitant. Credo quòd hac de causa in secunda duntaxat Aphorismi particula dixerit, Et si non fiant ex utero morbi contingunt. *clara expositio: tanto magis miror Galenum, qui per morbos ex utero, nunc econtrario morbum uniuersi corporis ex utero subortos uidetur intelligere: nã iuxta hanc commentationem, definitionem illam ex utero utrique particulæ liceret annectere: nam & in superfluis mensibus sæpe uniuersum corpus laborat, ut antea ostendimus. Forte morbos uteri intelligit secundos, quibus totum corpus communicat: atq; hos duntaxat in retentis mẽstruis inuenies. Est & alia circa medium commenti difficultas, sed ex ipsis interpretibus orta est: facile autem erit ad Græcum exemplar ipsam lectionem castigare: sensus enim est, ut in alijs fluxionibus accidit, quòd aliàs ad aliam partem modicæ menstruorum expulsiones fiant.*

Immodicum fluxũ ex utero sequuntur morbi potiꝰ alibi, quàm in utero.

Retentionẽ menstruã sæpe sequuntur morbi in utero.

Mirabilis Galeni expositio.

APHORISMVS LVIII.

RECto intestino, aut utero inflammationem patiente, urinæ stillicidium accidit, & renibus purulentis urinæ aduenit stillicidium: hepati autem inflammationem patienti singultus aduenit.

PROPRII uesicæ affectus, qui stranguriam faciunt, antehac dicti sunt subinde: nunc de tribus agit, quæ per consensum idem malum inducũt. Frequentißime hoc malũ ex renibus oritur, siue pus, siue ramentũ lapidis, siue alia acrimonia in ipsis sederit: nam nusquam, quàm per uesicã, expurgari potest, nec secus, quàm si in uesica natum esset malum, ipsam prouocat. Non tamen quicquid in recto intestino insedit, similiter ipsam affi

Tria sũt quę per consensũ stranguriam faciunt.

afficit: sola inflammatio id potest, dũ pondus ipsius uesicæ incumbit. Itaq; uesicæ eodem modo, ac si sibi insideret, continuè à se expellere cogitat. Idẽ facit, ubi inflammatio uteri urget: nam ab altera quoq; parte uterus uesicæ inclinat. Tantus est consensus istorum uiscerum, ita ut econtrario uesica affecta aliquando utranq; partem uicissim lacessit. Sic qui lapide in uesica laborant, ferè non minus cacaturiunt, quàm micturiunt. Ita & qui tenasmo laborant, sæpe abortiunt. Rarius imprægnatio (magnum uteri põdus) difficultatem ullã uentri aut uesicæ effatu dignam cõmunicat: quia paulatim accedit, & multo minus corpori, quàm inflammatio, aut alius morbus naturæ molestus existit: & tamen aliquando in principio, ob quandam insolentiam, quibusdam euenire uidimus, ut frequentius lotium redderent, & aliquantisper in singulis ab initio imprægnationibus uentrem sicciorem haberent. Ita & magnæ hepatis inflammationes, per quandam societatem nunc singultum, nunc tussim mouent: singultum ac uomitum, ubi concauis partibus inflammatio hepatis insedit: tussim, ubi si mas eius partes fatigat, nã utroq; grauitas peruenit. Tanto magis miror, quòd Galenus causam singultus ad communionem neruorum refert. Putat Oribasius id fieri, quia humores eò regurgitant: sed id nos alibi refellimus. Sed neq; singula Hugonis sophismata retexere uolumus, tantùm ea, quæ uindice condigna existunt.

Inflammatio in ano strãguriam facit. Inflammatio uteri. Aliquot affectus uesicæ pstringunt anũ & uterũ. Tenasmus abortum parit. Vter⁹ in principio quibusdã urinæ strãguriam & uẽtris facit difficultatem. Hepatis inflãmatio magna nunc tussim, nunc singultũ mouet. Commentũ Galeni. Oribasius.

APHORISMVS LIX.

SI mulier non concipit, scire autem uelis, si conceptura sit, pannis circuntectam infernè suffias: & si odor uideatur per corpus ire ad nares, & os, scito quòd ipsa non ex seipsa sterilis est.

DVABVS de causis mulier sterilis est. Primùm ob omenti crassitudinem: hæc accidentalis, atq; antea dicta est. Secunda essentialis, atque ad omnes intemperaturas diffunditur. Vtrunq; ingeniosus Hippocrates uno signo ex suffitu inferiori sumpto detegit: non enim aut crasso admodũ omento, aut insigniter intemperata esse potest, in qua ex utero per corpus ad nares odor transit: nec rursum in mediocribus difficile ascendet, quòd

Duę sterilitatis causæ. Vnum signũ utriusq; odorem.

Malus uapor ex utero facile caput petit.

uel malus in suffocatione fumus aliquando indignante natura eò peruenit. Verũ ne alia transeat, oportet ut pannis diligenter atq; arcte septa, ex angusto uase (subiectis prunis) fumum excipiat, & nemo nisi ipsa odorẽ sentiat. Non sentiet autem, si quidem crasso omento fuerit, aut aliter admodum frigida aut humida.

Odor ab omni intemperatura perimitur.

Leuior dubitatio.

Nam odor in frigido extinguitur, & in humido suffocatur. ita & externæ rosæ in tempore frigido & humido subinde odorem omittunt. Verùm de calidis & siccis quis merito dubitare potest: nam hæ & fumo & odori citissime commeatum promittere uidentur. Alterum ergo oportet dicere, uel quòd duntaxat frigidas & humidas eo

Magna caliditas etiã odorẽ perdit præsertim in leuiori materia insidẽtẽ.

Fœtorem sæpe ignis multus dissimulat.

Pluuia in quibusdam odorem excitat.

signo perstrinxerit, quòd hæ sint frequentioris sterilitatis causæ, utpote mulieribus cognatæ: uel quòd & caliditas quoque ingens, & siccitas magna, odorẽ possunt perdere. Et id mihi quidem apparet uerisimilius: nam odor in tenui, & humida quodam modo substantia subiectus est, & quã caliditas prompte tollit rarefaciendo, siccitas uerò exiccando. Iterum exemplum habetis in externis: fœtorem, nedum odorem, multus ignis dissimulat, ac dissipat, nec rubus sub arido sole odorẽ edit, magis sub aure pluuio prodit.

APHORISMVS LX.

SI mulieri utero gerenti, purgationes procedant, impossibile est fœtum esse sanum.

In primis mẽsibus sanguis menstruus superfluit.

Aliquãdo sed rarò maligni or sanguinis mẽstrui pars in postremis utiliter purgatur.

Eruptio modica menstruorũ sæpe initium imprægnationis arguit.

FIERI non potest, ut fœtus cõstet, ubi purgationes pro consuetudine redeunt: nam fœtus alimento suo expoliatur. Verùm in primis atque adeo quibusdam alijs mensibus, citra difficultatem modice apparere potest. In primis quidẽ mensibus, quia superfluit. In posterioribus uerò, quia nequaquam toto utitur sanguine menstruo fœtus, duntaxat meliori, reliqua pars ferè uenenosa est, atque per collum uteri expurgari potest: & in quibusdam fortunatis utiliter expurgatur. Frequẽtius id euenit in primis mensibus. atque ex hoc ferè uno signo lactantes se concepisse conijciunt, quòd præter consuetudinem nunc aliquid menstrui apparere ex utero deprælhendũt. est enim argumentum, quòd sanguis qui hactenus ex utero ad ubera solebat adduci, nunc in ipso ad conceptus nutritionem retinetur.

De

De immodicis ergo, & consuetis purgationibus Hippocrates intellexit. sed non est necessarium ob eam causam nouam expositionem in uerbo, eant, *quærere. nam ab omnibus facile huiusmodi subaudiuntur.*

APHORISMVS LXI.

SI mulieri cessent purgationes, neque febri, neque rigore superueniente, & fastidia cibi incidant: iudica ipsam in utero habere.

PRIMVM oportet steriles ac fœcũdas distinguere, deinceps signa impraegnationis inquirere, atq; his eum ordinem, quem prius digeßimus, dare. Primum erat uteri compreßio, & quædam alia, quæ honestis auribus non licet referre. Secundum erat aquæ mulsæ experimentum. Tertio accedebat subita menstruorum suppreßio. Quartum erat fastidium, & magis citta. Verũ sæpe & ob alias causas menses supprimũtur. Igitur per febrem, rigorẽ, urinam, oportet distinguere: nam ubi facta est impraegnatio, materia extra uenas circa uterum deponitur, citra alicuius symptomatis argumentum. Sed & ipsa quoq; urina plerunque integra manet: secus euenit, ubi citra conceptum materia aliò regurgitat: nam pro diuersitate fortunæ, prout huc nunc illuc humores incumbunt, aut in uenis manent, diuersa fiunt symptomata, nunc febris, nunc rigor insequitur. Citta tamẽ magis in praegnãtibus, quàm alijs: quòd citius fumus os stomachi petit ex utero, quàm ex uenis. Hæc est causa, quare uirginibus rarius cittæ eueniunt. Aliquãdo tamen ita econtrario neq; urina in praegnantibus semper bona, aliquãdo ob multitudinem humores in uenas regurgitent, aut certe à principio manent. Vtroq; modo alacritatem suam perdit.

Rerum ordo.

In impregnatura sæpe urina integra.

Suppreßis mensibus citra impregnationẽ urina uariat, & sæpe multa alia symptomata sequuntur.

APHORISMVS LXII.

QVæcunque frigidos & spissos uteros habent, nõ concipiunt. Et quæcunque præhumidos uteros habẽt, nõ cõcipiunt. extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunque siccos multum, & præcalidos, nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcunque

uero ex utriſq; mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ ſunt.

> Frigidus uterus ſemen extinguit. Denſus parcius nutrit. Humidus ſuffocat.

EST uerum, quòd in denſo utero fœtus neque tenaciter ligatur, neque liberaliter nutritur. Veruntamen ſterilis mihi apparet nihilo ſecius, quia frigidus, quàm quia denſus: quippe ut denſus alimentũ intercipit, ita frigidus conceptum ſemen extinguit. Rectè ergo utrunque Hippocrates in principio aſſumpſit: rectè etiam communiter de frigido & humido dixit, quòd ſemen in eis extinguitur. Eodem & Galenus tandem reſpicere apparet. Eſt tamen aliqua differentia: quia ſemen in frigido ſimpliciter refrigeratur, in humido uerò ſuffocatur. Vides in rebus externis, ut in humido loco, ſemen ſtrangulatur: certè in paluſtri agro ſementis emoritur. Sic & imminentibus menſibus, plerunq; conceptus corrumpitur, & felicius ab ipſis promouetur. Sed & in loco calido prius ſemen torretur, quàm impletur. Nouiſsime neq; in ſabulo quicquam feliciter naſcitur: ecquid ergo mirum, quòd in utero præcalido, aut etiam admodum arido, ſemen aut conceptus contabeſcat? Meritò igitur tam Hippocrates, quàm Galenus, utroq; in loco communiter ſuſpectum alimenti deſideriũ habent: nam tam immodica ſiccitas, quàm caliditas, fœtum nutrimento ſpoliat, Hugo Senenſis uidetur ex his Galeni uerbis reformidare, ne craſsior ſeminis pars ſiccitate uteri abſumpta, ſpirituoſam deſtituat. nam eam à craſsiore ſeminis parte ali exiſtimat, quale aliquid Ariſtoteles de albo & uitello oui prædicat. Sed certum eſt, quòd Hippocrates & Galenus nũc aliò ſpectãt. Quælibet ergo intemperatura mulierem poteſt facere ſterilem, frigida tamen frequentius, uel ob eam cauſam, quòd mulier frequentius declinet in frigidum, quàm calidum. Secundo loco in cauſa eſt humiditas: minor tamen ipſius, quàm frigiditatis energia. inde eſt, quòd nequaquam ſimpliciter humidos infœcundos dixit, ſed præhumidos. Ita & parum calidæ, fœcundæ manent. Fateor, non eſt minor caliditatis, quàm frigiditatis tempeſtas: ſed modica caliditas, muliebre uitium, hoc eſt, propriam mulieris frigiditatem ferè mitigat. Rectè igitur Hippocrates duntaxat adurentes repræhendit: quia ſola magna caliditas infœcundas facit, & ſemen (ut antè

> Mulier melius concipit poſt menſes, quàm ante eoſdem. Semẽ in præcalido loco potius torretur, quàm impletur. Immodica ſiccitas & caliditas fœtũ alimẽto ſpoliant ac fraudant. Hugonis opinio. Prima cauſa ſterilitatis mulieris frigiditas. Secunda humiditas.

dixi

diximus) torrefacit, atque alimentum adimit. Tales sunt uiragines: nam paucos menses edunt, sæpe omnino carent. Inde est, quòd nunquam ferè concipiunt, conceptum rarò perficiunt, perfectum uix unquam lactare queunt. Viragines paucos menses exigũt, rarò concipiũt, rarius conceptum perficiunt.

APHORISMVS LXIII.

SImiliter autem & in maribus. Aut enim propter corporis raritatem spiritus extrà fertur, ita ut semen non transmittat ad os, uel propter spissitudinẽ humor non exit foras, uel propter frigiditatem non concalescit: itaque in eo loco concrescit, uel propter caliditatem hoc idem accidit.

MERITO hunc Aphorismum Galenus excindit: nam & modus loquendi ab Hippocratis consuetudine dissonus, & rationes improbæ, & si quàm maximè ueræ essent, potius diuinatorem aliquem requirerent, quàm commentatorem admitterent. Melius est ergo hanc redargutionem Galeno relinquere, & sterilitatis uirorum differentias ac causas seorsum inquirere. Sunt autem numero pares. Maximè effœminatos facit frigiditas. Etenim calor naturalis omnium principalis artifex, in semine habitat, & nusquam magis, quàm in semine offenditur. Rarum tamen symptoma: nam modica caliditas uiris ad generationem sufficit. Argumento, quòd sexagenarij, sæpe octogenarij generent: mulier sexagenaria hodie nunquam, quia sanguis menstruus deficit, quo conceptum nutriri oportet. Caliditas procax quidem est, sed & ipsa aliquando uiros steriles facit: etenim semen, rudimentum quoddam, & quasi fundamentum, principalibus uisceribus sternit: sed ad hoc est ineptum præter modum calidum, quia natura nostra in quadã mediocritate consistit. Omitto, quòd quædam particulæ etiam sunt frigidæ: hæc ratio generalis est, nec solùm calidum infœcundum facit, uerùm etiam & siccum, & humidum. Accedit particularis ratio: in sicco quidem, quia semen ad diuersorum uiscerum generationem extendi & fundi oportet, quod siccum ægre patitur: nec rursus laxum aut fluidum

Aphorismus absurdus.

Rarò frigiditas uirorũ offendit fœcunditatẽ, argumento senes sunt.

Caliditas procax.

Ratio generaliter omnes intemperaturas reprænhendens.

Semen siccũ extendi & fũdi nequit.

Laxum ac fluidum ægrè concrescit.

esse

esse decet, quia ipsum in uiscera concrescere oportet, ad quod aquosum est inidoneum: neque enim aqua unquam in lutum cogi poterit. Videtis ut in his nostris rationibus nulla sit difficultas, aut falsitas: utrunque in singulis Aphorismi particulis deprehenditur: maxime obscurus primus locus, ubi humidam temperaturam taxat, quia propter corporis raritatẽ, hoc est mollitiem (ita enim nunc raritatem interpretari cogor) spiritus, inquit, extrà fertur. Videtur sentire (coniectante Galeno) quòd spiritus seminis pars, ipsum semen foras propellat, ubi mediocriter constat: sed in corpore humidiori ab hoc excidere, quia spiritus anticipat elabi, priusquam semen in uterum procul exigat. Et scimus quidem, quòd quidam spiritus, quo penis turget, semen præuertit. Verùm reliqua pars spiritus, ac principalis cum semine miscetur, ac simul ambo ab una uirtute propelluntur. Videtur Galenus amplius dicere, quòd spiritus hîc in semine longius, quàm ipsum semen tandem promittatur, ac tanto longius, quanto spiritus humiditate aërea, hoc est humore ipso sit siccior: nã & foris longius eijciuntur sicca, quàm humida. Verùm in hoc loco translationes sunt tam perplexæ, ut nemo eas poßit intelligere, & quod magis est mirabile, nullus ex ijs uerum est consequutus. Sed qui Græca conferre uelit, intelliget eam esse sententiam, quam diximus, ad quod multum conferet, si quis ex primo Aphorismorum libro retinuerit, quòd semen Galenus in spiritum & aëream humiditatem diuidit: nam ex hoc facile erit nunc capere, quòd spiritus, utpote igneus, alteram partem siccitate exuperet. Consequens ex dictis, quòd temperata natura tam uiri, quàm mulieris ubique fœcunda sit, nisi in intemperatam excellenter admodum inciderit: nam insigniter iniqua nullius societatis remedium admittit, etiã ipsam temperiem uiolat, ac contemnit. Sed & parum intemperata infœcunda est, nisi forte fortuna in temperatam inciderit, aut in temperaturã sibi contrariam, ut frigida in calidam, humida in siccam: talium enim cõgressus fœcũdus est. Atque hæc de intemperaturis simplicibus. Facile est ex his colligere, quòd inter compositas maxime friuola frigida & sicca, minimè ignaua, calida, & humida: adeò ut Galenus hîc eos maximè fœcundos dixerit. Atque id quidem de ijs, qui modicè ita sese habent, intelligen

Primæ particulæ examinatio.

Spiritus semen anticipat.

Spiritus longius euadit ipso semine.

Translatiões uariant.

Seminis pars duplex, spiritus & aërea humiditas.

Tẽperata natura ferè ubique fœcũda.

Egregiè intẽperata ubiq; sterilis.

Intemperata simpliciter medio modo sese habet.

Maximè friuola frigida & humida.

ligendum: nam ex prioribus constat, quòd calidi licet pruriant, ac semine multo turgeant, tamen steriles sæpe existãt. Ac proinde aliud effœminatos, aliud est steriles dicere. Alij effœminati: alij infœcundi.

APHORISMVS LXIIII.

LAc dare caput dolentibus, malum: malum uerò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis: malum autem & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Cõuenit autem tabidis dare, qui non ualde multum febricitant, & in febribus longis, & paruis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationẽ consumptis.

LAC utraque qualitate temperatum est, & (quod amplius est) tenui substantia præditum. Hæc est causa, quare in omnem partem facile alteretur, & non nisi temperato uentriculo cõuenit, in frigido facile acescit, in calido bilescit. Eadem ex causa & purum uentriculum requirit, non solùm ab omni excremento, sed (quod magis est) ab omni longe cibo. Tam facile alterius societate corrumpitur, adeò ut neque aërem ferat, aut sumptum statim corporis motum. Vbi conueniat, diximus: facile est ex eo consequi, quòd in morbis damnetur, tam calidis, quàm frigidis. Hoc quibusdam exemplis Hippocrates ostendit. Inter calidos morbos primum febres occurrunt, quæ præterquam quòd corpus uniuersum incalfaciunt, ferè uentriculum multa putredine onerant. Ita neque in biliosis deiectionibus conuenit: etenim bilem auget, & fluxum mouet. Siticulosis etiam obest, quòd ijs ferè uentriculus æstuat. Iam neq; dolentibus capite conuenit, ferè enim horum occasio ex uentriculo nunc calido, nunc frigido oritur: omitto quòd lac ex natura uaporosum sit, magnum ubique capitis incommodum. Nec minus officit in morbis frigidis: tales sunt, in quibus ilia suspenduntur ac murmurant: id enim citra flatulentam co-

Lac tenue omni causæ & iniuriç obnoxium.
Ventriculus qui lac excipit, & excrementi & alimenti expers esse debet.
Lac noxium in omnibus morbis, tam calidis quàm frigidis.
Malum biliosis & siticulosis.
Lac uaporosum & capiti noxium.
Exẽpla morborũ frigidorum.

Sanguinis fluxum passi frigidiores.
Error Hugonis.
Lac egregiè siccis cōfert.
Tabidi.
Hectica triplex.
Prima sīplex.
Hectica ex febre ardente.
Hectica tertia ex ulcere pulmonis.
Alterum aduerbium uacat.
Semper cum leuiori dissimulandum.
Hectica & putrida sæpe cō iunguntur.
Cautio perpetua.
Febres quæ magis exercent siccitate quàm caliditate.

piam fieri nequit. Putaretur maxime conuenire ad restaurationem, ijs qui multam sanguinis euacuationem passi sunt. Verùm & ij frigidi existunt. Nequeo igitur satis mirari Hugonem Senensem (si rectè memini) lac in hoc casu præbentem, non ob aliam (ut puto) causam, quàm ut Marsilium redarguat. Miror quòd non intelligat, quòd simul & ab ipso Hippocrate discedat. Nec curo argumentum ex marasmo adductum: non enim in marasmo semper coniungitur frigiditas, aliquando etiam caliditas. Solis ergo ijs utiliter datur, qui aut sola laborant siccitate, aut certè magis siccitate, quàm caliditate, aut frigiditate: etenim & ubique alibi uehementiori intendendum est. Tales sunt, qui laborant febre hectica, aut tabidi: sunt autem ij in duplici aut triplici differentia, quosdam à principio inuadit febris hectica, subinde ex solo animi motu, ira, tristitia, inuidia, frequenter febrem ardentem sequitur, ubi priusquam totus humor absumitur, paulatim in solidis calor febrilis clam relinquitur, adeò ut nec ægri, nec medici quidem, aliquando febrem sentire possint. Tanto magis Hugonem, & reliquos Neotericos demiror, qui calorem febrilem in hectica, quàm ardente, aut continua, maiorem ordine contendant. nam cum experientia certant. Aliquando etiam hectica ulcus in pulmone, iuxta eam rationem, quam alibi definitam concomitatur. Atque in his omnibus lac conuenit ad diluendam corporis ariditatem. Adijcit, Nisi ualde multum febricitent. *Galeno satis erat alterum aduerbium. nec ego quoque secundum requiro: nam ubi tabidi insigniter febricitant, lac rursum substrahere oportet, nempe ut antè dictum, semper cum leuiori dissimulandum, & grauiori innitendum. Euenit autem id potissimum, ubi cum febre putrida hectica committitur: hic enim aliquando uicissim exuperant, nunc hectica, nunc putrida: cautio est, ut lac demus, ubi putrida obscurior: & rursum auferamus, ubi euidentior. Non solùm autem hecticæ febres, sed & quædam aliæ intermittentes interim magis urgent siccitate, quàm caliditate: tales ex inedia, tales ubi materia magis crassa, quàm multa: ferè enim uel hæ hominem prius tabefaciunt, quàm relinquunt: ne in his quidem lac uitio dandum. Multo magis conueniet in his, qui præter rationem consumuntur, id est, quos neque morbus neque circunst*

cunstans calor demolitur, sed uirtus relinquit: promptißime enim hos lac & uinum reponit. Non tamen quos atrophia finit, lac conuenit: ferè enim hos dißlatio exoluit, & solidum alimentum utilius illius conducit.

Extenuati multi lac requirunt. Quibusdam patientibus atrophiam solidum conuenit alimentũ.

APHORISMVS LXV.

QVibus tumores in ulceribus apparent, non admodum conuelluntur, neque insaniunt: uerùm his euanescentibus derepente: illis quidem, quibus à tergo, conuulsiones & tetani fiunt: quibus autem à fronte, insania, uel dolor lateris acutus, uel suppuratio, uel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.

RARO tanta est materia, ut utrasque partes occupet, exteriores & interiores: sed non semper nititur eam, quæ intus molestat, ad exteriora expellere. Aliquando etiã affectus in exterioribus partibus adeò ingens est, ut eius consensus ad cor perueniat, & (quod mirum est) in tanta particulæ afflictione materia ab ea ad interiora rapitur: nam propter magnam anxietatem, ac quasi seditionem, quæ in corpore oritur, subito cor (ut potest) omnes copias suas, hoc est spiritum & sanguinem ad se colligit. Sed quia bruta natura est, commodum ab incommodo non separat, omnia indifferenter aduocat: itaque simul & ea materia sæpe, quæ in exterioribus partibus insedit, eruitur, & nunc contrario impetu ad interiora fertur. Id ubicunque subito uisum fuerit, plerũque mortale existit: nusquam enim aliter ferè contingit, quàm ubi uirtus peßum iuit. Sæpe materia ad cor rapitur, & subito æger interit, aliquando in posteriorem corporis partem, hoc est dorsum incũbit, et pro fortuna discrimine nũc cõuulsiones, nunc distẽtiones eueniũt: distentiones, ubi materia in neruos extendẽtes regurgitat: cõuulsiones uerò, ubi musculos cõtrahẽtes obsederit. Sunt autẽ duplices, alij in exteriorẽ partẽ torquẽt, alij in anteriorẽ. Galenus partẽ posteriorẽ dũtaxat cõuulsiones intelligit: quia in solis anterioribus partibus, præsertim tibijs, musculi in chordas ualidas desinũt. Et ex-

Raró idem morbus exteriora & ĩteriora occupat.

Materia aliquando ab exterioribus ad interiora rapitur.

Natura intellectu caret.

Casus mortalis.

Syncope irreuocabilis.

Distentio.

Conuulsio.

Conuulsiões in partẽ posteriorem frequentiores.

perie͂tia quoq; ostendit, quòd freque͂tius in suris fia͂t conuulsiones, rarissimè aute͂ in partibus ipsaru͂ anterioribus. Malo tamen ita hanc Aphorismi partem accipere, A tergo, *id est, quandocunq; materia in dorsum regurgitat, conuulsiones fiunt &c. Ita enim suadet sequens particula, ubi inquit,* Quibusdam antè insania, *hoc est, sin autem in anteriorem decumbat, insania nascitur: quippe tam sensus, quàm intellectus in priori (ubicunque fuerit) sedet cerebri parte. Aliquando infrà subsistit materia, & in pleura͂ euadit, quæ in hoc loco raròresoluitur, magna ex parte suppuratur, quòd in secundo morbo natura debilior existat. Aliquando subtilior, hoc biliosior ipsius sanguinis pars in uentrem decedit, atque dysenteria sequitur. Recte ergo subijcit,* Quando tumores fuerint rubicundi: *nam ex tumoribus pituitosis, qui propriè appellantur œdemata, neque pleuritis, neque suppuratio, neque dysenteria fieri potest.*

Nostra commentatio.

Materia in parte posteriori conuulsiones facit, in parte priori mentem uitiat.

Tertius loc⁹ in que͂ tumores calidi aliquando euadunt.

APHORISMVS LXVI.

SI in uulneribus fortibus & prauis tumores non appareant, ingens malum.

FORTIA ac praua uulnera, ulceraque appellat, quæ in partibus sunt neruosis, hoc est aut capitibus, aut musculorum finibus: etenim musculi in medio carnosiores. Talia etiam sunt, quæ in profundis consistunt partibus principalibus, uisceribus proximis: praua priora, quia ægrius quàm in carnosis partibus coalescunt: posteriora uerò non nisi grauem fortunam sequuntur, atque ad omnes fluxiones opportuna sunt, utpote magnis uenis proxima: in ijs duobus uix talem reuulsionem moliaris, quæ ab omni tumore asserat, adeò aut dolor prouocat, uel proxima multitudo imminet. Aliquando tamen uictus impotens, & anxia, humores fluxuros retinet, aut etiamdum fluentes ad interiora reuocat. Atque id perniciosius multo signum est, quàm si postea tumores euanescerent: peius enim est, statim à principio, quàm tandem uirtutem prosterni.

Praua ac fortia uulnera duplicia.

Vulnera in neruosis partibus.

Vulnera in principalib⁹ particulis.

Tumor ferè necessario sequitur.

Perniciosius est à principio malos humores intus retineri, q̃ postea intro redire.

APHORISMVS LXVII.

MOlles boni, crudi uerò mali.

MOLLES concoctionem, aut si mauis suppurationem indicant: etem

Molles suppurationi attestantur.

etenim materia extenuata, & subsidente, tumores mollescunt: ubi autem in principio sanguis crassus est, atque efferuescit, locus copia distenditur, & tumor renititur. Elegantius tamen, & pro modo doctrinæ aphoristicæ pulchrius dixit, crudi, *quàm* duri: *nam duobus uerbis indicauit quatuor: facile enim est ex mutua inuicem collatione, molles concoctos, & duros crudos intelligere. Ita in secundo dixit, Si quidem urinæ similes sanis, tutum est corpus nutrire: sin autem biliosæ, corpus purgatione indiget.* Crudi renitũtur. Modus doctrinæ aphoristicæ.

APHORISMVS LXVIII.

DOlenti parte capitis posteriore, in fronte recta uena incisa prodest.

QVIDAM uenam appellant mediam: de quo (si recte memini) Iuuenalis, O medici mediam pertundite uenam. Putat Hugo Senensis ita Hippocratem consuluisse, quia uenæ in fronte promptiores. Sed & econuerso, si quidem dolor in fronte fuerit, oportebit aut incidere, aut scarificare partem posteriorem. Melius ergo erit affectus distinguere, atque demũ in quibus idipsum conueniat ostendere: non enim in quocunque dolore ea curatio locum obtinebit, duntaxat in eo, qui ex multitudine sanguinis fuerit, atque adeò citra corporis plenitudinem: nam ubi hæc occurrit, primùm ex brachio eam sectionem moliri oportet: ubi hoc procuratum fuerit, tũ licebit tandem ad uenam in fronte accedere: primũ enim à longinquo, deinde è uicinio, postea ex ipsa, si opus sit, parte ducimus. Non est mihi tamen uerisimile, quòd eò Hippocrates respexerit: coniector potius, eum alium affectum curare, cuius origo à fronte oritur, & paulatim labitur: nam hic optimè ipsam uenam in fronte secabimus. Ita econuerso, si quidem malum à posteriori capitis parte in priorem ruit, posteriorem partem uellicamus: nam ut uniuersales, ita particulares reuulsiones ad contrariam reuocandæ, non quidem quoduis, sed illud ex omnibus deligẽdum, à quo malum influit: & quidem copia sanguinis sæpius à priore in posteriorem, quàm à posteriore in priorem irruit. Hæc forte causa fuit, cur Hippocrates potius hoc exemplum, quàm contrarium scripserit: ferè

Media uena. Hugonis cõmentum. Affectus particularis citra totius multitudinem. Tres ordines. Nostra suspicio. Vniuersales & particulares reuulsiones in partẽ contrariam.

enim alia est materia, quæ à posteriore in priorem (aliquando in oculos) longo tempore uenire didicit: atque hîc occipitium scarificamus, incidimus, aut cauterio exulceramus, & multo spatio exulceratum damus. Interdum & eam materiam, quæ aliunde in priorem partem pertinaciter influit, in posteriorem, tãquam in nobiliorem, iisdem modis retrahimus, ut interim priorem firmemus: quod certe minime licuit, quandiu priori affectui ac fluxui obnoxia fuit. Ita enim, ut internos cum externis ruditer cõferamus, & ea parte, qua aggerẽ instituimus, prius aquam deducimus, potuit utrunque cogitasse Hippocrates.

Respectus Hippocratis.

A nobiliore ad ignobiliꝰ conuellẽdũ.

APHORISMVS LXIX.

Rigores incipiunt, mulieribus quidẽ ex lumbis magis, & per dorsum percurrunt ad caput: sed & uiris parte corporis posteriore magis, quàm anteriore, ueluti ex femore & cubito. Sed & cutis rara: indicio autem est pilus.

RIGOREM intelligit, frigidum illud, in principio febrium, quod corporis concussionem insequitur. Atque hic statim ego admiratus sum, cur Hippocrates hunc rigorem mulieribus à lumbis inchoat: nam si intellexerit simpliciter inferiorem, circa lumbos, dorsi partem, utpote frigidiorem. malè hoc peculiariter attribuit mulieribus, quia eadem comparatio partium est in uiris. Cuperem ego hîc audire, quid alij sentiant. Interim ego id in mulieribus euidentius, quàm uiris, euenire puto, ob uteri frigidi societatem. Atque ea de causa Hippocrati satis fuit in uiris posteriorẽ partem discriminasse à priore: neque hic ulla est difficultas. Nascitur altera ex eo, quod subijcit, Veluti femoris & cubiti. *nam in his raró auditur anterius & posterius, præsertim in cubito, sed potius interius & exterius. Atque distinctionis insolentiam omitto: accedit, quòd exterior pars, aut (si mauis dicere) posterior, in his magis hirta ac calida, quàm interior. Videntur mihi lapsi hîc interpretes, qui reddere debebant,* Veluti à femore & à cubito. *Nam credo ego illum hoc tãtùm uoluisse dicere, quòd sicuti rigores incipiunt uiris potius à parte posteriore, quàm anteriore, ita etiam*

Et uiris & mulieribus similiter rigor à dorso.

Nostra suspicio.

Altera difficultas.

Exterior cubiti & femoris pars magis hirta q̃ interior.

Nostra opinio.

etiam magis à partibus his inferioribus, quàm à capite & superioribus. Videbitur quibusdam Hippocrates amplius dicere, quòd frigus prius tentet dorsum ac lumbos, quàm fœmora aut cubitũ: & hæc citius, quàm manus, aut pedes, aut alia extrema. Erit etiam, qui rationem adijciet, quia (ut à principio diximus) rigores & concußiones acris materiæ excretionem sequũtur: excernitur autem à uenis potius in mediũ corporis robur, quàm extrema. Et quid ergo mirum est, quòd citius aut prius perstringitur ipsis ægris dorsum, quàm extrema? In quibusdam tamen ignauis ac pituitosis febribus, in quibus materia magis frigida, quàm mordax, extremos digitos aliquando præ frigore prius liuere uideas, quàm in dorso ullum rigorem febricitantes sentiant.

An rigor incipiat primum à manibus & pedib⁹ quàm dorso & cubito.

Ratio.

Febres ignauæ maiorem ostendunt liuorem in unguibus quàm perstringunt dorsum.

APHORISMVS LXX.

A Quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur. Si uerò prius capiãtur, & quartana superuenerit, liberantur.

SI QVIDEM Hippocrates iuxta commẽtationem Galeni significare uoluerit, quòd cõuulsio plerunque ex humore pituitoso fiat, & quòd ob eam causam raro in quartanam incidat: sermo caret omni mysterio: quippe idem multo magis de his qui laborant febre tertiana dici potuerat. Maiorem uim obtinebit, si conuulsionem potius ex melancholia, quàm reliquis duobus humoribus fieri intelligam. Atque id maxime rationi consonum apparet: nam bilis subtilior ac mordacior, quàm ut illic usque ad cõuulsionem consistere poßit: pituita ferè glutinosior, quàm ut musculos subire queat. Sola ergo melancholia ad conuulsionem particularem magis est idonea: non tamen in quartana illius est periculum, quia materia aliò incumbit, nec admodum fieri poßit, ut simul & musculos, & uenas obsideat: est enim satis modica. Forte ergo eòdem spectat, quod in fine adijcit, quòd superueniente quartana conuulsio cessat, quia materia intro regurgitat. Verùm pituita in corpore nostro multa & simul febrem, & conuulsionem facere potest. Videte an eò spectauit Hippocrates. forte conuulsionem ex flatulẽto uapore respexit, qui licet & in melancholicis turget,

Conuulsio potius ex melancholia, q̃ pituita.

Idem humor melancholic⁹ raró occupat duas partes, easq; diuersas.

Secundus respectus.

Tertius.

get, non tamē in quartanarijs tale periculum affert: nam statim febris caliditate disijcitur. Proinde uel prius natam conuulsionē ex tali causa proptè resoluit, ac finit. Verùm id & de febre quotidiana dici poterit: nam & ipsa facile flatulētam copiam discriminat, quam pituita generat. Itaque prima expositio hactenus mihi magis placet, quanquam Galeni commentationem refellere neque possumus, neque uolumus.

Casus cōmunis.

Prima expositio melior.

APHORISMVS LXXI.

QVibus cutes circuntenduntur aridæ & siccæ, sine sudore moriuntur: quibus uerò laxæ & raræ, cum sudore moriuntur.

Cutis arida.

Cutis humida.

CVTEM aridam & siccam dixit, quæ alieno, hoc est, aliunde affluente, & suo caret humore: econtrario laxa est, & mollis, quæ altero, aut utroq; madet. Ac tali quidem cute æger præditus cum sudore non potest non mori: nam in moribundis semper omnis uis naturalis, & uitalis exoluitur, & quod est sub cute humidum, soluta cute necessario elabitur. Confert hic Aphorismus ad cognoscendum morbi modum, atque adeò terminum, ne quis indoctus uitam speret ex eo, quod imminentem atque iamiam instantem mortem significat.

Aphorismi ratio.

Crassus uulgi error.

APHORISMVS LXXII.

QVi regio morbo laborant, non multùm uentosi sunt.

Morbi regij duplex occasio.

Caliditas flatus non generat, sed dissipat.

REGIVS morbus bifariam nascitur: raro, quia cholera per uniuersum redundat: sæpius uerò, quia sua craßitudine aut multitudine meatum aliquem inter hepar & intestina obturat. Vtrunque uitium ex caliditate oritur, quæ flatus raro gignit, sæpius disijcit. Raro etiam in his locis peccante cholera in uentriculo abundat flatulenta pituita. Potest tamen in hoc affectu uel ex sola uentriculi frigiditate, alimenti aliqua pars in uaporem conuerti, quam nunc intemperaturam Galenus in commento imbecillitatem appellat. Sæpe etiam morbus regius oritur citra multitudinem aut craßitudinem choleræ, ex pituita prædictos meatus obstruente: atq; tales icterici possunt esse uentosi: nam ijs hepar potius frigidū, quàm calid

Tres casus in quibus icterici deprehenduntur flatulenti.

calidum, quinimo & ubi cholera sua craßitudine impingit, sæpius hepar est frigidum: nã multus, aut mediocris calor, potius tenuem gignit, quàm uitellinam adurit, tam raro ictèrici sunt uentosi. Quòd si quando illis accidat, parum tamen tales fiunt utrunque, forte alterum tantùm, Hippocrates intellexit. Possumus ergo Hugoni Senensi condonare, quòd multos ictericos flatulentos uiderit: nunquam tamen feremus, quòd per ictericos, sanos, sed flauo colore egregiè præditos, forte admodum biliosos intelligit: nam commentatio est absurda & superuacanea.

Nõ multum, dupliciter exponitur.

Hugo Senensis nouo modo per ictericos sanos, sed biliosos accipit.

APHORISMOR.

LIBER VI.

APHORISMVS I.



IN longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus superueniat, qui prius non erat, signum bonum.

PRIMVS liber ferè uictum descripsit. Tertius morbos iuxta tẽpora anni, & discrimina ætatum distinxit. Quartus excrementorum, euacuationum, crisium rationem reddidit. Quintus de muliebribus incõmodis disseruit. Secundus, sextus, septimus, signa morborum bona & mala inquirunt. Primus Aphorismus spem in leuitate intestinorum ostendit: ita fluxum eum appellamus, qui cibum reddit, ferè eo modo, quo accepit, hoc est crudum. Miratur ergo Galenus (quod & nos aliquando mirati sumus) cur leuitas intestinorum potius, quàm uentriculi appelletur, quando in eo potius penes uentriculum, quàm intestina noxa est. Galenus tamen paulo acrius æquo in hac re ueteres accusat: nõ enim morbus semper nomen suum accipit à symptomate æquiore, sed manifestiore, & uulgariore. Nũc certè in hac leuitate intestinorum, uulgo notior intestinorum casus, quàm uentriculi. Omitto, quòd nomine intestinorum aliquando omnia intera-

Librorum argumenta.

Leuitas intestinorum.

Morbus sæpe nomen accipit à notiore symptomate.

nea compręhenduntur: non est tamen uerisimile, quòd eò ueteres respexerint. hæc de nomine. Accedit alia disputatio de ipsa re, ecquid leuitas intestinorum potius trahit, quàm cholera (nam hæc inter peracutos numeratur) quum in utroque affectu, quicquid insumitur, recens eijcitur. omitto, quòd pauci ex sanis septem dierum spatio integram inediam ferre possent: nec tamen quicquam interest, an alimentum desideres, an statim acceptum reijcias. Atque id est, quod in definitione leuitatis intestinorum plerique omiserunt: non enim totus cibus crudus deijcitur, sed magna ex parte: tenuißima enim eius portio cõcoquitur, & in corpus distribuitur, ac tanto mitior est, quàm integra inedia. Est & ipsa cholera multo lentior: nã in cholera utraq; purgatio prouocat, in leuitate uerò non nisi parte altera. Iã in cholera sæpe uniuersum corpus affatim exhauritur, in leuitate uerò intestinorum solus fere uenter. Igitur leuitas intestinorum inter lõgos morbos rectè numeratur. Altera tamen altera breuior: breuißima est ex ulcere uentriculi: etenim nisi id prompte curetur, mors admodum differri nequit, & ferè ex calido humore initium accipit, qui facile uincit, ac uincitur. Eadem de causa et quæ ex calido humore, uel citra ulcus excitatur, breuiter terminatur: facile enim hic humor exhibitam hieram sequitur. Sed neque lentus aut lubricus in uentriculo humor ægrè dissecatur, abstergitur. Sola ergo illa diuturna admodum est, quæ ex longa ipsius frigiditate oritur: semper enim fuit difficilius antiquam & deperditam particulæ indolem reponere, quàm immersum obiter humorem eruere. Atq; in hac sola ructus insipidus, ac demum acidus, quid firmũ significat: nam in prioribus à principio aliquis eleuari potest, ac naturam humoris declarat: hic uerò auspicium aliquod, aut initium futuræ concoctionis præsagit.

Cholera acutior quàm intestinorũ leuitas.

Mitior leuitas intestinorũ quàm media.

In cholera exhauritur uniuersum corpus.

Leuitas ex ulcere pręceps.

Leuitas ex frigido humore.

Longisſima lienteria ex intemperatura frigida.

APHORISMVS II.

QVibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus uerò contraria, salubrius degunt.

NARES hument propter cerebri frigiditatem, non tamen ob cor-

poris

poris frigiditatem, & ipsum quoq; semen est humidius, sed ob humiditatē tantùm. Poterit ergo Hippocrates simpliciter dicere, Quibus natura humidior. *Sed maluit simul & temperamentum, & temperamenti no tam uno uerbo dicere. Nec temere nares & semen humidū præ alijs partibus elegit, sed totius corporis humiditatem ijs uerbis significauit: non enim est uerisimile, medium corporis robur aridum esse, ubi superiores et inferiores particulæ, atq; adeò principales madent. Et quòd humidi minus integrè ualent, quàm sicci, cum ijs quæ in tertio Aphorismorū dicta sunt, consonat. Vnus tamen locus in tertio Epidemiôn dissentit, qui ijsdem ferè uerbis contrarium prædicat, atq; eos quibus nares & genitura humidior, felicius uiuere asserit. Multū in hac difficultate laborauerunt Forliuius Marsilius, Hugo Senensis: nec alteri placet, quod cum altero cōuenit. Mihi duplex responsio occurrit: nam saniores in epidemijs humidos dixit, aut quia uiuunt diutius, aut quia nutriuntur melius. Atq; id est mihi uerisimilius. Iam hæc inuicem rectè sedent, quòd humidi felicius nutriantur, & tamen (nisi cautè sibi prouideant) sæpius ægrotant: quippe & mulieres, & reliquæ naturæ frigidæ, tempore hyemis melius appetunt, concoquunt, & tamen pluribus, quàm æstate, morbis obnoxiæ existunt.*

Duobus uerbis totius corporis notauit humiditatem.

Humidi magis obnoxij morbis.

Magna uerborum controuersia.

Duplex responsio.

Humidi uiuaciores, & nutritione feliciores.

APHORISMVS III.

IN longis difficultatibus inteſtinorū, cibi faſtidiū, malum, & cum febre peius.

CHOLERA *promptè intestina exulcerat: melancholia ac pituita non, nisi longiori tempore. In hac igitur egregiè perniciosum est appetitum omnino aboleri: nam pituitam non amplius simplicem, sed putridam significat, eamq; excellenter, utpote quæ suo loco non circunscribitur, sed usq; ad stomachum aspirat. Multo maior putredo esse debet, quæ febres parit. Rarò igitur pituita in hoc loco appetitum deijcit, aut febrim inducit. Quòd autem cholera utrunq; faciat, nouum non est, quia calida existit. Est quidem uerum, quòd pituita citius putrescit, quàm cholera: sed caliditas quam pituita acquirit à putredine, multo minor est ea, quam cholera habet à sua origine.*

Pituita utpote frigida per se neq; appetitum deijcit, neq; febrem parit, duntaxat corrupta.

Cholera simplex calidior apparet pituita putrefacta.

APHORISMVS IIII.

VLcera circumglabra, praua sunt.

SCIO quòd uegetes plantarum radices terram pertinaciter amplectuntur, ita ut ne minimam plantam multis uiribus poßis eruere: ecõtrario emortuis radicibus ultro discedunt, ut poßis maximam arborem minimo impetu sternere. Sed mala hæc cum pilis, meo iudicio, Galeni comparatio: non enim radices pilorum amplectuntur cutem, aut carnem, sicuti radices plantarum terram (etenim pili corpora inanima sunt) sed figũtur in cute, tanquam stilus in terra. Non figitur autem in quauis terra, duntaxat in solida: ita neq; pili in quauis cute constant, duntaxat crassa, ac mediocriter sicca. Quid ergo attinet, de corruptionibus radicum in pilis dicere? omitto, quòd pili, corrupto illorum alimento, prius ferè corrumpuntur, quàm collabũtur. Indicio cani in senibus, & uarij in alopecia & ophiasi. Ergo potior causa, quam alibi diximus. communiter tamen & mihi & Galeno hæc glabricies uulneris (quod siccari debuit) sordiciem significat, ac parum quidem esset, ipsam partem uulneratam glabram esse, aut sordere, sed (quod peßimum est) & uicinas in confinio partes societate eius clã putrescere significat.

Comparatio pilorum cum plantis apparet iniqua.

Pili figuntur in cute, quasi pali in terra.

Pili corrupti poti⁹ colorẽ mutant q̃ elabuntur.

Glabricies etiã proximas partes sordescere significat.

APHORISMVS V.

DOlores laterum, pectoris, & aliarum partiũ, si multum differant, sunt cõsiderandi, perdiscẽdum.

DIFFERENTIAE dolorum multa indicant. Primùm humorum discrimen ostendunt: pulsatilis dolor multitudinẽ, punctilis cholerã, ignauus ac grauis pituitam, melancholiam, ingens distẽtio flatus copiam. Arguit secundò differentiam partium: membranosæ plerunq; punctilem dolorem patiuntur, carneæ grauem: argumento pleuritis, & pulmonia, in pleuritide acutus, in pulmonia grauis. Ita & in intestinis quamuis à flatu acris, in carne hepatis etiã à bilioso sanguine grauis. Causa discriminis est, quia in membranis sensus plurimus, in carne modicus: sic & in uesica dolor intolerabilis, in renibus grauis tantùm. Ostendunt tertiò morborum

Dolor distinguit differentias humorũ.

Membranæ dolorem punctilem patiũtur.

Caro grauẽ.

inuicem magnitudinem: non enim in omnibus, qui pleuritide laborant, eadem fortuna: quibusdã terminatur pleuritis nono, undecimo die, quibusdam differtur usq; ad quadragesimum. Poteris cognoscere ex alijs, sed & dolor tibi discrimina dicet: magnus dolor prænunciat breuem finem, paruus admodum remotum. Causa interest: magnus dolor, biliosi sanguinis copiam conqueritur, paruus uerò pituitosi fortunam: nunc multo citius finitur biliosus, quàm pituitosus. Morborum ex dolore magnitudo.

APHORISMVS VI.

REnũ & uesicæ uitia in senioribus difficulter sanantur.

NIHIL refert, an Senibus, an Senioribus legeris: difficilia in senibus, difficiliora in senioribus, hoc est decrepitis. Sed neq; de istis tantùm, sed de omnibus morbis licet dicere, quòd in senibus quàm alijs difficiliores, propter caloris inopiam. Placuit tamen magis hæc, quàm alia exempla apponere, quòd ij inter reliquos morbos sunt difficiliores: lapidem uolo dicere, & calculum. Addo, quòd uesica inter reliquas partes insigniter frigida, sed nec renes quoq; admodũ calidi. Iam in ambobus difficilem cõmuniter curationem facit locorum profunditas, ita ut medicamenta uirtutem suam ferè amittant, priusquam eò ueniant. Quòd si ob hoc admodũ fortia compararis, periculum est, ne partes intermedias uiolent. Iam curatio ulceris renũ & uesicæ: dißimulatis omnibus prioribus incommodis, duas alias præ alijs partibus habet difficultates: etenim perpetua aliena madent, & exercentur saliua. Non minima hæc sunt impedimenta: nam pars ulcerata & quiescere, & exiccari desideret. Hoc tamen incommodum commune est, & ad ipsos iuuenes.

Omnes morbi in senibus difficiles.

Lapis & calculus morbi difficilimi.

Profunditas locorũ difficilem curationem facit.

Duobus nominibus cõmuniter renes & uesica curantur prę alijs partibus difficilius.

APHORISMVS VII.

DOlores uentris sublimes, leuiores: qui uerò nõ sublimes, fortiores.

MAIOR obscuritas in uerbis, quàm ipsa re. Sublimes uocat exteriores, non sublimes profundiores, altiores, aut interiores. Non sunt autem hi tantùm fortiores, sed & periculosiores: fortiores quidem, quia in parti-

Dolores interiores grauiores & periculosiores.

Interiores particulæ plereq; publicæ, exteriores priuatæ.

Interiora maiorem habēt societatē cū principalib⁹, quàm exteriora.

bus neruosis periculosiores, quia in interioribus: exteriores enim priuatæ, interiores ferè publicum aliquod munus habent: nam uel intestina cōmunem commeatum excrementis præbent. Iam interiora magnam habēt cū alijs publicis societatem, quarum opus, tametsi principale non sit, tamen plerunq; citra uitæ periculum diu desiderari nequit. Argumento manifestè dolor colicus, ad exteriorem aliquem dolorem comparatus.

APHORISMVS VIII.

AQua inter cutem laborātibus, ulcera in corpore facta, difficulter sanantur.

Malus habit⁹ debet tolli ante ulcera.

Siccitas similaris, & humiditas instrumentalis unionem impediunt.

Vlcera hydropisim ostendunt incurabilem.

VARIAE huius rei causæ. Prima est, malus hydropicorum habitus, in quo calor constare nequit, cui à principio omnis curatio incūbit. Secunda est corporis siccitas, nec minus obest (quod mirum est) cum eadem coniecta extranea humiditas: utrunq; curationem prohibet: neq; enim ulcera curari possent, antequam exiccentur: & rursum difficilius coeūt, aut regenerantur partes ex natura siccæ, quàm humidæ. Non oportet autem dicere, quàm ferè insanabilia sint hæc ulcera: quoniam ipsam hydropisim mortalem denunciant, modò citra ullum externum accidens, ratione hydropisis oriantur: nam putrefactum serosum succum significat. Itaque difficultas & periculum utrinq; innectitur. Si quidem enim morbum, hoc est frigiditatem hepatis calido medicari uelis, putredinem auges: sin autem frigido putredinem tollere uelis, morbum alioquin maximum exasperas.

APHORISMVS IX.

LAtæ pustulæ non admodum pruriunt.

Pruritus dolor cum uoluptate quadā.

Pustulæ & pruritus ex omni dolore.

Pustulæ pituitosæ latiores, biliosæ acutiores.

PRVRITVS dolor quidē, tamen non sine uoluptate oritur, quia humor molestus foras pellitur: ex omni humore fieri potest. ita & pustulæ discernūtur, quia pituitosæ latiores: etenim cholera, ut calida & subtilis est, quodam modo in acutum fastigiatur, pituita segnis est, & late funditur. Hugo Senensis contrà herpetem affert, in qua cholera magis, quàm pituita in œdemata spargitur. Et ne à proposita decedamus scabie, biliosa scabies sæpe citra ullos euidentes pustulas latè spargitur, pituitosa in mul-

tas pustulas assurgit. Sed quid his rebus Hugo Senēsis uelit facere, nescio: nam pustulam pustulæ comparamus. Est autem certum, quòd pustula biliosa magna ex parte acutior, & coactior, quàm pituitosa: aliquando etiā tā subtilis, ut ne cutem omnino ulceret, sed supra cutem erumpere festinet. Ita & biliosi tumores plerique magis in conum assurgunt, quàm pituitosi. Verum aliquando tam fusa est ipsa bilis, ut nullo modo cogatur, sed latè in omnem partem fundatur. Craßior uerò cholera in acutum tendit. Est ergo hoc secundum inter utranq; speciem discrimen, quòd pituitosa admodū humida, biliosa uero magis sicca, atq; adeo hìc magis excitat qualitas, illic magis grauat quantitas. Vnde & hoc euenit, quòd in latis aut pituitosis minimus pruritus: neq; enim pituita per se calida est, aut pruritum facit, sed per accidens, quando fuerit putrefacta. Idē euenit, ubi cum his ulcera nascuntur, quæ psydracia dicunt. Sunt autem, mea quidem coniectura, in quibus parua illa animantia oriuntur, quæ sub cute cum maximo pruritu, longos & subtiles tractus moliuntur, & effodiunt. Appellant autē ea quidem sic tanquam à frigore, forte frigidiore humore facta. Mihi magis placet, ut ab ipso animalculo ita dicantur. Alludit uel hodie uulgaris appellatio, qua pueri nostri ea paßim syracia, aut syrones, appellant: quippe uel multa alia hodie sunt, quæ nostra lingua à Græcis est mutuata. Fateor tamē, quòd uel hæc animalcula à frigido humore potius nascūtur, quàm calido: nam ab amaro calido admodum, aut sicco, animalia potius interimuntur, quàm gignuntur. His duobus modis pituita, sed per accidens, pruritum mouet. Ita neq; ex melancholia ullus effatu dignus à principio pruritus oritur, sed tandem ubi putruerit, pertinax proculdubio, adeo ut sæpe citius cutem & carnē descalpas, quàm pruritum tollas: etenim ob crassitudinem exire nequit: sed altè in ipsa carne materia insedit. Hæc sunt, in quibus Hugonis commētatio consistit, qui nihil aliud mihi uidetur uelle, quàm rem manifestam perplexis ambagibus confundere, nam neq; de bothor, quid uoluerit dicere, satis memini.

Inane Hugonis argumentum.
Facilis respōsio.

Biliosa scabies sicca, pituitosa uerò humida.

Psydracia quæ.

Calidus & siccus humor potius animalia interficit quàm gignit.
Ex melāncholia rarus, sed pertinax & intolerabilis pruritus.
Hugo.

APHORISMVS X.

CAput dolenti, & uehemēter laboranti, pus, uel

aqua,

aquā, uel sanguis effluens per nares aut os, aūt aures, morbum soluit.

CERTVM est, quòd Hippocrates de doloribus materialibus loquitur: neque rursum quibusuis, sed qui materiam continent effatu dignā: reliqui enim uel uaporoso spiritu, aut breui materia citra ullā sæpe manifestā euacuationē finiūtur. Sūt alij, qui fiunt ex multitudine sanguinis caput distēdente, hos iuuat sanguinis per nares effusio. Aliquando inflāmatio sequitur, hæc quoque concocta per nares expurgatur. Idē euenit, dum suppuratur, sed hîc pus, illic uerò aqua, hoc est humor concoctus exit: nā per aquam omnem alium humorem intelligo, etiā melancholiā, & choleram, nedum pituitam. Nescio ergo qua de causa Galenus in dolore capitis ex multitudine sanguinis & choleræ aliam ab hac curationē quærit. Fateor, quòd in morbis cholericis minorem grauitatem inuenias, & quòd in pituitosis magis apophlegmatismi conueniant: tamen generalis curandi ratio eadem: nam materia, quam appellant coniunctam, aut insidentem, semper oportet purgare per uiciniora. Nempe communis & antecedens nunc purgatione, nunc sectione tollitur, & aliquando etiam totus dolor per hæc sola soluitur: euicta enim materia antecedente in uenis, facile expugnatur, ac sequitur secunda. Propterea lubens dabo Galeno in commento, quòd ea nequaquam sola sunt doloris capitis remedia, sed particularia tantùm. Verùm hunc locum paulò obscurius in commento expressit Leonicenus. Sed & illud quoque demiror, quòd Galeno hic sermo aliqua ex parte rimosus uisus fuerit, nisi forte respicere uoluerit, quòd quidam dolores capitis, solis tandē topicis fomentis curentur: nam certum est, quòd particularem curationem Hippocrates in hoc loco tantùm spectarit.

Sanguinē & inflammationem nares expurgant.

Per aquam omnis humor alius à sanguine auditur.

In pituitosis magis conueniūt apophlegmatismi.

Communis aut antecedēs materia.

Doloris capitis remedia particularia.

Iniusta Galeni querela.

APHORISMVS XI.

MElancholia & nephritide laborantibus, hæmorrhoides superuenientes, bonum.

PRIOR pars est manifesta per se: nam siue melancholia fuerit ex succo melancholico, siue ferina dementia, ex bile adusta, utrunque humorem

morem prompte expurgant hæmorrhoides. Sed non uideo, quid conferãt renum paßionibus: non enim calculo aut lapidi quicquam conducunt, ne ulceribus quidem. sed neque in inflammationibus ipsorum quisque unquam cogitauit hæmorrhoidas citare, sed in principio cubitum secat, postea poplitem captat. Ego igitur & interpretum & commentatorum omnium supinitatem demiror: nam certum est, quòd à principio pro Nephriticis, Phreniticis scriptum erat: atque ijs aliqua ex parte conferre potest: nam per hæmorrhoides non solùm consuetus sanguis abit melancholicus, aliquando etiam pituitosus ac biliosus, quomodo per uterum ex consuetudine quidem abit menstruus, tamen & suo tempore aliquando quiuis alius. Forte etiam in phreniticis non intellexit solam inflammationẽ, sed & omnem aliam insaniam.

Hemorrhoides utriq; mẽlancholiæ cõferunt.

Vitiata lectio.

Per hemorrhoides, & uterũ quiuis sanguis abire potest.

APHORISMVS XII.

ADiuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una nõ seruatur, periculum est aquam inter cutem, uel tabem aduenire.

SAEPE urget hæmorrhoidarũ consuetarum suppreßio: aliquando etiam fatigat ipsarum superfluus effluxus: atque hîc sequuntur uarij & inexpugnabiles tandem morbi, nisi subito cogantur, ubi sanguis rubicũdus exire incipit. Facimus autem id aliquando obiter quibusdam ex decocto adstringentium fomentis: neque hîc quarundam discrimen facimus, omnes similiter adducimus: uix etiam fieri poßit, ut ijs medicamentis quasdam cogas, & unam omittas: aliquando quibusdam linimentis, unguentis multo potentioribus eas perpetuum claudere uolumus: atque hîc unam seruare possumus, & debemus, non quidem simpliciter apertam & laxam, sed talem, quam natura per se suo tempore aperire poßit: id non licebit, ubi cicatricem duxit. Nam ut alibi diximus, in quouis ferè alio loco citius rumpetur cutis, quàm in eo ipso.

Leuis omniũ hemorrhoidũ astrictio.

Nõ licet perpetuo omnes clausas tenere.

Cicatrix duri or reliqua carne.

APHORISMVS XIII.

ASingultu correptum, sternutatio superueniẽs, liberat.

Sternutamētum in singultu subinde nocet.

HABITVM, hoc est, uehementer uexatum & fatigatum: euenit autem id aliquando propter immodicam ipsius siccitatem: neque hîc ullo modo sternutatio conuenit, magis oberit in magna aliqua, & præsertim immatura inflammatione. Ergo Hippocrates loquitur de eo, qui ob modicam materiam, sed pertinaciter uentriculo imbibitam, oritur: & sæpe hæc eò difficilius excernitur, quò est minor: nam hæc expulsio per compreßionem obitur. Exprimitur autē aliquando ægrius è manibus nostris res parua, quàm magna: nam & cum maiori labore eam cõprahendimus. In hoc casu sternutamentum ciere conuenit: nam per sternutamentum spiritus, quo uniuersum corpus turget, potenter exigitur: non potest autem affatim excerni spiritus, & relinqui, quod in iisdem meatibus est: nam & tibicen suas fistulas suo spiritu etiam à minimis rebus expurgat. Atque hæc de Aphorismi sententia. Facit nobis iterum in commento nouam difficultatem Galenus, ubi tertio singultus ex frigore meminit. non enim possum intelligere, quare hunc ad repletionem refert, quum ipsum frigus subito peruia puerorum, aut etiam aliorum corpora percutere per se sufficit, ac singultum, tußim, sternutamentum facere: forte & calor, si quidem has partes obiter mordeat, idem faciet. Nunquid ergo nunc & calorem quoque implere dicet? certe aliquis ex uulgaribus melius de hac re diceret. Neque tamen ob id Galeno insultandum: nam doctißimis aliquando talia obueniunt, uel aliud agentibus, uel multo labore fatigatis: forte illum decepit, quòd ut conuulsionem, ita singultum ad duas causas referre didicit, repletionem, & inanitionem.

Sæpe res modica ægrius excernitur, q̃ res magna.

Vbi sternutamentum singultui ꝓdest.

Galeni admirabile cõmētum.

Tam calor q̃ frigus aliquãdo subito mordet, tussim, singultũ, & sternutamentum mouent.

APHORISMVS XIIII.

HYdrope correpto, si aqua è uenis in uentrem defluxerit, soluitur morbus.

Hydropisis duo mala cõiungit.

AQVAE inter cutem simplex nomen, sed duplex morbus. Prior est maxima intemperatura hepatis. Secũda est tumor uentris. nunquam ergo totus morbus eruitur, nisi intemperatura hepatis castigetur. & tumor uentris expurgetur. Argumento, quòd per fas & nefas medicamētorum, sæpe tumor uentris exhauritur, sed statim post aliquot dies rursus tumor

mor reuertitur. Sic & in moribundis quibusdam exoluta uirtute, corpus uniuersum laxatur, & tumor uentris magna ex parte soluitur. Est tamen magnum curationis initium, ubi uirtutis studio aut post concoctionem, diligenti medicorum opera, uenter euacuatur: prompte enim hic, quod deest (ubi tota saburra excreta est) hepati reponitur. Iam ferè à natura, atque etiam à medicamẽto prius educitur materia antecedens è uenis, quàm coniuncta ex spatio uentris: intelligo autem uenas nunc tam hepate superiores, quàm ipsi hepati insertas. In curatione ergo hydropisis hæc debet obseruari ratio. Primùm medicari oportet materiam, quam appellant antecedentem, quæ in hepate atque eius uenis sedet: nam licet coniuncta, quæ in uentris turget spatio, sit serosa, ac tenuis, tamen illa crassa est, atq; impacta, ac talis, quæ pertinaciter prohibet, ne coniuncta materia in uenas hepatis resorbeatur. Proinde uulgus medicorũ, qui ad purgationes in hoc morbo festinant, potius ipsum ægrum uiolant, quàm ægritudinẽ purgant. Primùm ergo materiam antecedentem hanc concoquere, attenuare, & purgare oportebit, nec difficile sequetur: erit operosius spatium uẽtris exhaurire, & hanc ipsam materiam ad uenas hepatis reducere. Hoc est, quod nunc respexit Hippocrates. Quocirca manifestum est, quòd reliqui interpretes melius reddiderũt, Per uenas: *quàm Leonicenus,* E ue nis. *Neque hoc admirandum, quòd materia hæc potius per uentrẽ, quàm uesicam decedit: nam copiosam in hac parte materiã semper natura magis didicit expurgare per uentrem, quàm uesicam. addo, quòd neque idem compendium, quando hæc materia magis respicit cauam, quàm gibbam hepatis partem. Nouißimè & illud oportet adijcere, quòd quamuis alibi in habitis aut extenuatis à morbo periculosum sit alui profluuium, minus tamen in hydropicis: quia ij ex natura morbi attenuantur semper: nõ enim potest officium hepatis intercipi, & corpus eleganter nutriri. Ita & in sequenti Aphorismo extenuatio graui suspicione caret.*

Sæpe tumor uẽtris exhauritur, & æger moritur.

Primò incũbendum materiæ antecedenti in hepate & uenis. Secundò tumori.

Materia in uenis crassa, licet in uentre tenuis & aquosa.

Materia & consuetius & compendiosius euacuatur per uentrem quàm uesicã.

Extenuatio in hydropicis minus periculosa.

APHORISMVS XV.

Longo alui profluuio laboranti, spontaneus uomitus superueniens, morbum soluit.

Galeni commentatio suspecta.

FERE Galeni commentum breuius ipsa Hippocratis sententia, & meo quidem iudicio, magis obscurat, quàm explicat, quando hoc remedium ad reuulsionem comparat: quippe reuulsio non nisi duobus modis obitur, aut ad reuellendum id quod morbi augmentum minatur, aut ad retinendum quod influit. Neutro modo uomitus alui profluuium reuellit: nam neque succus iste in uentriculo concoctus ac retentus, malum minatur, neque uomitus ipsum in medio suspendere potest, quomodo effluxus menstruorum, aut hæmorrhoidum superfluus, aliquando per cucurbitulas superioribus partibus affixas, aut sectionem uenæ in brachio, in medio corpore retinetur: saltem in tali alui profluuio, multo potius est uentrem & intestina firmare, quàm uomitum prouocare. Parum igitur superest mihi, quo Galeni commentationem retineam: sed malo, tanquam bonum signum, uomitum accipere, quòd nonnihil uentriculi inferioris robur repositum significet: ita enim & in alijs omnibus diuturnis euacuationibus tandem retenta materia, naturã insolenter habere solet, & quacũq; potest exitum quærit. Sic constante uentre, solet ad superiora repere, & aliqua ex parte efferri. uerũ tandẽ natura assuescit, atq; lubenter amplectitur. Eodem modo & in leuitatibus intestinorum, ructus acidus tandem superueniens bono erit. Quare autem ibidem de longis tantùm intestinorum leuitatibus loquebatur, dictum est antea. Ob eandem ferè causam & hîc longum *addidit: nam in breuioribus sæpe simul & uomitus lacessit, ut in cholera, & periculum geminat. Sed neque in longis periculo uacat uomitus, qui diutius uexat: etenim is potius significat per inferioris partis affectum superiorem offensam, quàm inferiorem confirmatam.*

Vomitus in longo proflu uio non est bona causa, sed tãtùm bonum signũ.

Ructus acidꝰ & uomitus eiusdem naturæ.

Rectè longũ adiecit.

Vomitus diu turnus malo est.

APHORISMVS XVI.

PLeuritide & peripneumonia correpto, alui pro fluuium adueniens, malum.

In extenuatis atq; adeo ante concoctionẽ, deiectionẽ multa potius signum impatiẽtię morbi, quàm fortitudinis naturæ.

VBI præter morbi rationem quis extenuatur, aut debilitatur, non est uerisimile, quòd natura tam potens sit, ut per se, ac suapte sponte aliquam diligentem euacuationem faciat: uerisimilius est, quòd ob impatientiam morbi decedat. certiorem cõiecturam facit, si quidem aut in principio

pio, aut certe ante concoctionem perfectam in augmento apparuerit: etenim hîc ferè recidiuam, illic autem mortẽ præostendit. Ferri potest e contrario, ubi in statu ac post perfectam concoctionem successerit: quoniam & pleuritis, licet rarò, ita per uentrem finitur. Scio quòd rarum est in suppuratis, at in his inflammationibus, quæ concoquuntur, facilius & frequentius. Mirum ergo est, quòd quidam (si rectè memini, Auicenna ipse) fluxum in principio pleuritidis meliorem, quàm in fine habẽt. Credo ex hoc loco deceptus Auicenna ita collegit: Hippocrati in fine est malus, ergo in principio bonus. Verùm aliter illum supputare oportuit. nam & qui hîc ab Hippocrate damnatur, in principio lacessit, & rarò admodũ pleuriti crisis per uentrem contingit. Hæc est forte causa, cur hîc simpliciter malum definiuit, in hydrope uerò bonum: uix enim aliter materiam hydropisis, quàm per uentrem exhauriri contingit.

In statu oĩs euacuatio bona.

Error quorũdam.

Auicẽna malè collegit.

In pleuritide fluxus uẽtris malus, in hydropisi sæpe utilis.

APHORISMVS XVII.

Lippientem alui profluuio corripi, bonum.

LIPPITVDO (ut in tertio diximus) oculorum iusta ex sanguine inflammatio, quam nullo modo decet abire per uentrem, sed potius abduci per uenas. Nec proderit dicere, quòd per ophthalmiam Hippocrates intelligat omnium oculorum dolorem: quia Galenus in commento plenitudinem humorum respicit, quod de sola sanguinis copia dicere solet. Sed neque aliter Hippocrates nomine ophthalmiæ uti consueuit. Melius ergo est, iterum plenitudinem diuidere: nam (quod in alijs locis diximus) nõ est sanguis semper mediocris, aliquando multa bili permistus, certe inflãmatio sæpe erysipelatis particeps, imò aliquando in ea magis urget bilis, quàm sanguis, aliquando utrunque ex æquo. Atque hîc primùm deceret mittere sanguinem, secundò præscribere purgationem. Sed aliquando ægri pusillanimitas prohibet, atque phlebotomia omissa, eius loco solius bilis purgationem expostulat. Idem multo magis in priori inflammatione facere licet. Quòd si de talibus inflammationibus locutus sit Hippocrates, nimis obiter Galenus nobis solam humorum abundantiam obijcit: nam non nisi uitium humorùm per uentrem prouocatur. Iam neque illud æsti-

Lippitudo potius abit p nares, quàm per uentrem.

Inflammationis multæ differentiæ.

Solum uitiũ humorũ per uentrẽ abit.

Per uniuersales has purgationes ferè sola abit materia proxima.

mare oportet, quod per purgationem uentris, aut etiam missionem sanguinis euacuetur omnino foras, materia inflammationis in oculis concepta, satis quòd educatur, quæ in uniuerso corpore fluctuat, & materia parti affectæ proxima: semel enim finita materia antecedente (ut uocant) facile exoluitur ea, quæ superest. Sic & in febribus expurgata materia, quæ est fomentum totius morbi, facile euincitur portio aliquorum paroxismorũ sequentium.

APHORISMVS XVIII.

VEsica discissa, aut cerebro, aut corde, aut præcordijs, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut uentriculo, aut iecore, lethale est.

Partes exulceratæ quietem postulant.

POTEST reddi una ratio omnium, quia ulcera saltem magna quietem postulant, ac quasi sibi soli uacare debent: id autem non licet publicis, aut (si sermonem magis naturalem facere uolumus) ijs particulis, quæ uniuersi corporis seruiunt partibus: tales sunt, quas hic numerat omnes, uesica, intestina, quasi uniuersi corporis sentina sunt, atque continuè ab excrementis seruiunt, & eorum atteruntur commeatibus. Septũ transuersum mouetur cõtinue, quũ nemo ne digitum aut manũ (quam curari uelit) mouere tentet, sed suspensam tenet in pectore: motus enim magis uiolat, ac prouocat. Cerebrum, cor, uẽtriculus, hepar, etiam à suis exercẽtur operibus: certè nihil istorum (excepto septo transuerso) est, quod non semper multo madeat succo. & quomodo ergo magna in ipsis uulnera, quæ insigniter exiccari postulant, ad conglutinationem peruenient? Omitto, quòd ex ijs quædam etiam membranosa existant, atque ægrè admodum, aut non nisi longo pòst tempore, atque infracta medicamenta recipiant. Tot sunt causæ, quæ difficilem aut impossibilem curationem faciunt, nõ quòd statim interficiant: nam quædam multis mensibus, multis annis trahunt. Principalia tamen uiscera nõ diu mortem differunt: non enim diu legitimum illorum munus citra mortem desiderari potest. Proinde falsum est, quod quidam dicunt, sese altissima, hoc est profundissima hepatis uulnera curasse, aut etiam fibris hepatis

Cerebrũ, cor, hepar, à suis exercentur operibus.

Tres causæ difficilis curationis.

Legitimum uiscerum munus diu desiderari neqt.

tis abscißis, hominem restituiße: uix enim parua in eo uulnere curantur. Quòd autem hanc commenti partem & neglig ẽter, & malè Leonicenus reddiderit, tum ex collatione Græci exemplaris, tum ex ratione, quæ paulò antè præceßit, atque adeò ex ipsa re facile est cognoscere. Leoniceni lapsus.

APHORISMVS XIX.

CVm discissum fuerit os, aut cartilago, uel neruus, aut genæ particula tenuis, uel præputiũ, neq; augetur, neq; coalescit.

SOLIDAE partes bifariã audiuntur: aliquando contra humores & spiritus distinguũtur, aliquãdo etiã cõtra carneas. Putat Galenus has solas natas ex semine, & ideo renasci non posse, quia materiã desiderant. Quantum hæc opinio à ueritate discesserit, uideor mihi ostendisse alibi in quadam seorsum illi dicata disceptatione. Sed & ea, quæ hic referuntur, ab eadem dissentiunt: nam ut maxima ob eam causam illarum iactura recreari nequeat, non uideo cur hoc ipsa coalescere impediat. Certum ergo est, quòd sola siccitas in causa existat. Duo eius rei signa: alterum est, quòd non ubique eam difficultatem præstent, duntaxat in prouectis, in pueris enim coalescunt sæpe. Posterius ex rebus externis sumitur: nam uel hic humida eleganter inuicẽ unies, ac compaginabis, sicciora uerò glutino egent. ita & cutis, ossa, nerui, per se non coëunt, sed interceßione eius, quod glutini uicem præbeat, inuicem accedunt. Multo minus uerum detrimẽtum illis reponi poterit: non enim tantùm siccæ, sed & frigidæ hæ particulæ existunt. Vtrunque intemperamentum ad nutritionem inidoneum: uix enim tempore sanitatis cõmodè nutriuntur: & quomodo ergo læsæ, quod amiserunt, recipiẽt? nisi forte fortuna ætas fuerit admodum humida. Nusquam id manifestius uideas, quàm in oßibus excauatis: semper enim porum contrahunt: ita & in carne pro cute cicatrix succedit. Perge ad reliqua solida, quæ substantiæ iacturam fecerunt, & semper inuenies, quòd aliquid intercedat, quod utrunque glutinet. Hoc est, quod in commento Galenus dixit, se nullum affectum huiusmodi uidisse, cui non increuerit caro, hoc est, cui non aliquid supplementum increuerit, quod uulnus

Solida dicũtur dupliciter.

Galeni opinio suspecta.

Disceptatio nostra de partibus solidis.

Sola siccitas in causa est cur solida neque regenerari, neq; uniri possunt.

Sicciora egẽt glutino.

Porus pro osse, cicatrix pro cute.

nus impleat, & utrinque conducat. Iam si parua hic uulnera citra additamentum conglutinari poßint, magna certè nunquam poterunt: dissectæ enim partes nimis inuicem discedunt. Oportet ergo hos hiatus rebus ut licet similimis ac quasi cuneo quodã implere, non solùm ut concauitas repleatur, sed etiam ut corpora melius inuicem conglutinentur. quod quàm sit difficile, ex eo cognosces, quòd uel poro inducto, licet maximè uideatur facta unio, tamen abrasa (inquit Galenus) superiore parte, inferiores partes manifestè discretas uidebis. Et causa hæc est, cur quouis ferè tempore ob minimam causam rupta nos iterum sui admoneãt: promptißimè enim humor aliquis subit, qui distentionem & dolorem leuem mouent, & tamen (quod mirum est) in ea parte ferè ipsum os maxime contumax. Exẽplum habes in nodis arborum, nusquam enim, quàm illic, ægrius arborem conuelles: est enim hic nodus reliqua parte ferè carnosior, solidior, & durior. Transi amplius ad res inanimas, quæ cuneo quodã sunt coniunctæ: nam diuisionem hinc facile agnosces, & tamen minime ibi eas abrumpes.

Rupta ob minimam causã dolorem renouant.

Porus pertinax & durus.

Diuisio manifesta, & tamẽ ruptu difficilior.

APHORISMVS XX.

SI in uentrem sanguis præter naturam effũditur, necesse est suppurari.

VARIA est fortuna, & metamorphosis sanguinis ex uenis innaturaliter effusi, in magna capacitate aliqua, & frigida, utpote uentre, intestinis, spatio pectoris, refrigeratur, concrescit, & graues anxietates facit, subinde animi deliquia. Nam (ut antè diximus) in uenenum frigidum cõuertitur. In alijs minoribus concauitatibus, duplex est illius paßio. sub cutem modice effusus, ut in cõtusionibus, rursum refrigeratur & liuescit. alibi plerunque in inflammationes abit, quæ subinde concoquũtur, & resoluuntur: aliquando autem suppurantur. Constat ergo, quòd nomen Suppurationis oportet audire præter consuetudinem admodum liberaliter.

Sanguis concretus multa perniciosa facit symptomata.

Sanguis alibi inflammationem committit.

APHORISMVS XXI.

IN insanientibus si uarices, uel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.

INSANIA mihi duplex apparet: altera ex ſucco melancholico, & hæc proprie melancholia dicitur: altera ex atra bile, hoc eſt, cholera aduſta, aut ſucco melãcholico corrupto: & hæc ferina eſt, magis agreſtis, magis temeraria. Vtrunq; ſoluunt hæmorrhoides, et uarices: etenim hæmorrhoides humorem euacuant, uarices auocant. Nunc multo melius eſt humorem quocunque abduci, quàm in parte principaliore morbum moliri. An tamen utrunque genus morbi Galenus hîc continuerit, neſcio. Ita tamen mihi apparet, quia ſolum furorem excluſit, qui ex bile oritur: nam bilis potius ad ſuperiora ſolet euadere, quàm ad inferiora deſcendere.

Melancholia cum triſtitia. Ferina aut temeraria dementia. Hemorrhoides euacuãt. Varices auocant. Bilis ſolet euadere ad ſuperiora.

APHORISMVS XXII.

QVæcunq; ruptiones ex dorſo ad cubitũ deſcẽdunt, uenæ ſectio ſoluit.

RECTE Galenus excindit ῥήγματα: ſed neſcio quàm ſolerter eius loco repoſuerit ἀλγήματα. Mallẽ ego eo loco inſcribere ῥεύματα: nã facilior hic error, & exorbitatio: adde, quòd ſpecialior ita requirit Aphoriſmi ratio: non enim quiuis dolores per talem euacuationem finiuntur, ſed duntaxat qui ex fluxione ſanguinis eueniunt: atque has fluxiones rheumata appellare ſolemus. Ita docemur, ubi materiam euacuare uolumus. Verùm ubi huiuſmodi fluxio aliquem in ea parte morbum minatur, contrà à principio per alteram atque oppoſitam partem defluxionem reuellimus.

Galeni ſuſpicio. Noſtra repoſitio. Fluxiones rheumata appellari ſolet.

APHORISMVS XXIII.

SI timor atq; mœſtitia longo tempore perſeuerent, ex eo atra bilis ſignificatur.

APHORISMVS XXIIII.

SI quod inteſtinorum gracilium diſcindatur, non coaleſcit.

GRACILIA inteſtina in duobus prioribus Aphoriſmis ſufficienter continebantur. nam & ipſa publicum munus habent: non enim tantùm alimentum ex uentriculo excipiunt, uerùm etiam quodam modo perficiunt: deinceps & ipſa ex membranoſis exiſtunt.

APHORISMVS XXV.

ERysipelas ab exterioribus uerti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

Erysipelatis diuersa expositio.

THEODORVS erysipelas per ignem sacrum reddit: alij herpetem ignem sacrum appellant. Certum autem est, quòd Persicus ignis Plinio, & Neotericis idem est cum igne sacro. Verùm ignem sacrum Celsus & ab erysipelate, & herpete distinguit. Galeni interpres in libro De medicamentis secundùm genera, herpetem zonam aut cingulum reddit. Hæc nomina mihi magis uidentur conuenire igni sacro: ferè enim latè in pectore & latere funditur. Vulgus superstitiosum lethalem habet, ubi totum corpus cinxerit, atque sanguinem eius, qui aliquãdo passus est, hunc morbum ridiculè conatur curare. Appellant autem ipsi rypelen, facta (ut mihi apparet) à nomine erysipelatis deflexione: erroneè tamen: quoniam, ut diximus, & ab herpete, & ab erysipelate differt: nam erysipelas in tumorem manifestum cogitur, atque attollitur: ignis uerò sacer latè supra cutem spargitur. Quomodo uerò erysipelas aliquando ad interiora ab exterioribus cum maxima naturæ anxietate reuertitur, alibi ostendimus.

Nobis ignis sacer.

Superstitiosa uulgi opinio & curatio.

Rypelen.

Ignis sacer ab herpete differt & erysipelate.

APHORISMVS XXVI.

QVi in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.

Manardi friuola mutatio.

MANARDVS (si recte memini) mauult reddere, Delirium soluit, *& certũ est, quòd Hippocrates ita scripserit. Verùm ego miror, quòd eius meminerit: nam eadẽ est significatio. Credo, quòd in eodẽ loco potius febres, quàm tremores delirio solui intelligit. Id ego intelligere nequeo, unde accipiat. Sed neq; ista mutatio scabriciẽ aut duritiem sermonis aufert: imò durius est, quòd deliriũ febrem, quàm tremorem soluit. Forte ergo Hippocrates ita scripsit: forte etiam incuria transcribentium exemplar uitiatum: fieri etiam potuit, ut pro* λύει, λυοίκ *à principio scriptum fuerit, in hanc sententiam, quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirium*

Variæ coniecturæ.

lirium aut insania sequitur, nam huiusmodi dictio tū in prognosticis, tum alibi sæpe subauditur. Vtcunq; scriptum fuerit, est certum, quòd sententia nihil aliud docet, quàm quòd tremores fere delirium excipiat. Rationem Galenus adijcit, quæ mihi multo senticosior apparet, quàm ipsa dictio. Putat, quòd biliosa materia neruos carpat, & per neruos ad cerebrū ascendat. Absurda meo iudicio commentatio: nam bilis multo promptius per uenas & arterias, quàm neruos in cerebrum euadet. Iam ut materia biliosa in febribus neruos mordere poßit, non uideo: tamen quòd ipsis tremorem afferat: nam frigida esse solent, quæ meatus infarciūt, ac spiritum intercipiunt. Profectò cholera sensum citius excitat, quàm obstupefacit, præsertim admodum calida, ac tenuis, qualis est, quæ febres ardentes parit. Repugnat etiam naturæ consuetudo, aliàs enim in neruos, aliàs in cerebrum solet fluctionem mittere. Paroxismi febriles argumento sunt, in quibus materia in musculos & habitum corporis excernitur, neque admodum hinc in cerebrum fertur. Crederem ergo potius, quòd hi tremores fierent spiritu & sanguine aliqua ex parte extrema relinquente: nam dū humor biliosus sursum deorsum mouetur, ferè aliqua ex parte spiritus & sanguis sequitur. Forte etiam per τρόμους Hippocrates timores intellexit: nam nomen ad utrunque significatum ambiguum: & est uero similior commentatio: nam sæpius timores quàm tremores delirium præcedunt, præsertim in febribus, ubi materia aduritur, ac fumus (priusquā humor) caput ferit. Forte etiam hæc interpretatio partem spinositatis à dictione auferet, quòd timor & delirium ferè contraria existant: etenim in delirātibus temere, in timentibus omnia obeuntur admodum suspectè. Sed nolo diu contendere pro hac nostra commentatione: quippe & hoc scimus, quòd febricitantes multi, antequam delirent, & floccos carpunt, & quasdam interim leuiores contractiones ac tremores incurrunt.

Frequens sub auditio.

Certa Aphorismi sententia.

Senticosa Galeni ratio.

Materia rarò simul in neruos & cerebrū excutit, rarius à neruis in cerebrū euadit.

Nostra suspicio.

Timor sæpe delirium præcedit.

Sæpe febricitātes tremūt priusquā delirant.

APHORISMVS XXVII.

QVicunq; suppurati, aut aquam inter cutem patientes, uruntur, aut secantur: si pus aut aqua uniuersim effluxerit, omnes moriuntur.

Pauci urendi aut secandi. — *Melius est experiri anceps remedium, quàm incidere in certum exitium.* — *Paulatim emittendus humor.* — *Galeni ratio specialis.* — *Nostra ratio generalis.* — *Natura melius fert uitiũ quàm inopiã.* — *Debẽt ij paulatim euacuari & paulatim recreari.*

NEQVAQVAM omnes hydropicos, aut suppuratos urere decet, aut secare, sed in quibus ob solam naturæ impotẽtiam morbus nequit expurgari. In crudis certè nihil attentandum, duntaxat ubi materia est cõcocta: ac forte hic paucos seruabis. Sed melius est experiri anceps remediũ, quàm simpliciter ægrum relinquere deploratum: tale est autem ustio & sectio. Rectè tamen admonet Hippocrates paulatim emittendum, quod peccat. Galenus specialem rationem affert, quia in utroque loco materiæ multitudine arteriæ & uenæ egregiè distenduntur, ac patent: timetq́ue, ne simul cum ipsis humoribus malignis, multus excernatur spiritus. & potest ferri ratio. Mihi tamen subesse apparet aliquid generalius & promptius, ob quod neque purgationem ullam confectam tolerant: quippe ut prius in secundo dictum est, qui salubritatem habent corporis, per purgationes exoluuntur, & qui malo utuntur succo: debiles enim sunt, ac infirmi, ac multo indulgentius, quàm alij habendi: certe nullam magnam euacuationem, uel etiam malorum tolerant: facilius enim natura uitiũ, quàm inopiam patitur: nam inopia nullo modo recreari potest. Verùm ex uitiosorum humorum aliquando meliore parte, per delectum fruitur. & quid attinet dicere, scilicet & tempore multæ caritatis, & inopiæ rerum, homines melius uitiosum ferunt uictum, quàm inediam. Non est ergo mirũ, quòd huiusmodi ægri, ægrè ullam euacuationem repentinam ac uniuersam sustinent, sed paulatim ac per epicrasim curari debent, hoc est, longioribus interuallis purgari, & interim meliore uictu recreari. Non est ergo necessum, ad hiatus ipsorum uasorum recurrere.

APHORISMVS XXVIII.

Duæ generales podagræ occasiones. — *Articuli imbecilles aut ex natura aut ex uictu.* — *Vinum & Venus egregiè articulos frangunt.*

EVnuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt.

DVAE sunt generales podagræ occasiones, articulorũ imbecillitas, & materiæ importunitas. Articuli bis sunt imbecilles: aut ex uitiato & eneruí parentũ semine: aut uictu, hoc est ex crapula, & uitæ incontinentia. Plurimùm frangit articulos Venus & uinũ: hoc quidẽ ab omnibus similiter dictum, sed diuerso modo acceptum. Quidam Venerẽ putãt articu

articulos offendere, quia incalfacit: at ego potius putem, quia infrigidat. Verùm nec id apparet sufficere: nam in mulieribus, eunuchis, pueris, apparent articuli frigidiores, ad modum uniuersi corporis, quàm uel in uiris arthriticis. Maior est in altera qualitate differentia: in uenereis articuli ad modum sicci, in mulieribus autem, eunuchis, pueris, egregiè humidi. Ita neque uinum omnibus eodem modo articulos offendit: quibusdam suspectum est, quòd articulos mordet. Huc spectat translatio Leoniceni in commento. Galenus uidetur eò referre, quia uinum implet. & id mihi melius placet. Igitur per crapulam, præcipue uini copiam intelligere oportet: nam reliqua copia ignauior est, quàm quæ neruos aut articulos impleat. Sed neque debilitas omnino eadem est: maior apparet, quæ sequitur incontinentiam uitæ, quàm paternam intemperaturam. Adde nunc, quòd altera causa non sufficit, hoc est imbecillitas, aut crapula: sed utraq; est necessaria. nã neq; multitudo citra imbecillitatem, neq; imbecillitas citra multitudinẽ, aut uitium, podagram inuehere potest, uerùm interim urgent ex æquo, interim altera, plus altera. At hæc est causa, quare supputẽtur duæ, aut tres. Nũc facile ergo est soluere plurima, quæ hic oriuntur, problemata. Primũ, ecquid rarius eunuchi, nunquam pueri, laborent podagra, quum tamen pueri egregiè uoraces, & eunuchi sæpe crapulæ dediti: non enim satis est alteram causam conuenire, debet ferè concurrere utraq;. Dissimilis huic altera est quæstio, ecquid eunuchi aliquando multis affatim articulis laborent, podagra seorsum, aut nunquam, aut rarò: non enim hæc ex eodẽ pendet cardine, sed ex eo, quòd modica materia, nisi sit multa articuli alicuius imbecillitas, ferè aliò detruditur, sub cutem, in intestina, aut aliam proximam partem, ad articulum admodum rarò, utpote à robore corporis longinquum. Vbi uerò multa est, natura ægrè dominatur, & subinde in omnes articulos simul præcipitat. Proximum huic alterũ problema, quare igitur uel pueri rarius, quàm eunuchi, uniuerso articulorum genere laborant. Nunquid id ex eo est, quia pueri abstemij, eunuchi uerò uino dediti? Certum enim est, quod antè diximus, nequaquam quamuis crapulam, sed maxime eam, quæ à uino est, articulos eneruare. Videtur dissidere à medio problemate, quòd mulier aliquãdo laborat seorsum podagra: nã eu-

Venus articulos infrigidat & exiccat.

Diuersos rationibus diuersis articulos uinum offendit.

Nihil magis offendit articulos, quàm Venus.

Vna causa nõ sufficit.

Primum problema, quare pueri nũquã eunuchi aliquando fiunt podagrici.

Quare eunuchi sæpius arthretici, q̃ podagrici.

Quare pueri rarius arthretici quàm eunuchi.

nuchus nihil aliud, quàm uir effœminatus. Imo magis, iuxta priorem rationem, deberet eunuchus muliere esse obnoxius podagræ: nam mulier menstrua purgatione à multis morbis uindicatur: in eunucho uerò, more uirorũ omnia retinentur. Sed neq; eunuchi cõtinentius tempore Galeni uixerũt, quàm uiri. Nunquid ea sola differentia, quòd & mulieres aliquando Venus frangat, eunuchos uerò nunquam? Ita quidem nunc mihi uidetur, licet à nemine dictum. Cur ergo eunuchi podagra non laborent, dictum est satis. Quòd uero parum caluescant, Galenus acceptum fert illorum humiditati: alludit ad priorem suam opinionem, qua ubiq; per siccitatem illorum alimentum absumi æstimat, & quòd Venus quidẽ corpus exiccet, est certum. Verùm mihi potior apparet causa, quòd rarefacit.

Quare mulier sæpius laborat podagra quàm eunuchus.

Problematis ratio.

Venus decaluat, quia rarefacit.

APHORISMVS XXIX.

MVlier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

IN muliere omnia concurrunt, quæ in uiris ad generationem podagræ faciunt. Articulorum imbecillitas, uel à parentibus, uel ab incontinentia contracta. Secundò, ex uino crapula. utrunq; tamen imbecillius, nam neq; Venere exoluitur, ut uir: quia aut nullũ semen edit (iuxta Aristotelem) uel, quod est uerisimilius & certius, iuxta Galenum, modicum, & per longiora interualla. Ita multo rarius oneratur crapula, quàm uir. Adde tertiò, quòd uel siccitate, aut raro, aut nunquam ipsius uiolantur articuli: humida enim est admodum: nam (quamuis quis minime putet) multa articulorum ariditas non uidetur habere minimum momenti ad illorũ eneruationem. Est aliud mulieribus aduersus morbos omnes præsidiũ, mẽstruorum excretio, quandiu legitimè uiuant: nam in ijs, quæ negligenter et contemptim uiuunt, plus quidem excrementi colligitur, sed minus excernitur: etenim uitio sæpe & multitudine menses impingunt.

Mulierẽ minus quàm uirum Venus attenuat.

Mulier ægrè exiccatur.

APHORISMVS XXX.

PVer podagra non laborat, ante usum uenereorum.

NIHILO magis puer, quàm uir, expers est paternæ naturæ: uerùm nun

nunquam podagra laborat, quia uoracitate peccare potest, crapula uerò non peccat. Aliò tamen respexisse apparet Hippocrates: & magis Veneris, quàm naturæ debilitatis podagricis suspectos habet, quum inquit, Ante usum uenereorum. *Nec dubito, quin præsens incontinentia magis eneruet articulos, quàm uetus parentum uestigium. Tamen & diuersitas crapulæ multa uariat. Iam imbecillitas parentum non statim apparet, sed in prouectis tum calore abeunte, tum humore decrescente.*

Crapula & uoracitas differunt.
Venus maximam sibi partem uēdicat.
Imbecillitas ex parentib⁹ non nisi tandē proditur.

APHORISMVS XXXI.

DOlores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut uenæ sectio, aut medicamētum epotum soluit.

VNVM symptoma subinde centum habet causas, easq; uarias, quarum unaquæq; aut suam, aut propriam requirit procurationem. Id ex præsenti oculorū dolore facile est discere. Aliquando pendet ex sanguinis multitudine, eaq; uniuersi corporis, atq; hîc mißionem sanguinē oportet mittere. Aliquando cum uitio humorum per uniuersum, aut in uentre committitur, & purgatio requiritur, eaque admodum uaria. Aliquādo utrūque oportet facere: & primùm sanguinem, deinde humorem uitiosum ducere. Interim nullus amplius humor à corpore in oculos fertur, duntaxat est fumus, qui uexat. & hîc pulcherrimū remedium est ipsum balneum. Quòd si totum malum in oculo circunscribitur, ne hîc quidem unum remedium conuenit. crassus humor extenuatione, incisione, indiget, atq; uinū sæpe id sufficienter facit: aliquando potius multus quàm crassus est, & fomento ex fœnu græco funditus dißicitur. Est aliquando, ubi omnia remedia, aliquando plurima, aliquando duo conueniunt. est ubi unum interim sufficiat. Multo plura sunt remedia, quæ pro diuersitate affectuum oculorum uariant: sed ad amußim Hippocratis hæc nunc sufficiunt. Non est autem id tantùm obseruandum in doloribus capitis, sed & in omnibus alijs ad huius exemplum æstimandum: lubenter enim Hippocrates generale dogma, uno aut altero ostendit exemplo.

Vnus morb⁹ unū accidens subinde uarias habet causas.
Pro diuersitate causarū diuersæ curationes.
Balneum pulchre reuellit fumos à capite.
Vinum extenuat.
Fomentum multum dißicit.

APHO

APHORISMVS XXXII.

BAlbi ab alui profluuio maxime capiuntur.

Balbutiei uariæ causæ.

BALBVTIEM aliquando facit linguæ manifesta breuitas, sæpius uinculorum contractio, sæpissime ipsa linguæ & uinculorum humiditas. Nam quòd humida parum ualide firmari, aut figi possunt, pulchrè Galenus docet exemplo infantum, qui præ humiditate cruribus titubãt. Nec est necesse quicquam dicere de eorum cruribus: nam neque lingua ipsa statim firma, sed omnes pueri ferè hac ratione à principio imperfectum sermonem edunt. manifestius balbutiunt ipsi ebrij, etiam quibus antè sermo fuit eleganter articulatus: sed id solùm extemporaneum: perpetuò uerò ipsi stulti balbutiunt, & aliter ineptiunt, propter connatam illis humiditatem: qua ratione ferè & stulti sunt. Tam multis exemplis liquet, quòd humiditas naturalem quandam balbutiem faciat. Ferè autẽ, quibus cerebrum humet, & lingua, iisdem multo magis uenter humet: nam eadem est pellicula, quæ utranque particulam inuestit, & alioquin ferè uni particulæ reliquæ consentiunt. Rectè ergo Hippocrates, quòd balbi, humido ac fluxo uentre facile capiuntur. animo ætates humidæ, stulti, ebrij. ac poterit dicere, quæ humida sunt temperatura: sed rursus uno uerbo maluit rem & eius signum dicere.

Pueri ob humiditatem & lingua & cruribus titubãt.

Ebrij nimia humiditate balbutiunt.

Stulti.

Ratio Aphorismi.

Breuitas Hippocratis.

APHORISMVS XXXIII.

QVi acidum eructant, nõ ualde morbo laterali corripiuntur.

QVI acidum eructant, circuncisis omnibus accidentibus, nequaquam solo uentriculo, sed & uniuerso propemodum corpore frigidi sunt: ac tales rarò laborant pleuritide: etenim inflammatio calida, & ex sanguine est. Rarò *dixit Hippocrates, quia non solùm temperatura, sed & aëris, & uictus uitium morbi aliquando sequuntur. Elegantius ergo, & breuius dixit,* Qui acidũ eructant. *quàm,* Qui frigidi. *nam & uentriculi, & ferè totius corporis uno uerbo conditionem notauit. Forte ergo sententia hæc & pulmoniã, & reliquas inflãmationes continet. Potuit etiam fieri, dicente Galeno, quòd pleuritidis duntaxat meminerit*

Frigidi rarò laborãt pleuritide.

Compendiose.

nerit, quia pleura ægrius crassum sanguinem, hoc est pituitosum, melancholicum, quàm pulmo, aut quædam aliæ partes, suscipit: nequaquam ob eā causam, quòd pleura potius, quàm pulmo, sanguine nutriatur bilioso, sed quia inflammationes ferè fluxiones ex toto corpore sequuntur, inter quas crassæ egrè excipiuntur à pleura, promptius autem à pulmone: etenim pulmo laxus, & ad omnē humorē excipiēdū idoneus: pleura uerò dēsa, quam nō nisi subtilis utcūq;, & calidus humor inire potest. Et quid ergo de his dices, qui illegitimā pleuritidē ex melācholia sola, aut pituita cōponūt? Omitto enim, quòd per pleuritidē inflāmationem audimus. crassiores ij sunt, & ignauiores, quàm ut pleuram clam ingredi possint. Nec refert, quòd Galenus sputum distinguat: rationem diuersi sanguinis ex eo captat. Ita neque pulmoniam ij humores facere queunt, sed sanguis pituitosus ac melancholicus, infarctiones autem alias frequenter.

Frigidi min⁹ pleuritici, q pulmoniaci.

Pleura densa. Pulmo laxus.

APHORISMVS XXXIIII.

QVicunq; calui sunt, ij s magnæ uarices nō fiūt: quibus uerò caluis uarices magnæ superueniunt, ij rursus capillati fiunt.

CALVITIVM morbosum putat, nequaquam illud, quod in conualescentia, ac per finem morborum, sed per initia morborum primaria ratione nascitur. Celsus aream appellat. Duæ sunt eius species, altera ophiasis, altera alopecia: figura distinguntur. In ophiasi area ad modum serpentis tortuosa est, alopecia sub omni forma: quidam eam sic dictam putant, quia frequenter eam uulpes patiuntur. Galenus nomenclaturam contemnit, lubentius de illius natura disceptat, & tandem ex omni humore utranque generat. Atque idipsum diuersus pilorum color indicat. Plerunque tamen ex melancholia prædictæ areæ oriuntur. Certe præsens Aphorismus nullum aliorum humorem agnoscit, qui omnem aream tumore uaricum leuat, & rursus ex illarum regurgitatione caluitium generat. Potest & aliter excusari sermo: nam ut uerissimum est, quòd ex omni humore fieri possit: ita in ijs, qui uaricibus laborant, est uerisimile, quòd ex sola melancholia fiat: non potest enim admodum in inferioribus

Caluitiū in fine morborū.

Areæ duę species, ophiasis & alopecia.

Areæ ex oī humore.

Frequēter ex melācholia.

Excusatio altera.

partibus dominari ipsa melancholia, & in superioribus partibus diuersum morbum alere diuersus humor. Superest nunc ostendere, quomodo uitium humorum pilorum iacturam facit. Galenus iterum reuertitur ad comparationem plantarum, putat ut radicum alimento corrupto, etiam excelsæ arbores ultro ruant: ita & pilos uitiato nutrimento elabi. Sed in hoc semper claudicat illius comparatio, quòd radices plantarum propriè augentur, ac terram complectuntur: pili uerò duntaxat protruduntur. Mallem ergo dicere, quòd ij humores pilos demoliantur potius, quia cutẽ magis quàm pilorũ radices uitiant: nã neque in terra corrupta quicquam figes. Quòd autẽ uel caro hîc corrumpatur, & cutis, diuersus ipsius calor indicat.

Pili inanimati sunt.

Humores demoliuntur cutem.

APHORISMVS XXXV.

AQua inter cutem laborantibus, tussis superueniens, malum.

GALENVS putat aquam in pectus exuperare. Ego potius crederem, quòd frigiditas hepatis communicetur pectori. forte etiam tumor hepatis aut uentris incumbens pectori tussim facit. Vtut euenerit, unum est ex signis aßidentibus, quæ morbi significant magnitudinem. Tale etiam est urina uehementer tincta. Contingit autem id triplici de causa: uel quia intemperatura hepatis insigniter calida, id rarò: uel quia obstructio hepati incidit: uel quia materia putruit. Color habitus distinguit: nã ex obstructione totus habitus sæpe flauescit, alibi consuetam faciem æger retinet.

Galeni opinio.

Nostra coniectura.

Triplici de causa in hydropisi tingitur urina.

APHORISMVS XXXVI.

DIfficultatem urinæ, uena secta iuuat: secare uerò interiores.

DIFFICVLTAS urinæ, aliquando inflammationem uesicæ sequitur: atque hic uario modo phlebotomia conuenit. Primùm oportet materiam ad superiora reuellere. Id autem potißime facimus per interiorem: sed est uerisimilius, quòd Hippocrates deriuationem spectarit, atq; hîc ex inferiori crure eam facere conuenit, siue difficultas ex inflammatione,

Difficultas urinæ ex inflãmatione uesicæ.

tione, siue sola multitudine fuerit. Et quidam in poplite eam moliuntur: sed propter periculum uulgus in pede uenam captat. Apparet autē, quòd quondam interiorem magis elegerunt: nam uel hodie in affectibus uesicæ uteri eam quærunt: in coxendicum uerò dolore exteriorem. Galenus hàc distinctionem contemnit, quòd una est in poplite, quæ postea in tres propagines scinditur. Idem quidam conantur & in brachijs facere, sed hos manifeste impugnat Galeni autoritas, & experientia: manifeste enim ipse in capitis affectibus, exteriorem: in inferiorum uerò partium morbis, interiorem brachij uenam consulit.

Vulgaris obseruatio.

Galeni opinio.

APHORISMVS XXXVII.

ANgina correpto, si tumor fiat in collo, bonum: foras enim morbus deducitur.

HIPPOCRATES in libro De ratione uictus in morbis acutis, duplicem describit anginam: alteram ex bile, alteram ex pituita. Credo quòd intellexit sanguinem pituitosum & biliosum: & potest tamen ex simplici pituita & bile fieri, & absque febre acuta. Verùm qualiscunque fuerit, expedit materiam ab interioribus ad exteriora pelli. Rarissimè tamen huiusmodi commutationes concoctionem anticipant.

Anginæ uariant admodū.

APHORISMVS XXXVIII.

CAncros occultos habentes, melius est non curare. Curati enim citò pereunt: non curati uerò longius tempus perdurant.

QVOD cancrum quidam malè ex cholera adusta faciunt, alibi dictum est: etenim ex solo succo melancholico gignitur. Non circunscribitur autem hic, aut quiuis alius humor, aliquo determinato loco, sed usque ad paruas in eo loco uenas materia exuperat. Atq; alibi quidē id latet, propter colorem ipsius carnis: uerùm niger color ubique se prodit. Hinc est, quòd cancer sæpe in formam cancri animantis spargitur, atque eiusdem naturæ cum elephantiasi existit. Tanto est admirabilius, quòd contagio præsertim ulceratus: caret an forte ob eam causam, quia soli morbi, qui in uniuerso corporis consensu eueniunt, contagiosi existant: certe ij

Cancer ex solo succo melancholico.

Cancer morbus in formā cancri.

Elephantiasis contagiosus, cancer simplex.

magis. Est tamen aliquando in parte aliqua humor tam procax, forte admodum calidus, qui contagio afficere potest. Facilius est dicere, ecquid curationi potius, quàm quiuis alius morbus resistit: nam neque facile attenuatur, neq; ex habitu corporis facile euacuatur. Vlceratus certe leuioribus medicamentis curari nequit, quia intentiones pugnant, ulcus glutinari, humor euacuari expostulat: alterius curationem alterum exasperat. Idem euenit & in alijs humoribus, sed difficultas minor: nam bilis, pituita, prompte sequitur, & imbecillia medicamenta sufficiunt, quæ nõ admodum id quod exulceratum est lacerant. Reliqua commentum Galeni differit.

Cancri ulcerati pertinacia & perplexitas.

Occupatio.

APHORISMVS XXXIX.

CONuulsio fit ex repletione, uel inanitione: ita uerò & singultus.

NIMIS frequenter de conuulsione disceptauimus: placet nunc breuibus totam eius generationem, aut definitionẽ perstringere, & in quibus Galenus delinquit, aut certè obscurus est, ostendere. Primùm in eo mihi apparet aberrare, quòd conuulsionem ex inanitione aut siccitate exemplo chordæ per ignem torrefactæ nititur finire: etenim nunquam in corpore uiuo eò siccitas promoueri apparet: & alioqui maior apparet in hecticis à febre ardente neruorum siccitas, quàm in his, quibus obiter immodice aut sanguis, aut aluus fluxit. Ita neque eius comparatio in conuulsione ex repletione musculorum bene apparet constare: non enim neruus in arcu humi deposito propterea abrumpitur, quia impletur, potius quia humectatur: nã humidum si tendas, facilius rumpitur, quàm durũ. Mallem ergo quædam alia corpora continentia spectare, quæ manifestũ habent sinum aut capacitatem: nam omnibus uidentibus, quo hæc magis implentur (modo tendi poterint) eo magis abbreuiantur. Verùm neque hæc, scio, comparatio quomodo quadrabit: etenim musculi solidi existũt. Iam in musculis sic affectis nequaquam simplex abbreuiatio, sed in hanc partem, aut illam manifesta contractio, ac quædam commotio. Certè in tetano aut distentione nullo modo, qui patitur musculus, contrahitur, aut

Galeni comparatio multis modis rimosa.

Nostra comparatio.

breui

breuiatur, sed magis promittitur: nam affectus ij eodem modo ipsum corpus mouent, ut natura. Igitur tametsi exterior aut interior conuulsio à sic citate fieri poßit, non uideo tamen, quomodo uera extensio à subita inanitione fieri poßit. Hæc sunt, quæ in hac Galeni disceptatione desidero, aut certe ignoro. Quòd autem cõuulsio & distentio singultus, præterea à frigore fiant, dictum est antea: propterea mirum est, quòd Galenus hàc causam omiserit, ubi subtiliter omnia discrimina exequitur. Ac forte frigus sub repletione continuit, sicuti morsum sub inanitione. Sed super ijs quoq; rebus sententia nostra antea dicta est. Perplexa disputatio.

APHORISMVS XL.

QVibus dolor circa hypochondrium fit, absq; inflammatione, ijs febris superueniẽs morbũ soluit.

POTESTATE iste Aphorismus in quarto expositus est: ubi dicebatur, Quibus ilia suspensa murmurant. *Vtrobique enim flatulentum dolorem intelligit, atque ibi eius tria afferebat remedia, uentris fluorem, flatus eruptionem, urinæ multitudinem. Duo affert febris: nam & flatum potest discutere, & crassam materiam extenuare, quæ deinceps absque magna difficultate per urinam abit, præsertim ubi materia in uenis hepatis infarcta fuerit: nam talem longo tempore per urinam expurgare didicit. Flatulentus autem in intestinis dolor sufficienter per se à febri soluitur. Facile ergo nunc est intelligere, quod cum multa ratione in priori Aphorismo Hippocrates asscripserit, hæc uerò in febribus: nam febris utrunque præstat.*

Tria huius affectus remedia.

Febris extenuat & dissipat.

Allusio ad priorem quẽdam in quarto Aphorismum.

APHORISMVS XLI.

QVibuscũque suppuratio in corpore existens, non innotescit, ijs ob crassitudinem puris aut loci non innotescit.

ALIQVANDO inflammatio suppurata est, priusquam locus emollescat: fit autẽ hoc, uel quia pus ipsum in se crassum est, ac ignauum,

aut quia particula ipsa in se densa est. Credo igitur Hippocratem hoc sensisse, quòd pus plerunque per se sibi uiam molitur, atque cutem cum subiecta carne exulcerat: aliquando tamen lateat atque subsistat, uel quia ex se parum acre, uel cutis admodum solida ac densa. Atque hîc partem oportet incidere, saltem ipsum pus, aut cutem attenüare.

Hippocratis respectus.

APHORISMVS XLII.

MOrbo regio laborãtibus, si fiat hepar durum, malum.

Quatuor causæ morbi regij.

TRES aut quatuor sunt causæ morbi regij. Aliquando morbi expulsionem sequitur, ac potius accidentis cuiusdam, quàm morbi nomen meretur. Aliquãdo multa hepatis caliditas bilem affatim cumulat, ac per totum corpus dissipat. Sæpius obstructio inter hepar, & fel, aut intestina intercedit: grauius est, si cum obstructione aut scirrhus, aut inflammatio accedat: inflammatio simpliciter renititur, & scirrhus manifeste durus, sed in febribus nunquam statim apparet. Puto ergo, quòd inflammationem potius intellexerit, quæ dum cum morbo regio in febribus apparet, omnem spem iudicationis abolet. Forte & hoc tantùm uoluit, quòd durities hepatis grauissima causa morbi regij existit.

Inflammationis & scirrhi discrimina.

APHORISMVS XLIII.

QVicunq; lienosi à difficultate intestinorũ capiuntur, ijs superuenientem longam difficultatem intestinorum, aquam inter cutem, aut leuitas intestinorum excipit, & moriuntur.

Hepatica dysenteria.

HEPATICAM dysenteriam appellant, ubi sanguis cum multo dolore crassus excernitur, quòd nihilo secius hîc, quàm in uera dysenteria intestina uellicentur. Ita ubi succus melancholicus ex tumore splenis descendit, per finem morbi, dolor quidam intestina carpit: nam & ipse quandam acrimoniam habet. Scio, quòd succus melancholicus ignauus sit, & per concoctionem antiquam potius acrimoniam deponit, quàm nouam acquirit: sed & hoc scire oportet, quòd per morborum euacuationes utraque materia excernitur, & concocta, & putrefacta. Itaque suffi-

Deiectio succi melancholici dolorem parit.

cientem acrimoniam ex commistione adipiscitur. Iam in tumoribus sple nis non semper materia concoquitur, sæpe magna ex parte corrumpitur. Atque hîc diutius fluxus alui exercet: nam debilitata natura, fluxus ex fluxu oritur, & nunc uentriculi atque intestinorum, nunc hepatis robur exoluitur pro temperamenti fortuna: si quidem hepar fuerit ex sua natura frigidius, hydropisis: sin autē uētriculus, leuitas intestinorum sequitur. Nec mirum, quòd æger moriatur: nam uel alibi, ubi morbus ex morbo sequitur, ægrotus periclitatur. Vnum incom modū sequū tur multa.

APHORISMVS XLIIII.

QVibus ex stillicidio urinæ ileos superuenerit, in septem diebus pereunt: nisi febre superueni ente, satis urina fluxerit.

STILLICIDIVM urinæ duplex est: alterum, ne minimū quidem natura patienter continet: alterum, ubi ex multo uix paucum exigere potest: id fit propter angustiam, uel ob urinæ acrimoniam, aut uirtutis imbecillitatem: forte utroque modo inflammatio recti intestini stillicidium urinæ facere potest. Igitur uicissim & uesicæ inflammatio totum uentrem poterit supprimere. Sed demus Galeno, quòd inflammatio, utpote procacior, id facere nequeat, saltem ob aliam causam, forte obstructionem, ex grumo aut crasso humore urina retenta, ac præter omnem modū uesica impleta, uniuersum uentrem obstipare poterit. Sic in colicis quibusdam uidimus ad tempus (tanta erat per totum uentrem angustia) uel ipsam urinam retineri. Multo facilius tumor magnus uesicæ ipsum rectū intestinum penitus comprimere poßit. Nec est grauis Galeni accusatio, ex ijs, quæ in prægnantibus apparent: leuius enim fertur uterus, hoc est fœtus in utero, quàm aliud malum. Iam & in prægnantibus aliquando & urinam, & aluum difficiliora uidimus: imo suppreßis mensibus in libro sexto De locis affectis, aliquando urinam difficilè reddi ipsemet est testis. Ecquid ergo mirum est (licet rarißimè eueniat) urina retenta uentrem quoque retineri? Certè nos uidimus in duabus mulieribus ad aliquod tempus utrunq; excrementum cum magna corporis anxietate concludi. Ferè autem

Stillicidium urinę duplex.

Aphorismi excusatio.

Galeni accusatio eneruis.

Menses aliqñ urinā quoq; retinent.

autem interficit, ubi pluribus diebus urget: sed rarius eousque malum perdurat, facilè medicamentis attenuãtibus, & urinam cientibus uincitur. Videtur Hippocrates expertus, quòd sola febris malum discusserit. Fortunatum tamen id est, nam rarò ex huiusmodi occasione febris oriri solet.

Fortunatum remedium.

APHORISMVS XLV.

IN ulceribus annuis, aut etiã diuturnioribus, abscessum cum osse communicari est necesse, & cicatrices cauas fieri.

Quatuor ulcera difficilia.

Vlcera cũ malo habitu.

Vlcera quib⁹ fluxus imminet.

QVATVOR sunt genera ulcerum admodũ difficilia. Primum, quod cõtraxit malũ habitum: non enim antea ulcus sanare poteris, quàm habitum emendaris: argumento senes, hydropici. Non sunt minus grauia, quibus continuus defluxus imminet: indicio fistulæ, & quæ eius generis sunt, quæ ubi concluseris in alia parte, etiam longißima, etiam erumpunt. accedũt ijs, quæ ex crasso humore: tales carbones phagedænæ, quarum uarias species ab alijs exquisitas, Galenus contemnit. Peßimum est ulcus cancrosum. Præter hæc nullum genus ulcerum diligenti curationi resistit, nisi cui corruptum os initium præbet. Ferè autem & hîc externam eius faciem poteris dißimulare, ac tegere: sed nequaquam, ut alia quædam, in lõginqua parte erũpunt, sed proxima: huic nulla species curationis subest, nisi os, quatenus corruptum est, eximatur: quod, quia regenerari nequit, non solùm cicatricem, sed magnam cauitatem relinquit: nam neque carne æquali, neque poro potest impleri: etenim porus nusquam, nisi quasi cuneus, inter duo intercedit ulceris labra, nec caro legitima usquam potest exorbitare, aut reliquas partes superare.

Vlcera ex humore melancholico.

Vlcera in osse.

Exempto osse necessario cauitas manet.

APHORISMVS XLVI.

QVi gibbi ex asthmate aut tussi fiũt, ante pubertatem moriuntur.

SPINAM oportet flexilem accipere, ut uimen: id enim aliquando in medio cauari contingit, aliquando utrinque extremis partibus flexis media pars extuberat, sæpe etiam uimen altera duntaxat parte inclinante, curuum euadit. Ita & spina secundùm aliquam uertebram aliquando

Vimen uariè obtorquetur.

excaua

excauatur, ipsa scilicet depressa: aliquando una ipsius parte à principio (forte una aut altera uertebra in anterius aut interius tracta) curua efficitur: si autem usquã duæ uertebræ curuentur, & una fuerit intermedia, necessum est, ut hæc extuberet, & fiat gibbosa. Casus aut ictus raro id facit, sed frequenter tubera corporibus uertebræ adnexis innata. Sunt autẽ hæc duplicia, aliquando parua sunt, & citra tussim difficultatẽ anhelitus faciũt: aliquando etiã tussim efficiunt. Quòd autẽ anhelitũ difficilem faciunt, ex eo patet, quia interius spatium pectoris angustius reddunt: nam quò uertebræ interius magis flectuntur, eò ipsum spatium magis contrahitur. Quòd uerò tussiant, Galenus fieri putat, quia tumor mollior est, atq; aliquid forte humoris in pectus euacuat. Id ego intelligere nequeo: nã hac ratione non nisi tandem tussis insequeretur, quoniam suppuratio non nisi tandem erumpit. Iam ego capere nequeo, quòd tumor aliquis in his partibus quandoque sex, septem, octo annis constet, & tum primum suppuretur. Nunquid quæso Hippocrates de ijs gibbis intelligit, qui aliquot mensium spatiò finiuntur? At mihi de ijs potius loqui uidetur, qui à pueritia prima in multos annos trahunt, in quibus (ut ego cõiectari possum) si quidem tubercula parua fuerint, difficilem anhelitum faciunt, tussim uerò nequaquam inducunt. Duntaxat illis euenit, quæ magna sunt, & pectori incumbunt: hæc enim non aliter, quàm si pectori insiderent, tussim excitant: quomodo & magnus tumor hepatis aliquãdo tussi uexat. Debẽt ergo tubercula esse admodum dura, quæ eousq; perdurant. Nec mirũ, si quidem ante pubertatem interficiunt, quum affatim auctis internis uisceribus magna augustia non strangulare non poßit.

Spinæ uarij casus.

Tubercula in spina duplicia.

Contractæ uertebræ pectoris spatiũ faciunt angustius.

Galeni opinio.

Nostra opinio & suspicio est, quòd hæc magna sunt.

Cur antè pubertatem interficiant.

APHORISMVS XLVII.

QVibuscunq; uenæ sectio, uel medicatio conuenit, hos uero purgare, uel uenam incidere oportet.

NVLLA immodica aëris qualitas ullam affatim euacuationem tolerat, tum quòd ipsa per se corpora debilitet, tum quòd immodica caliditas per se uehementer resoluat, atq; sursum trahat: frigiditas uerò intrò uo-

Null⁹ immodicus aëris status multã euacuationẽ tolerat.

cet, ac constipet, figatq;: ita ut Galenus omnem phlebotomiam, ubi regio & tempus consentit, reformidet. Idem & in purgatione obseruandum. Commodissimum ergo, & opportunissimũ ad purgationem tempus, uer & autumnus, uel ob hanc quoq; causam, quòd humores ijs temporibus maximè moueantur. Educuntur autem promptius moti ac fluctuantes, quàm fixi, aut quieti. Quòd autem in hyeme in interius impacti iaceant, nemo negabit: sed uicissim ego inficiari nequeo, qui in æstate maxime fluxiles existant, non tamen quæ hactenus latuerunt, nunc primum moueri cœperunt, sed antea longo tempore, tepore ueris fusi sunt, ac propemodum resoluti. Hæc est causa, quare ferè ijs ipsis tempestatibus morbi recurrũt: etenim tempore ueris ad exteriora, tempore autem autumni magis ad interiora. nec est periculum, ne motũ naturæ in autumno per phlebotomiam, in uere uerò per purgationem reuellamus: nã uel in alijs naturæ operibus multitudinem oportet per uentrem aut uenas communes anticipare, educere, & quod reliquum est, naturæ, quò inclinat, permittere, aut etiamdũ conducere. An autem præter tempus anni uel ipsos dies iuxta lunæ & aliorum astrorum motum obseruare oportet, in alijs nostris disputationibus diximus sufficienter.

Vbi regio & tempus excessu qualitatis conueniunt. Galen⁹ oẽm phlebotomiã reformidat. Purgatio postulat aërem opportunũ.

Morbi recurrunt tempore ueris & autumni.

Materiæ multitudo semper per communes uenas abducenda.

An lunam & astra in purgationibus oportet obseruare.

APHORISMVS XLVIII.

Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.

NON potest spleneticus, hoc est splenis tumor, aliter, quàm per uentrem expurgari. Verùm ut antè diximus, nunquam sic morbus exquisitè concoquitur, quin aliqua illius particula corrumpatur. Dum igitur simul ambo confunduntur, acrimoniam obtinent, qua inter excernendum (præcipue succus melancholicus & cholericus) intestina sui admonẽt, ac subinde nihilo minorem, quàm in uere dysenteria dolorem mouent. Hac de causa hũc fluxum, mihi difficultatem intestinorum uidentur dixisse. Posses adijcere spleneticam, sicuti prius adiecimus hepaticam: nam ob eã causam difficultatem intestinorum hîc pro quouis fluxu audire, est superuacaneum.

Dysenteria splenetica.

APHO

APHORISMVS XLIX.

QVibuſcunque morbi podagrici fiunt, ij ſedata in quadraginta diebus inflammatione, finiūt.

MATERIA quæ podagram parit, inter ipſos articulos magna ex parte inſedit. Difficile autē eò per tot corpora denſa peruenit, propterea raro pituita ſola eò euadit, ſed plerunq; bilis ſocietatem requirit. Eſt autem aliquando admodum pauca, argumēto, quod pauciſsimis interim diebus ipſum articulum relinquit. Aliquando in effatu dignum tumorem attollitur, idq; dupliciter: interim frigidus eſt, & diutius urget: aliquando ex ſanguine inflammatio gignitur, ac ferè quadraginta dierū ſpatium requirit: nam quia locus frigidus eſt, & à principalibus uiſceribus admodū remotus, calor modicus eſt, & non niſi longiori ſpatio materiam ibidem poteſt concoquere: ſed neq; concoctam materiam prompte poteſt exigere: nam per ligamenta, & chordas, & alia denſa corpora, quæ articulum circunſtant, ægrè admodum efferri poteſt, & uix quadraginta dierum ſpatio funditus expurgatur: non enim oportet intelligere, quòd affatim quadrageſimo die per criſim abſoluuntur, ſed quòd intra tot dies ferè expurgentur. ita & prius oportebat intelligere, quòd ſuppurati ferè in quadraginta diebus expurgentur. Cauſa, quòd difficile ij morbi ad concoctionem ueniant: eadem eſt, quòd prompte redeant. Nam locus ex natura debilis, ſemel atq; iterum à morbo inſolenter afflictus, facile totius corporis ſentina efficitur.

Bilis cōmeatum præbet.

Podagræ diuerſa conſtitutio.

Articuli frigidi.

Podagra non iudicatur affatim.

Eadē eſt cauſa, quod prōptè redeat, & ægrè decedat.

APHORISMVS L.

QVibuſcunq; præciditur cerebrum, ijs neceſſe febrem, & bilis uomitum ſuperuenire.

CAPITIS ictus uarij atq; fortunati, aliquando uulnus citra cranium ſubſiſtit, atq; periculo caret: interim totum os tranſactum eſt, & deſipientia ſequitur. Quòd ſi membranas peruaſerit, ſæpe uomitus prouocat. Id multo magis euenit, ubi uſq; ad cerebrum ictus intrò peruenit. Sed & acuta febris hîc ſtatim accedit, quòd & uulnera, & inflammationes inte-

Dignotiones uulnerum capitis quouſq; procedant.

Signa inflammationum in cerebro & membranis.

Sopor arguit uentriculos passos.

riorum uiscerum semper febris acuta insequitur. Sin autem forte fortuna ipsos etiam uentriculos attigerit, æger sopitur. Et quidem causæ plurimorū horum sunt manifestæ. Cur uerò uomitus sequatur cerebro icto, paulo amplius inquirere oportet: scimus enim, quòd uomitus non fit, nisi ore uentriculi, hoc est ipso stomacho affecto: nec rursum quouis modo, sed uehementer lacessito: nam subinde citra ullam nauseam refrigeratur, incalfit, excicatur, sæpius prouocatur, ubi humectatur. Nihil ergo prodest dicere, quòd par neruorum ex cerebro ad stomachum deriuatur: nam neq; intemperatura statim stomacho communicari potest, neq; etiā si quàm maxime communicaretur, uomitum ciere sufficit. Forte ergo commoto uerbere cerebro & uniuersus stomachus perturbatur (& id ego magis crediderim) quocirca in ipso principio maxime uomitus sequitur. Neq; perfectior est de bilioso uomitu apud Galenū ratiocinatio: suffecit illi dicere, quòd & hic, & ubiq; ferè alibi, bilis serosæ superfluitati mista reperiatur. præstitisset, quæ horum omnium causa sit, dicere. Et mihi quidē nulla alia apparet, quàm quia fel uentriculo ferè proximum subiectum iaceat. Qua de causa per motum uentriculi facilime bilis ab eo assumitur, atq; reijcitur.

Non quiuis morb⁹ in stomacho uomitum mouet.

Perculso cerebro ferè cō mouetur & stomachus.

Stomachus lacessitus potius bilē reddit quàm alium humorē.

APHORISMVS LI.

QVicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris appræhenderit.

GALENVS fortem apoplexiā intelligit, propter id quod de stertore est adiectum: fit enim stertor musculis ipsius gutturis ad expirationē concurrentibus. Quod citra consuetudinem nunquam euenit, nisi uirtute animali admodum fatigata, aut oppressa, aut impedita. Verùm hanc Galeni commentationem multa sunt, quæ oppugnant. In primis, fortem apoplexiam soluere est impossibile. Deinde fortis apoplexia quarto die interficit, nunquam in septimum mortem distrahit. Accedit, quòd huic nequaquam febris succedere solet, & si quàm maxime acciderit, fieri nequit, ut tam grauem morbum febricula soluat. Id enim illis morbis magis accidit, qui ex modica materia, sed flatulenta constant. Apopletici uero longo antea

Galeni commentatio suspecta.

Flatulentum potius quàm multum humorem febricula soluit.

tea tempore uitio humorum laborauerunt, priusquam in apoplexiam inciderunt. Argumento senes, & multæ crapulæ longo tempore dediti. & quomodo ergo hos antea sanos appellauit? Verùm neq; apopletici ullo antea capitis dolore præueniri consueuerunt: materia enim frigida, ignaua, ac crassa est, quæ sua qualitate magis solet sensum obstupefacere, quàm dolorem sua quantitate excitare. Hæc sunt, quæ me cogunt aliam expositionē inquirere: atq; de ijs qui solum soporem patiuntur, intelligere. Sunt autem soporis causæ & occasiones admodum uariæ: aliquando percußio, aliquādo sola temporū refrigeratio: subinde in causa est multa pituitæ copia. Nihil istorum febris medicari potest: sed interim aut ex crapula, aut alia occasione, modica materia multū uaporis flatulenti edit, ac caput ferit, nec est alius ferè capitis dolor uehementior: etenim bilis pungit, sed flatulētus uapor caput intolerabiliter distendit, atq; aliquando quasi malleo caput cedit. Paulopost ipsa materia sequitur, atq; in cerebrum decumbit, præsertim priores cerebri partes, ac sua frigiditate sopore afficit: non enim sola obstructio uentriculorum, spiritum animalem impedit, uerùm & ipsa refrigeratio quodam modo ipsum offendit, ac sopit. Et est quidem hæc affectio apoplexia multo mitior, aliquando tamen interficit. Quòd autem in peius euadit, magnum est signum succedens post aliquot dies stertor: nam nisi ex cōsuetudine, aut alia manifesta causa fuerit, prostratam uirtutem significat, magnam scilicet in anhelitu difficultatem, & extremam musculorum in faucibus imbecillitatē: non enim ubi subito spiritus eliditur, talem sonum edit, sed cùm in faucibus diutius moratur, nec citra magnum musculorum in faucibus conatum excluditur: quippe & id nouum est, ipsos in spiritu cooperari, & non nisi in extrema neceßitate conueniunt. Hic ergo stertor magnam nobis formidinem inijcere poterit. Non minorē spem nobis ipsa suborta febricula fecerit. ferè enim hæc potens est partem leuiter refrigeratam incalfacere, modicam materiam exoluere, et flatum spirituum dißipare. Possumus ergo febrim excitare, uel quod melius est, quibusdam incalfacientibus & extenuantibus medicamentis præuenire.

Nostra commentatio.

Soporis uariæ causæ.

Soporem ex materia flatulenta ferè dolor capitis præcedit.

Soporis in deterius euadentis signū est stertor.

Stertor in morbis præter consuetudinem mortalis.

Febris ad sanitatem multa affert compendia.

APHORISMVS LII.

OPortet uerò considerare oculorum in dormiẽtibus suspectiones. Nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud cõtingat, malum est signum, & lethale ualde.

PERINDE est, siue antiquam, siue Leoniceni interpretationem retineas: sententia enim idem significat, quòd exitiale admodum sit oculis dormire, uel penitus, uel ex parte apertis: non enim duntaxat ipsius palpebræ, sed totius cerebri maximam imbecillitatem enunciat. Neq; hæc usq; luculentius, quàm in oculis conspici potest: nã & aliæ partes in somno uarijs modis etiam tempore sanitatis disponuntur: oculi uerò semper & minima facultate clauduntur. Igitur maximæ imbecillitatis argumẽtum est, ubi conniuent tantum, nec omnino adducuntur. Facilius autem id patiuntur tempore somni, quàm uigiliæ, quia spiritus animalis tempore uigiliæ ad exteriora diffunditur, tempore somni quodammodo retrahitur. Proinde siue in uigilantibus quidem contrahi poßint, omnium signorum pessimum: sed id nusquam uisum. Oportet tamen & hic consuetudinem excipere. Sunt quidam, qui ita dormire consueuerunt, uel quia nerui à principio ignauiores, breuiores, aut aliud uitium paßi. Excusat etiam morbi lõgitudo, fluxus alui, inedia, uigilia: nam semper peior est imbecillitas, quæ sequitur internam uirium impotentiam, quàm externam fortunam, forte solius spiritus obiter iacturam. Potest & ex conuulsione & quadam resolutione hæc deformitas fieri. uerùm alijs signis prompte distinguitur.

Palpebrarum imbecillitas maximam cerebri & toti⁹ corporis imbecillitatẽ palam ostẽdũt.

Tempore sõni uirtus animalis impotentior.

Excusat consuetudo & alia accidẽtia.

Palpebrarum conuulsio.

APHORISMVS LIII.

DEsipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores: quæ uerò cum studio, periculosiores.

EST, ubi cerebrum in febribus absq; ullius fumi effatu digni obiter incalfiat: atq; hic potius uigilia quædam sequitur, quàm delirium, aut certè adm

Simplex deliriũ simplicẽ cerebri intẽperaturam sequitur.

tè admodum ſimplex. Eſt, ubi ex ſuis humoribus ſimilis fumus eleuatur, mitiſsimus ſanguis: proinde minimè materia tetrica: ex eo deliria, ac ferè rident: nam ut humorem mutat fumus, ita & fumum ſpecies: ſic & quibus ſanguis ex naribus fluxurus eſt, ferè ob oculos uerſantur ſplendida. Ita & pueri ob fumum lactis ſæpe ridere depræhenduntur in inſomnijs. Acris eſt fumus ipſius bilis, & ad omnia procax, hîc homines floccos carpunt, feſtucas colligunt, ſemper aliquid gerunt: nam & temperatura calida, & ſicca inter reliquas magis practica. Tetricus eſt fumus choleræ aduſtæ: & tales ferè inſaniunt, lecto exiliunt, excurrunt, ſibi & alijs uim inferre uolũt: aliquando etiam præter modum timent, quomodo & pueri, quando lac in illis corrumpitur. Sic & ex ebrijs, quæ naturæ magis mitis ſunt, & humanæ, præter modum iucundi: cholerici inquieti, uigiles, pugnaces: pituitoſi, ſomnolenti: melancholici, ſubinde tetrici. Pituita duabus qualitatibus in delirio pugnat: poteſt tamen & ipſa, ſi quando putreſcit, leuius aliquando delirium inferre, & ad ſtudioſum refertur.

Fumus, ſanguis cæteris ſplendidior, mitior, ita & ſomnia & deliria facit iucundiora.

Pueri in ſomno ſepe ridẽt.

Delirium ex bile negotioſum.

Delirium ex cholera aduſta temerarium.

Delirium ex melancholia cum timore.

Diuerſi ebriorum mores.

APHORISMVS LIIII.

IN acutis paſsionibus, quæ cum febre ſunt, luctuoſa ſuſpiria, mala.

SPIRITVS offendit, aut intercipitur ferè tribus modis: aliquando ob muſculorum, aut ſepti tranſuerſi inflammationem: aliquando ob inſtrumentorum duritiem: aliquando ſiccitatem. Et quidem ſiccitas ſemper cum quadam duritie committitur, ſed aliquando durities quaſi rigor quidam ex ſolo frigore ſequitur. Atque hanc febris ſanat, tantum abeſt, ut febri acutæ ſuccedat. Inflammatio uerò in ijs partibus nequaquã alios morbos ſequi ſolet, ſed à principio urget. Proinde ueriſimile, imò certum eſt, quòd de ea difficultate loquitur, quæ ſiccitatem ſequitur: hæc enim acutis febribus aliquando ſuperuenit. Id Hippocrates alibi ad ſolam inſpirationem refert: fortè quia operoſior exiſtit. Appellat autem duplicem intro reuocationem, quia in medio ferè ſubſiſtit, uel quòd affatim non poteſt natura ita facere, uel quia propter dolorẽ non audet, & procul dubio

Triplex cauſa ſpiritũ intercipit.

Rigorem ex frigore febris ſoluit.

Vix inflãmatio alios morbos ſequitur.

Interceptio ſpiritus ex ſiccitate mortalis.

magna ex parte symptoma hoc cum dolore coniunctum, & cum quodã sonoro spiritu, ad modum plorantium puerorum eliditur: unde nũc quoque lacrymosum suspirium nominatur. Igitur ferè duo significat, & dolorem, & conuulsioni dispositionem similem, hoc est, quandam contractionem: non enim simpliciter conuulsio dici potest, quia musculus omnino conuulsus expandi nequit.

Spiritus cum quodam strepitu.

Luctuosum suspirium.

APHORISMVS LV.

Dolores podagrici uere & autumno magna ex parte mouentur.

DOLORES podagrici, forte & alij morbi, Galeno mouentur in autumno, propter licentiorem pomorum usum. Nescio quàm bene constet hæc ratiocinatio: nam & in media æstate quorundam peiorum fructuum copia est, & in hyeme quoque multi non minus abutuntur fructibus, quàm in autumno. Omitto, quòd non omnes more puerorum insolenter uiuunt, & quòd multis, qui ab his omnibus abstinent, ijdem morbi hoc tempore recurrunt. Multo ergo melius est, eandem utriusque temporis audire rationem. Est autẽ commune utrique, quòd humores eo tempore moueri incipiant, in uere ad exteriora, in autumno ad interiora, & tamẽ (quod miraberis) in utroque tẽpore, tam in exterioribus, quàm in interioribus, multi morbi fiunt: nam dum natura ijs uel ob suam imbecillitatem, aut materiæ quantitatem, parũ dominatur, fit, ut nunc huc, nunc illuc incidãt, atque morbos gignant. Quod ergo de podagricis dictũ est, ad alios quoque morbos transferri decet. Est autem exemplum in podagra, quàm alibi illustrius: quia articuli ex natura sua imbecilles: quo fit, ut semel atque iterum insidentibus morbis fracti, quasi totius corporis sordem recipiunt.

Commentatio Galeni dubia.

Communis utriq; tempori ratio.

Humores moti aliquãdo motũ naturæ contemnunt.

APHORISMVS LVI.

In morbis melãcholicis in hæc pericula inciditur: stuporem corporis, uel cõuulsionem, uel furorẽ, uel cæcitatem significat.

Perplexa particula.

SOLA illa particula Ad hæc, *totum Aphorismum obscurauit:*

patet

patet ex diuersitate interpretum: ac forte Hippocrates hoc pronomen ad morbos retulit, ut sit talis sententia, In morbis melancholicis periculosæ demutationes, ijs ipsis superuenientes. Quòd si id uoluerit Hippocrates, negligenter admodum Leonicenus idem genus retinuit: nam pro diuersitate generis, ipsius quoque pronominis genus mutare debuit. Ex sequenti tamen paulopost commentatione, ubi huius Aphorismi meminit, uidetur uel ipse Galenus, particulam, Hæc, ad posteriora, hoc est ea, quæ sequũtur, applicuisse, quasi talis fuisset sensus, Periculosæ in morbis melancholicis demutationes in hæc eueniunt, aut euadunt, in apoplexiam, epilepsiam, furorem, aut cæcitatem. atqui tunc uerbum, Significent, uacat. Atque hæc de orationis ratione, in qua diutius morari minime conuenit: nam certa est sententia, quòd morbi melancholici sæpe in peiores affectus euadunt, atque præcipue in unum ex quatuor asscriptis, quodam modo abscedunt. Neque tamen hoc semper est timendum: sæpe enim in melius euadunt. Discrimen faciet tibi excrementum: concoctum pollicetur meliora: accedit, quòd & hic ferè accidentia fiunt mitiora, & sanis similiora. Est, ubi excrementa, urina, sputum, quotidie uidentur peiora, accidentia uerò & à sanitate, & priori affectu omnino diuersa, hîc aliqua periculosa mutatio instat: sed qualis, rursum ex accidentium forma coniectabis: si æger fiat magis somnolentus, apopleticus euadet, aut epilepticus: maxime autem epilepticus, siquidem uenter præter solitum, ac uentriculus infestetur flatibus, aut frequentes patiatur dolores capitis: flatulentam enim hæc pituitam indicant, epilepsiæ magis opportunam. Aliquando magis uigilant, magis fiunt morosi, temerarij: hic melancholiam corrumpi, & morbum abire in insaniam certam significat. Est nouissimè, ubi totum onus in priorem cerebri partem uidetur decumbere: & cæcitatem minatur, & aliorum sensuum impotentiam. Hæc sunt, quæ commentatores post Galenum adijcere oportuit.

Suspicio tantum.

Galeni commentatio.

Aphorismi sententia.

Melancholiæ in meli⁹ euasuræ signa.

Signa periculosæ denuntiationis.

Signa futuræ apoplexiæ.

Signa epilepsiæ.

Signa insaniæ.

Signa cæcitatis.

APHORISMVS LVII.

APoplexiæ autem fiunt maxime à quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

Virilis ætas.
Melancholiæ dominium.

A trigesimoquinto plus minus anno, ad quadragesimum ferè describitur uirilis, aut communiter consistens ætas: & hîc fortè magis exuperat cholera adusta, urget autem & postea. Hinc tamen usque ad sexagesimum grauat humor, aut succus melancholicus. Forte ergo hoc uult dicere, quòd hoc tempore melancholia maxime abeat in apoplexiam. Forte etiam simpliciter de apoplexia ex melancholia uoluit sermonem facere. Certè non uideo, quomodo Galenus commodè ad priorem Aphorismum poterit exigere: nam ut maximè hoc tempore abundat melancholia, nulla tamen mihi adhuc apparet ratio, quare hîc potius terminatur melancholia in apoplexiam, quàm epilepsiam: idem enim humor ad utrunque morbum, imò ad omnes quatuor communis. Iam melancholiæ morbus nulla ætate ex alio humore quàm melancholia fieri potest. Nihil ergo differentiæ huc afferet ætas. An forte hoc respexerit Hippocrates, quòd in posteriore ætate melancholia euadat magis flatulenta, & potius ad epilepsiam, quàm insaniam idonea: nam ipsa melancholia magis aduritur in prioribus ætatibus, quàm posterioribus.

Duplex respectus sententiæ.
Difficilis Galeni commētatio.
Leuis suspicio

APHORISMVS LVIII.

SI omentum excidat, necessario putrescit.

NON uult dicere, quòd statim ac priusquam reponatur, putrescat: id enim est falsissimum. Sed quòd semel elapsum ex uulnere atque aliquo tempore, etiam paruo, nudatum, & ab aëre exteriori percussum, statim exanimatur, adeò ut uel repositum nunquam integritatem recipiet, sed spatio temporis in corpore reductum putrescet. Nam quæ semel exanimata sunt in homine, nunquam amplius uitam recipere possunt. Ita uel os quantumcunque durum, tamen à corpore abscctum tandem putrescet. Alia est ratio in plantarum partibus: nam uel etiam longissimo tempore dissectæ, uitam retinent, & in alijs plantis etiam diuersæ speciei inseri possunt: nunquam tamen digitus, uel minimo tempore exectus, rursus animari potest: est enim uita hominis ut perfectior & generosior, ita etiã fragilior & passibilior. Illud ergo superest inquirere, ecquid prius omentum emoritur, ac frigore percutitur, quàm intestinum, aut alia particula: an

Statim omentum exanimatur, & postea corrũpitur.
Pertinacior uita in plantis, quàm animantium partibus.
Plantæ abscisæ uitam retinent, & alteri multo pòst inseri possũt.

an ut omnibus alijs humidius, ita quoque passibilius? Sed neque simpliciter calidum potestate, sed quia in calidum facile soluitur, aut quia potestate incalfacit: ita enim per accidens & uentriculū quasi culcitra & stragula quædam sternit, ac tegit. Promptissime ergo in eo calor, in quo uita habitat, perit. Alia longa est ratio omenti, quod in scrotum excidit: sed huius rationem apud Celsum inuenies.

Omentū humidū & passibile admodum.

Quo modo omentum dicitur calidū.

APHORISMVS LIX.

QVibuscunq; à longo coxendicum dolore molestatis cauitate sua excidit coxa, & rursus recidit: ijs muccores superueniunt.

COXA (ut quiuis alius articulus) externis quoque iniurijs obnoxius est. Verùm ubi per se excidit, aut rursum incidit, idq; non semel, ipsa muccosa pituita in causa esse debet: hæc enim sola est, quæ articulos lubricos reddit, nec difficile in articulis superfluit. Nam & ubiuis alibi fere plus nutrimenti recipiunt, quàm perficiunt, aut requirunt. Proinde, quod superest, in glutinosum succum conuertunt: atque hîc quandiu modicus fuerit, ferè duplicem præbet usum, articulum promptiorem reddit, & ne motu exiccetur, prouidet. E contrario superfluus ipsum incontinentem reddit, & instabilem, & potest in omnem partem excidere coxa, exteriorem, interiorem, anteriorem, & posteriorem. Atque aliquando longius, sæpe breuius, aliquãdo etiam æquale crus manet. Semper tamen claudicãt ægri, quibusdam etiã urina supprimitur. sed de ijs uide in libro De articulis ipsum Hippocratem: nobis satis est locos commonstrasse.

Muccosa pituita articulos lubricos reddit.

Multa superfluitas in articulis.

Modica superfluitas duob° nominibus articulis utilis.

Coxa in omnem partem excidit.

APHORISMVS LX.

QVibuscunq; à coxendicum dolore molestatis diuturno excidit coxa, ijs crus tabescit, & claudicant, si non urantur.

SAEPE affectus magnitudo, aut profunditas mediocria medicamenta contemnit, & fortiora requirit: talis est dolor in coxendice, etenim penitissime latet, adeò ut repellẽtia hîc magis obsunt, quàm prosunt. Grauioribus ergo remedijs agendum est: nam ubi diu uexarit, ferè crus

In coxendice repellentia obsunt.

contabescit. quippe laxato crure, laxantur & uenæ, quæ alimentum afferunt. Sed neque directis uenis, parti semper feriatæ potest liberaliter alimentum aduenire: non enim ultro nutrimentum allabitur, sed beneficio caloris naturalis attrahitur: perit autem is, ac flaccessit temporis spatio, multo partis otio: nam exercitium unum est ex præcipuis, quæ calorem naturalem tutantur. Igitur præstat exurere, quàm perpetuo claudicare, & tandem contabescere.

Parti quæ feriatur alimentũ excidit.

APHORISMOR.

LIBER VII.

PRAEFATIO.



EPRAEHENDIT Galenus ueterum inæqualitatem, quòd in principiis librorum sunt plus satis prolixi: in medio paucis cõtenti: in fine uerò quasi lassi, omnino supini. Nec melius faciunt Neoterici, licet à Galeno moniti: in principio subinde exorbitant, ac multa præter propositum accumulant: in medio mutilos commentarios relinquunt: in fine ferè omnia dissimulant. Vbique errant: nam neque præter propositum quicquam decet dicere: neque quæ conferunt difficilia, omittere. At illi ferè in solis generalibus, ac per se manifestis insistunt: quo fit, ut à plurimis intelligantur & legantur: nam plerique in iis quæ difficilia sunt, statim fatigantur: lauari omnes, quàm ungi malunt. Et condonandum est iis, qui multo labore fatigati, aliquando conniuent aut aberrant: sed de illis hominibus nunquam quicquam mihi pulchrè polliceri possim: certum enim est, quòd nullo modo ad eam artẽ sint natura idonei, etenim motus naturalis semper est uelocior, & alacrior in fine, quàm principio uiolẽtus: ecõtrario in principio quidẽ festinat, sed in fine cũctatur ac moratur. Ita ingeniũ hominis ad literas opportunum, semper ex iis quæ præcesserunt magnitudinẽ ac uim acquirit

Supinorum hominum cõsuetudo.

Omnes malunt lauari q̃ ungi.

Motus naturalis in fine festinat, uiolentus at contra naturam moratur.

quirit: quippe proxima quæque intellecta in sequentibus difficultates aperiunt: econtrario qui principia obiter tractant, in medijs obstupescunt, & quomodo ergo ad finem peruenient? Hæc est causa, ut tam multi statim in ipsis principijs præcipitentur: certè paucißimi ad finem scientiæ perueniunt. Certum ergo est, quòd neque scriptoribus illis res admodum grata, aut iucunda, qui in principio commentarios suos prolixius æquo protrahunt, & in fine omnino contrahunt. Ecquid ergo de his dices, qui & tertium & septimum librum hîc omiserunt?

Priora intellecta sequentibus uim faciunt.

APHORISMVS I.

IN morbis acutis frigus partiũ extremarum, malum.

NON est mirum, quòd in morbis longis extrema frigeant: etenim materia plerunque frigida existit. Verùm in acutis præter modum calor urit, nec nisi ob duas causas extrema refrigerari patitur, uel quia interior calor, aut ex inflammatione, aut alia materiæ corruptione, in uenis cor di proximis, externũ calorem ad se retrahit: uel quia quasi seditione quadam in corpore suborta, cor ipsum per se totum spiritum & sanguinem ad sese reuocat. Prior casus in quarto Aphorismorum est dictus: uterque in proposito audiri potest. Prior significat morbi magnitudinem, posterior uirium anxietatem, atque imbecillitatem. Sæpe & in longis febribus elanguescente ipso ægro, extrema refrigerantur, ubi simul cum calore naturali febrilis intermoritur.

Frigus extremorum in lõgis febribus securum.

In acutis frigus mortale, atq; alterum duorũ significat.

APHORISMVS II.

IN osse ægrotante caro liuida, malum est.

NON est dubium, quin de corruptione oßis loquatur: atque hîc subinde carnem ulcerari contingit, rarò autem, & non nisi penitus corrupto osse, caro liuescit. Potest etiam contingere, quòd corrupto aut uiolato osse, & carne expoliato, erysipelas in proxima carne oriatur: ex erysipelate uerò corruptio, gangrena, aut syderatio: ex syderatione carnis morticiniũ, & liuor. Sed & citra oßis corruptionem sæpe ex magnitudine inflammationis gangrena nascitur, de qua postea.

Gangrena simplex & sæpe ex osis corruptione.

APHORISMVS III.

A Vomitu singultus & oculorum rubor, malũ.

Galeni commentatio.

Nostra opinio.

Singultus à uomitu multam inanitionẽ significat.

GALENVS hæc signa ad inflammationes cerebri aut uentriculi comparat, & ferri poteſt: uerùm inflammationis iſtarum partium signa sunt multo præsentiora: proinde malo hæc de signis intelligere superuenientibus, atque morbi magnitudinem consequentibus. Ac de singultu poſt uomitum nulla eſt difficultas: quia ferè inanitionem significat. De rubore oculorũ minus apparet, tamen uel in primo Prognoſticorum hunc inter mala, quæ superueniunt, signa refert: in cuius commentatione quantum Galenus exorbitat, ibidem diximus. Nunc nobis satis eſt dixiſſe, quòd extremam ferè in simplicibus febribus exolutionẽ significat, quando ex maioribus uenis in minores sanguis delabitur. Forte hæc & in alijs partibus euenit, sed nusquam promptius, quàm in oculis diſtinguitur, quòd hæ partes candidæ exiſtunt. Eiuſdem naturæ eſt, quòd & tela quædam morientibus ante oculos nasci apparet. Huc spectant & spontaneæ oculorum lacrymæ. Fiunt autẽ hæc omnia uirtute retentiua exoluta, adeò ut ne suos quidẽ humores oculus diligenter continere poßit. Nec id mirum eſt, nam eadem occaſione in quibuſdam moribundis per uniuersum corpus sudor effunditur.

Rubor oculorum extremã imbecillitatẽ significat.

Eiuſdem naturæ & tela & lacrymæ.

APHORISMVS IIII.

A Sudore horror, non bonum.

Sudorem imperfectum rarò horror ſequitur.

NIMIS leuiter & hunc Aphoriſmum perſtringit Galenus, cui hoc satis eſt, quòd imperfectas iudicationes horror sequitur: nõ enim semper sequitur, sed aliquando tãtùm. Denique siue semper sequatur, aut duntaxat aliquando, sudorem imperfectè indicantem, eius rationem reddere decuit. Et mihi apparet, quòd nõ semper sequitur: sæpe enim uel citra horrorem interficit, aliquando etiam recidiuam duntaxat reducit. Certè rarò horror superuenit, & (ut mihi apparet) duntaxat illic, ubi per sudorem importunè, & bonum & malum affatim exit: hic enim ferè natura soluitur, ratione cuius spiritus & sanguis ad interiora retrahitur, & leuior horror sequitur: non enim poteſt hic horror nouum iterum sudo-

Quare horror in morituris ſudorẽ ſequitur.

rem

rem præsignificare. Nam licet natura, ubi per uentrem crises molitur, pluribus uicibus uentrem ferit, non tamen sudorem uno ac eodem die per interualla sæpius mouet. Causam forte nunquam estis perscrutati, sed ex eo est, quia sudor per uarias assatim partes abit, tota uerò assatim deiectio per hepar uenire nequit. Deiectiones frequēter uenire possunt, sudor uerò assatim.

APHORISMVS V.

A Furore difficultas intestinorum, uel aqua inter cutem, uel mentis alienatio, bonum.

FVROREM uocat non eum, qui ex bile simplice oritur, aut forte adusta, aut rursum ignaua ac segni melācholia, sed acri & mordaci. Idq; ex eo ego coniector, quòd ex simplici melancholia affectus potius melancholia appellatur, quàm furor: accedit, quòd simplex & ignaua melancholia, absque ullo ferè dolore per uentrem decedit. Verùm melancholia spatio temporis corrupta, uentrem euidenter uellicat: qua ratione eius nūc fluxus mihi difficultas intestinorū appellari apparet. Et quidem ubi omni ex parte corrupta est, nunquam bene per uentrē discedere potest. Verùm non potest in febre, quæ hominem relinquit, altera materiæ pars corrumpi, & in melancholico morbo tota cōcoqui: nam interim dum maior pars aut hìc, aut alibi concoquitur, aliqua est quæ corrumpitur: atque hæc est, quæ acrimoniam alteri parti inuehit. Quòd ergo hæc difficultas intestinorum furori superueniens bono sit, iam satis constat. Potest & aqua intercutem superuenire, uel quia materia melancholica, quæ caput petere consueuit, nunc circa hepar subsistit, aut quia eius copia crescit, atque utrunque uiscus simul obruit. Posterior casus omnino malus, sed neque prior ad modum bonus: nam morbus ex morbo nascitur, & ferè alibi ubique hæc successio interficit: omitto, quòd hydropisis per se plerunq; lethalis existit. Ac de hydropisi quidem Galenus nullam in commento mentionem facit. Sed de mentis alienatione dubitat, quæ illi nihil aliud est, quàm summum quoddam furoris incrementum. Et scimus quidem, quòd summa & extrema accidentia paulopost sanitas excipit: & qua ratione id quoque fiat, abunde in primo & secundo libro Aphorismorum diximus.

Furor ex melācholia mordace.

Melancholia omni ex parte corrupta p uentrē bene abire nequit.

In omni ferè morbo altera pars materię cōcoquitur, altera corrūpitur.

Melācholicis aqua intercutem super-uenit duob' modis.

Morbus ex morbo ferè interficit.

Sūma incremēta sanitas excipit aut mors.

Accidentiũ magnitudo poteſt morbũ breuiorẽ oſtẽdere, ſed non poteſt ſalutẽ accelerare.

Quare aliqñ accidentia ante finem morbi incrudeſcant.

Ita & poſt grauiorem mentis alienationem aliquando melancholia, aut furor relinquit. Nũquam tamen dabo, quòd accidentium magnitudo morbum in bonum abbreuiet, aut ſanitatem accitet: ſed quòd alterum alterũ ſequatur, ex eo eſt, quòd materia, quæ concoquitur, & corrumpitur, quãdam inuicem proportionem ſeruet, & ſimul feſtinet. Ita & in materia melancholica ſubinde ſimul ambo promouentur: quo fit, ut licet morbus ad ſanitatem ſpectet, tamen aliquando accidentia, ratione alterius partis materiæ, quæ corrumpitur, exaſperentur. Forte etiam ἔκστασιν, *animi deliquium intellexit: nam & hoc, ut in principio diximus, multos aliquando graues morbos ſoluit. Verùm raro id furori ſuperuenit.*

APHORISMVS VI.

IN morbo diuturno faſtidium cibi, & deiectiones ſyncerae, malo.

Caliditas appetitum tollit, frigiditas auget.

Deiectiones expertes ſeroſæ ſuperfluitatis.

Suſpicio noſtra.

NON eſt mirum, in morbis acutis ſtatim appetitum aboleri, ſed in longis: etenim hic materia frigida certè parum calida exiſtit. Igitur aut maximum frigiditatis exceſſum, aut frigidam materiam inſigniter putrefactam faſtidium in morbo diuturno ſignificat. Synceras deiectiones appellat Galenus impermiſtas ſeroſæ humiditati: nam multæ ſunt in inteſtinis particulæ glanduloſæ, quæ quotidie ſaliuam quandam uomunt, quæ inteſtina lubricant. Atque hanc quidem in morbis acutis, febris caliditate aboleri non eſt mirum: uerùm in morbis diuturnis, ac frigidis, horum priuatio extremam aliquam ſiccitatem ſignificat. Igitur ſiue naturalis deiectio fuerit, ſiue killoſa, ſiue melancholica, in morbo longo hanc ſeroſam ſuperfluitatem illi miſceri decet. Verùm an hoc Hippocrates reſpexerit, neſcio: forte deiectiones ſynceras appellauit, quemadmodũ nos in ſecundo horum Aphoriſmorum definiuimus, quæ nullius alterius humoris ſcirent ſocietatem: nam uel hæ in morbis acutis, ubi extrema caliditas urget, tolerari poſſunt. Verùm in lentis ac longis morbis, multam ſuſpicionem exhibent, quòd temperatura ſpatio temporis ſit euicta. Neſcio igitur, quare antiquus interpres pro ſynceris reddidit cholericum.

APHO

APHORISMVS VII.

Ex multa potione rigor & desipientia, malum.

QVOD multa mala pariat ebrietas, alibi est dictum. Duo sunt insigniora eius incõmoda: alterũ, quòd sua caliditate inflãmat: alterũ, quòd sua copia aliquando calorem naturalem strangulat. Miseret me eorum, quos eadem nocte, etiam eadem hora suffocatos audiuimus: non tamen omnes suffocantur, quidam duntaxat ad tempus refrigerantur: quomodo & sub lignis uiridibus aliquo temporis spatio flamma contabescit, & postea emicat. Ita & à cibo multi statim insigniter frigent, idq; ex consuetudine. Verùm suspectum est, si quis præter consuetudinem rigeat: atque id rarum. Frequentius est, quòd ob caloris uim & fumi copiam desipiant: nam quid aliud, precor, est ipsa ebrietas, quàm temporanea quædam insania? atque hæc quidẽ lenis: uerùm graue admodum, quòd excocta crapula, delirare perseuerent. Pro diuersa ergo corporis & crapulæ differentia, nunc hoc, nunc illud euenit: aliquando inuicem succedunt, aliquando etiam (licet rarò) simul conueniunt: non est enim impoßibile, ut natura multitudine grauetur, & paulopost, aut etiam simul, calidior uapor caput feriat: quo loco simul & desipiẽtia, & rigor quidam, hominẽ occupant.

Vini duo cõtraria incommoda.

Frigus extremorum à cibo.

Ebrietas temporanea insania.

Rigor & delirium aliquando inuicem succedũt, aliquãdo simul fiunt.

APHORISMVS VIII.

A Tuberculi introrsum ruptione, uiriũ deiectio, uomitio, aut animi defectio fit.

EXOLVTIO, & animi defectio, aut eadem sunt, aut certè sola magnitudine differunt: quomodo & apud Neotericos debilitas, palpitatio, & defectus animi inuicẽ dißident. Hæc Galenus in omni eruptione interiori timet: nã interiores partes magis sensibiles sunt, et sanguinis & spiritus plus cõtinent. Hippocrates tamẽ nusquã inter generalia eruptionis signa habuit: sed & nũc quoque duntaxat de eruptione in uentriculũ intelligere apparet: non enim disiunctiua, ut interpretes, sed coniunctiua ipse usus est. At certũ est, quòd uomitio nullum per se alium, quàm uentriculi sequitur affectum. Sed neque alius usquam affectus citius exolutionem infert: est enim ea pars maxime sensibilis. Est tamen eruptio in

Eruptio interior exolutionem facit.

Nusquã prõptius exoluit eruptio, q̃ quę effunditur in uentriculũ.

hanc partem quàm in externum ſpatium ſecurior: quippe exolutionis diſpendium redimit expurgationis compendium.

APHORISMVS IX.

A Profluuio ſanguinis, deſipientia, ac conuulſio, malum.

PROFLVVIVM ſanguinis, & quoduis aliud, nihilominus infrigidat, quàm exiccat. Et ne nunc quoq; in commẽto Galenus, utra qualitas huius deſipientiæ cauſa ſit, ſtatuit: tantùm præſens delirium cum tremore manuum comparat, & quaſi quandam mentis uacillationem æſtimat. Atque hac quidem ratione nihilomagis ſiccitas, quàm frigiditas, deſipientiam inuehet. Quòd tamen nunc deſipientiam ad ſiccitatem potius, quàm frigiditatem referat, poßis conijcere ex ſequenti quadã ſententia, in qua uel ex uigilia deſipiẽtiam reformidat: accedit, ut alibi diximus, quòd caliditas ſit prima cauſa delirij: ſiccitas uerò ſecunda. An autem reliquæ qualitates poſſent deſipientiam quandam facere, dicetur poſtea.

Et frigiditas & ſiccitas quandam deſipientiam facere poſſunt.

Caliditas prima cauſa delirij, ſiccitas ſecunda.

APHORISMVS X.

A Bileo uomitus, ſingultus, deſipientia, uel conuulſio, malum.

NVLLVM inſigne malum affert uomitus ileo: plerunque illi coniunctus eſt: facile enim à gracilibus inteſtinis malum uſque ad uentriculum aſcendit. Sed pernicioſum eſt, quòd ſingultus uomitum ſequatur: magnam etenim euacuationem ſignificat: nam ſingultum ex plenitudine ipſe uomitus ſanare conſueuit. reddit ſingultum magis formidabilem coniuncta, aut etiam ſecunda deſipientia: nam uel hæc ſiccitatem magis ſuſpectã facit. Idem facit conuulſio. Certior eſt ſignificatio, ubi utrunque accedit, deſipientia & conuulſio. Ita malum ex malo oritur. Non tamen diſtentionem aſſcripſit, quia hæc potius ingentem aliquam torriditatem, quàm temporaneam euacuationem ſequitur.

Singultus à uomitu formidabilis.

Deſipientia cum ſingultu.

Malum ex malo.

Diſtentio rarò ſequitur euacuatiões.

APHORISMVS XI.

A Morbo laterali inflammatio pulmonis, malũ.

DVPLEX occurrit expoſitio: altera morbum ob materiæ multitudi

tudi

tudinem coniungit, & est rarus casus: posterior alterũ ex altero excipit, quomodo morbus ex uno loco in alium abscedit. Atque hæc commentatio apparet mihi potior, uel ob eam causam, quòd pulmonia periculosior, quàm pleuritis. Alioquin dicere poterit Hippocrates, quòd & à pulmonia pleuritis malo esset. Affert Galenus aliam excusationem, quòd pulmonia citius interficiat, quàm pleuritis succedat. Atque id ego intelligere satis nequeo: non enim uideo, cur æger citius interibit, si pulmonia in alium locum ignobiliorem abscedat, quàm in ipso pulmone maneat. Sed neque illud apparet uerum, quòd multitudine exuperante citius pulmonia strangulabit, quàm secunda pleuritis consistet. omitto, quòd iuxta sequentem Aphorismum aliquando in phrenitidem euadit: cur non igitur pulmonia aliquando uel in pleuritidem abire possit? Est tamen hæc excusatio altera tolerabilior. Igitur quod exemplo de pleuritide in pulmoniã abeunte dictũ est, et ad reliquas permutationes traducere decet. Forte tamen pleuritidis potius, quàm pulmoniæ meminit, quia ægrius pulmonia in pleuritidem, quàm pleuritis in pulmoniam transit: nam pleuritis ex subtiliore, pulmonia uerò subinde ex crassiore sanguine consistit, qui non facile pleurã penetrat, aut init.

Nostra opinio.

Galeni commentatio.

Pulmonia in phrenetidẽ.

Suspicio nostra.

APHORISMVS XII.

A Pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

NON puto ego illum per phrenitidem intelligere simplex delirium (quamuis eò Galenus inclinet) sed iustam cerebri inflammationem: neq; huius causa est uapor, qui rectà ex pulmone cerebrũ ferit, sed humor, qui per proximas uenas reuertitur, & hinc ad cerebrum, uel aliò fertur. Non potest autem id esse bonum, sed aut materiæ imbecillitatem, aut morbi uehementiam arguit: nam natura fortis nunquam huiusmodi morbos mouet, nisi concoctos: neq; iam hos in aliud uiscus internum, licet ignobile, effundit, sed foras exigit. Verùm ubi ipsa debilis, uel morbus admodum magnus, etiam crudos aggreditur. Hoc autem nequaquam simpliciter licet audire, quasi natura debilis plus uirium haberet, quàm fortis, aut quòd natura impatiens morbi, quasi Imperator aliquis, in rebus desperatis con-

Ex pulmonia phrenitis.

Natura morbos non mouet, nisi concoctos.

Quare natura debilis citius aggreditur morbum, quàm fortis.

tra uehementem morbum, ex sanguine & spiritu proximo, plus colligeret uirium, quàm aduersus paruum: id enim duntaxat eorum est, qui fruuntur intellectu. Potius est eos considerare, qui iniquo premuntur onere: nequaquam enim ij usq; ad destitutũ locum ipsum deferunt, sed subinde in medio itinere abijciunt. Nec hæc tamen similitudo omnino cõuenit: nam hoc exemplum magis ad imbecillitatẽ retentiuæ, quàm uim expulsiuæ pertinet, & longè alio modo locus affectus materiam morbi, quàm baiulus aliquis in humero onus continet: hic enim uiribus suis sustinet, ille uerò duntaxat, ut uterus aliquis, excipit, ac ne id quidem lubẽter. Proinde (si quidem posset) ne minimo quidem tempore contineret, sed ob imbecillitatem, aut materiæ conditionem eam repellere nequit, donec ipsam concoxerit. Aliquando tamen tanta est morbi procacitas, uel ob eius magnitudinem, aut naturæ imbecillitatem, ut eum nullomodo ferre queat, sed quacũq; ratione eum depellere tentet. Habes exemplum in uentre, in uesica: non enim ob solam naturæ imbecillitatem, sed & materiæ qualitatẽ mordacem fit urinæ stillicidiũ. Sed quid de urinæ acrimonia oportet dicere? etenim quotidie uidere est, quòd non statim quamuis urinæ quantitatem præcipitare festinat, sed donec mediocris quãtitatis collecta fuerit, quæ grauet: non quòd natura plus poßit in paruam quantitatem, quàm multam, sed quia paruum onus uix tentet, & quasi contemnit, magnum uerò indignatur. Et quid ergo mirum est, quòd natura potius grauem aliquem morbum, quàm leuem præcociter, atq; etiam crudum, ante tempus aggreditur? Eadem est causa, quare materia à principio turget: nam per se otiosa est, atq; deses: sed quia sua qualitate uehemẽter prouocat, natura ipsam expurgare gestit, de loco in loco mutat: atq; hæc ad expulsionẽ. Nã eadem ratione nunquam obtinebis, quòd citius concoquitur materia multa, quàm pauca, aut quòd ratione magnorum accidentium citius conficitur morbus uehemens, quàm paruus. Nam quamuis eò uidetur inclinare quoddã Galeni cõmentum, tamen ut alibi diximus, alia est eius rei ratio.

[Margin: Similitudo cum ijs qui molestũ onꝰ proijciunt.]

[Margin: Stillicidium ob urinę mordacitatem.]

[Margin: Iusta exẽplorum comparatio.]

[Margin: Materiæ turgentis occasio.]

[Margin: Occupatio.]

APHORISMVS XIII.

AB æstibus fortibus conuulsio aut tetanus, malum.

NIHIL

NIHIL superest, quod antea dictum non est. Vnum animaduersione opus habet, quòd hîc potius quàm alibi distentionem adiecit: non enim id temere fecit, sed quia distentio ut euacuationem non sequitur, ita multam atq; affatim factam siccitatem sequi potest. Neq; obest, quòd in hecticam raro conuulsio incidat: nam licet per febrem hecticam uniuersus humor exiccetur, ipsa tamen in se corpora per ardentes febres subinde magis torrentur, uel ob eam causam, quòd caliditas hîc sit multo maior, atq; intensior. Distentio ergo tribus modis euenire potest, inflammatione, frigore, & multo calore: couulsio, præter hæc, etiã superflua purgatione.

In febre ardẽte magis fit affatim exiccatio, quàm in hectica. Distentio tribus modis, conuulsio quatuor.

APHORISMVS XIIII.

EX capitis ictu obstupescentia & desipiẽtia, malum.

VVLNVS capitis usq; ad posteriorem caluariæ partem simplex est: periculosum autem, quòd totum caluariæ os usq; ad cranium penetrarit: & desipientia sequitur. Qua autem id ratione euenit, postea dicetur. Si quando uerò per uulnus uentriculi cerebri attriti fuerint, posterior aut medius obmutescentia sequitur, hoc est, omnium operationũ animalium torpor quidam. Idem euenit ipsis temporibus prioribus refrigeratis: facile enim hîc frigiditas ad uentriculos peruenit, quinimo uel contusis istis partibus, sopor quidam oboritur: fieri enim nequit, ut priores particulæ opprimantur, ac contundantur, & cerebri uentriculi suam integritatẽ aut capacitatem seruent: quinimo interdum euenit, ut prioribus quodam modo integris, sed contusis, uioletur (quod minime putes) aliqua ex posterioribus. Sic & in arboribus sæpe uidetur, ut in alia parte findantur, & in alia uim patiantur.

Torpor aut sopor.

Soporis uariæ causæ.

Sępe cerebrũ ab alia parte uiolatur, q̃ feritur.

APHORISMVS XV.

A Sanguinis sputo puris sputum, malum.

SANGVIS extra uenas triplicem patitur fortunam: in loco calidiori resoluitur: in frigidiore concrescit: in inflammationibus longioribus & ulceribus, uulneribusq; suppuratur: calidior enim locus est, quàm ut cõcrescat: & rursum frigidior, quàm ut concoquatur, & resoluatur. Hac igitur

Sanguis effusus triplicem patitur mutationem.

tur ratione in uulnere pectoris primùm sanguis, deinde pus suboritur. Non tamen in omni ulcere pulmonis utrunq; euidenter excernitur: nam & pus sanguinis sæpe aliorum humorum miscella obumbratur. omitto, quòd & ipsum statim quandam phlegmatis phantasiam contrahat.

Sæpe pus omnẽ sanguinis eiectionẽ præcedit.

Pus phlegmatis similitudinem sæpe induit.

APHORISMVS XVI.

A Puris sputo, phthysis & fluxus: cùm uerò sputum retinetur, moriuntur.

NON dixit, A sputo sanguinis: etenim sanguis citra pus recentem ac simplicem ulcerationem indicat, ac solam conglutinationem postulat: pus uerò morbum duplicat, ut quod eiectionem postulat. Itaq; contrariæ atq; pugnantes inuicem intentiones oriũtur: nam pus excretionem, ulcus uerò quietem desiderat: iã puris excretio motu pectoris eget, & rursum motus cõglutinationem prohibet. Ergo quãdiu syncerus sanguis syncerus excernitur, æger seruari potest: puris uerò excretionẽ phthysis sequitur: nam manente ulcere non potest non cor incalfieri, atq; exiccari, tũ quia putredo hinc facile promouetur, tum quia pulmo ulceratus ægrè sequitur. Maximũ autẽ hoc adfert ad phthysim compẽdium: etenim statim cor inflãmatur atq; exiccatur, ubi parũ alacriter spiritus editur. Scio quòd & in inflammatione pulmonis, parum cor refletur: sed hîc impedimentũ breui dierũ spatio redimitur, ulcus uerò subito uinci nequit. Hæc est phthysis generatio: nec enim statim interficit, sæpe diu trahit: periculũ uerò proximum indicat fluxus capillorũ. Maximè nos terrere debet fluxus alui: uirtutem enim omnem internecat, & adeò prosternit, ut pus amplius expurgari nequeat, sed ægrum retentum strangulet.

Pus duo postulat.

Vlcus quietẽ postulat.

Puris excretionẽ phthysis sequitur præsertim à destillatione.

Pulmoniaci non euadunt phthysici.

APHORISMVS XVII.

IN hepatis inflammatione singultus, malum.

GALENVS id ipsum euenire putat, tenuiore sanie redundante in uentriculum. & fieri potest, ut eousq; ascendat: uerùm communius est, ut hæc ipsa per intestina descendat. Certè neutrum multam perniciem significat: nam & in omnibus alijs à principio ferè tenuior sanies educitur inflãmationibus, ne nunc dicam fortunatam potius, quàm malignam esse.

Galeni commentatio parum secura.

Quòd

Quòd sanies potius in substantiam uentriculi impingat, quàm eius spatiũ grauet, utrunq; periculo uacat. Verùm graue est, inflammationem in hepate eousq; creuisse, ut uehementer superiori uentriculo incumbat, aut stomachum adeo exiccet, ut singultum inducat. Nostra expositio.

APHORISMVS XVIII.

EX uigilijs, conuulsio uel desipientia, malum.

QVOD conuulsio ex siccitate sit mortalis, repetitum est usq; ad fastidium. Quòd autem uigilia exiccat, per se est notum: simul autem & incalfit. Sed est certum, quòd hæc incommoda ad siccitatem referat.

APHORISMVS XIX.

EX osßis nudatione erysipelas.

EXVITVR aut aufertur os in ulceribus annuis, hoc est ijs, quæ eroduntur, & fiunt à sanie corrupti oßis. Nec mirum est, quòd cum his ulceribus fiant inflammationes: etenim ulcus & dolor ferè sanguinẽ aduocant. Non corrumpuntur autem aut eroduntur ossa ex quouis sanguine, sed maxime bilioso: etenim is maxime edax est. Proinde mirandum non est, quòd cum talibus ulceribus erysipelas, hoc est, inflammatio coniungitur: imo uix aliter per se huiusmodi ulcera fieri possunt. Illud multã suspicionem præbet, quòd exuto & exciso osse noua inflammatio biliosa superueniat. Mihi autem occultam aliquam distillationem aut fluxum significat: sunt enim & hæc ulcera ex ijs, quæ ægrè curantur. Miror, quòd hæc Galenus dißimularit, aut neglexerit: nam aliquid tale ratio Aphorismi expectat. Dolor sanguinẽ aduocat. Erysipelas cum ulcere. Exciso osse erysipelas.

APHORIMSVS XX.

AB erysipelate putredo aut suppuratio, malum.

ERYSIPELAS rarò suppuratur, sæpe excoquitur, & resoluitur: peßimum est, ubi putrescit, aut corrumpitur. atq; id quidem per se notum est. Forte hoc uoluit Hippocrates dicere, quòd nõ solùm putredo, sed & suppuratio in erysipelate sit mala: etenim magnã naturæ imbecillitatem significat, quia per se ad suppurationem parum cõmode sese habet, Erysipelas rarò suppuratur. Suppuratio in erysipelate mala.

ſed ad reſolutionem feſtinat. Forte etiam ſine uerbo, malum, *ſcripſit. & hoc ſolùm timuit, ne eryſipelas, quòd exutionem oßis ſequitur, aut ſuppuretur, aut corrumpatur, atq; in gangrenam aut ſphacelum euadat: quo caſu ſectionem ultimum remedium poſtulare ſolet.*

Duplex Aphoriſmi reſpectus.

APHORISMVS XXI.

A Forti in ulceribus pulſu, profluuium ſanguinis malum.

NON tantùm implentur uenæ inflammatis particulis, ſed & arteriæ: itaq; ſe nunc produnt, quæ antea latebant. Aliquando autem ita efferuntur, ut uenas uix oblitas, ſuo motu iterum uiolent, ac diſrumpant. Aliquando etiam ſeſe ipſas aperiunt, nec ſine periculo ſanguinem effundunt: difficilius enim coaleſcit arteria, quàm uena: quia præterquam quòd tenuis eſt, etiam continuo laceßitur motu. Verùm quòd coaleſcat, quietem poſtulat.

Arteria difficilè coit.

APHORISMVS XXII.

A uentris dolore diuturno, ſuppuratio.

DOLOR uentris, ex flatu bilioſo, pituitoſo, aut alio humore: in pleriſq; facilem curationem admittit. Sed & inflammmationes pleræq; ad concoctionem properant. Proinde ubi diutius dolor, isq; in aliqua parte fixus, obtinuerit, ſuppurationem expectare oportet: hæc enim eſt, quæ diutius trahit, etiam ſi ex conuenientibus nihil omittas. Loquor autẽ de inflammatione exteriorum partium: nam inflammatio uentriculi, atque adeò graciliorum inteſtinorum ferè morbum acutum committit.

Dolor uẽtris facilem curationem recipit.

Dolor uẽtris diuturnus ex inflãmatione ſuppurationẽ præſignificat.

APHORISMVS XXIII.

A Deiectione ſyncera difficultas inteſtinorum, malum.

NVLLA ſubeſt ratio, cur peior ſit difficultas inteſtinorum à ſyncera deiectione, quàm à permiſta. Melius eſt ergo, & in hoc Aphoriſmo & præcedenti, uerbum, malum, *omittere: nam neque illud dici poterit, cur potius à diuturno, quàm breui uentris dolore ſuppuratio perni-*

Malum uidetur uacare.

ciosa

ciosa existat. Sed neque in exemplaribus meis ascriptum inuenio. Melius ergo est simpliciter audire. Verùm ne sic quidem huius sententiæ apparet ratio: intelligit Galenus, iterum deiectionem synceram, quæ omni societate humoris serosi destituitur. & quidem nos scimus, quòd carnes glandulosæ in intestinis continuæ, quasi saliuam quandam, utiliter gignunt. Verùm hæc nequaquam per omnem intemperaturam absumitur, sed præsertim calidam, & siccam. Non est ergo uerisimile, quòd huc respexit Hippocrates, sed potius syncerum humorem uocat, quicunque alterius permistione caret. Et potuit hanc difficultatem intestinorum bifariam accusare, uel quia syncera deiectio ubiuis alibi sit periculosa, & magni alicuius intemperamenti conscia: uel quia synceræ deiectiones potius, quàm permistæ, intestina exulcerant. Et quidem id de syncerè biliosis facile potest intelligi, & uerè melancholicis: nam horum mordacitas aliorum societate reprehenditur, atque castigatur. Verùm de melancholicis ex succo melancholico, & pituitosis, oritur difficultas: quippe hi nisi alijs confermententur, ægrè & uix longiori tempore intestina erodunt. Est tamē illorum rosio difficilior: nam ut non nisi longo temporis spatio ab ipsis intestina effodiūtur, ita etiam non nisi multo negotio à natura uincuntur. Melius ergo est deiectiones synceras particulariter audire de biliosis, atque atrabilarijs.

Galeni commentatio.

Nostra opinio.

Difficultas intestinorum à deiectiōe syncera bis malum.

Bilis & alius humor mordax facile uel licāt intestina.

Pituita tardè exulcerat, sed difficile eruitur.

APHORISMVS XXIIII.

IN ossis præcisione, desipientia, si in uacuum apprehenderit.

VIDETVR sola caliditas aut siccitas mentem posse alienare: nā frigiditas & humiditas magis obstupefaciunt. Ita & in uentre caliditas concoctionem uitiat, frigiditas autem infirmat. Forte ergo desipientiam nunc quandam mentis infirmitatem Hippocrates appellat: nam ut posset pertusa, aut etiam concussa caluaria cerebri inflammatio sequi, propriū tamen non est. Illud autem perfractæ caluariæ peculiare, ut subito aërem externum admittat, à quo cerebro obiter percusso, leuior desipientia sequitur: quomodo & senes delirare dicuntur. Hac de causa uidetur natu-

Caliditas & siccitas alienant.

Frigiditas & humiditas obstupefaciunt.

Vnica tātùm ratione per se desipientia ossis præcisionem sequitur.

ra maxima diligentia ſpiritum animalem ab externa aëris iniuria protexiſſe, quæ ipſum in primis cerebri uentriculis erudiri prouidit. Forte erit, qui præciſas membranas in hoc loco intelligit, ſed ſermo nimis diſſonat.

APHORISMVS XXV.

EX medicamenti potione, conuulſio lethalis eſt.

ANIMADVERTENDVM eſt, quòd nuſquam in ſimilibus locis diſtentionis meminit, ſed conuulſionis tantùm. cauſa antè frequenter dicta eſt.

APHORISMVS XXVI.

IN forti dolore uentris, partium extremarum frigiditas, malum.

Omnis humor ad locũ fluit affectũ.

SEMPER in partem dolentem multitudo irruit, ſæpe ex particulis proximis, aliquando etiam remotis, pro diuerſa plenitudine: etenim particula affecta, quaſi uniuerſi corporis ſentina redditur. Aliquando tamen ea eſt naturæ anxietas, ut & cor compatiatur, aut ob loci conditionem, aut affectus magnitudinem, aut naturæ debilitatem. Atque hoc caſu uniuerſus ſpiritus & ſanguis etiam ab extremis partibus ad exteriora regurgitat: aliquando etiam materiam morboſam natura intrò uocat. Igitur dolores oportet diſtinguere: mediocres, & qui paulatim fiunt, particulam & uniuerſum corpus accedunt: magni uerò, & qui repente incidunt, ſæpe etiam extrema exanimant.

Naturæ anxietas.

Dolores mediocres accẽdunt, magni exanimant & infrigidant.

APHORISMVS XXVII.

MVlieri utero gerẽti, ſi tenaſmus ſuperuenerit, facit abortum.

FACILIME uterus & inteſtinum rectum ſibĳnuicem conſentiunt, & quæ alteri inſident, alteri moleſta eſſe ſolent. Sed & muſculi, qui cooperantur, uirtuti excretiuæ utrique communes, ita conatus recti inteſtini ad uterum quoque peruenit. Eſt quidem uerum, quòd natura legitimè ſeſe habens, bonum retinet, & moleſtum depellit: ita in uentre proprium ſuccum ſibi appingit, & quod ſupereſt, excludit. Verùm rurſum

Conſenſus uteri & recti inteſtini.

ſum malè affecta utrunq; proijcit. Argumento eſt cholera, & dyſenteria, & multiplex dyarrhœa.

Natura malè affecta nullũ facit delectũ.

APHORISMVS XXVIII.

QVando os, aut cartilago, aut neruus abſcinditur in corpore, neq; augetur, neque coaleſcit.

IMPROPRIE Augeri dixit: uult enim dicere, quòd neque unitur, neque reparatur. & quomodo ergo augeri poßit?

APHORISMVS XXIX.

EI qui leucophlegmatia detinetur, ſi fortis uentris fluxus ſuperuenerit, à morbo liberatur.

NON ſemper pituitoſus habitus albedinem exhibet, ſed quandiu pituita fuerit ſimplex: nam permiſta, aut etiã corrupta, potius pallidum, hoc eſt, ſubflauum colorem oſtendit. Id facile eſt uidere in anaſarca. Nihil autem refert, ſiue nunc per albam pituitam anaſarca, aut etiam aſcitem intelligamus: nam per uentrem utraque pituita ſolui poteſt, & ea quæ in habitu corporis ſedet, & ea quæ in uentre: multo magis ea, quæ in uenis intermedijs: ac forte ſeroſa pituita, quæ in uentre hæret, quouis tempore ad expurgationem eſt opportuna. Verùm craſſa, quæ in hepatis uenis ſedet, per quos debet fieri expurgatio, ſæpe illius eiectionem prohibet.

Pituita aliquãdo colorem mutat.

Vndiq; pituita in uẽtrem uenire poteſt.

In hydropiſi materia duplex.

APHORISMVS XXX.

QVibus in alui profluuijs excrementa ſpumoſa ſunt, ijs ex capite pituita defluit.

EST uerum, quòd calor & motus ſpumam conciliant, non tamen ubique eſt, ubi materiam deſiderant. ita neque in pleuriticis, neque pulmoniacis ſputum ſemper eſt ſpumoſum, duntaxat aliquando: non enim materia ſpumæ generandæ ſemper ſufficitur. Interim etiam à multo calore diſtinguitur. Non poſſum tamen intelligere, cur hic Galeni locus potius in pleuriticis, quàm pulmoniacis ſputum ſpumoſum expectet: nam ut pleura longius poſita, ita quæ educuntur ex pulmonis ſubſtantia ſunt natura magis ſpumoſa. Iam ſi calorem ſpumæ in cauſa conſtituat (profe-

Cauſa nõ ſufficit, niſi materia adſit.

Dubitatio noſtra.

Sputum in pulmoniacis natura magis spumosum, quam in pleuriticis.

cto ita nunc apparet) tanto magis spumosum debet esse sputum in pulmoniacis, quàm pleuriticis, quãto pulmonia pleuritide est acutior. Scio quòd facile est præsentem cõmentationem tutari, uerùm mihi suspecta apparet. Sed & Græca lectio quodammodo ambigua est, & perplexa, quæ duo aduerbia coniuncta habet: nam si rarius spumosum expuant pulmoniaci; quid attinebat μᾶλλον adÿcere? Sed hæc peritioribus relinquimus: nobis satis est nodum indicasse, atque omnibus ostendere, ut nihil intactũ præterimus, ac quòd magis contenti sumus subire fortunam calumniæ, quàm frustrari aliorum studia. Quòd ergo nõ omnis ubique calor spumã generat, dictum est. Eodem modo neque motus ubique ipsam gignere potest: argumento, quòd in catarrhis sputum raro spumosum, multo minus tale erit, quod ad uentrem, aut intestina descendit. Proinde hæc sententia non nisi in paucißimis experientiam attestantẽ habebit, uel ob eam causam, quòd tale ab ipso uentre uenire potest, uel etiam in ipsis intestinis nasci: & quomodo ergo quidam ex spumosa urina catarrhos præsagiunt? Sed de ÿs postea.

Nihil decet dissimulare.

Sententia rimosa.

Vulgaris error.

APHORISMVS XXXI.

QVibuscunq; febricitantibus, in urinis sedimina, ueluti, farina crassior, longam ægritudinem fore significat.

OBSCVRE dixit Galenus in fine commenti, quòd ex ÿs, qui talem urinam mingunt, quidam longiori tempore conualescunt, quidam uerò subitò intereunt. Potius erat, urinas oleaginas, aut pingues, farinaceas, aut furfuraceas distinguere: etenim aliquando uehementem colliquationem, aliquando solam morbi materiam, aut certè concoctionem arguunt: discernitur id ex prioribus fortunis: non enim omnem fortunam corporis colliquatio sequitur, duntaxat grauiores & ardentiores febres. Vnde ne in hecticis quidem ista semper uidentur: quia calor hecticus paulatim corpora demolitur. Tanto incautiores Neoterici, qui triplicem aut quadruplicẽ hecticam distingunt. In prima urinam faciunt oleaginam. In secunda farinaceam. In tertia furfuraceam. In quarto laminosam. Bis

Vrinę pingues & oleaginę uaria significant.

Colliquatio fit affatim.

Neotericorũ lapsus.

ter

ter errant: nam ignorant, quòd hectica citra colliquationẽ consistere possit, paulatim torrefacto corpore. Deinde & hoc nescire apparent, quòd colliquans febris citra hecticam aliquando fiat. Magis est puerilis illorũ error, dum laminosam urinam à furfuracea periculo distingunt: nam (ut scripsit Galenus in libris De crisibus) potius fortuna, quàm periculo differunt. Sola ergo hæc urina ægrum subito interiturum ostendit, quæ colliquationem carnis affatim ob oculos ponit, quam urina oleagina solet præcedere, & furfuracea sequi. Est alia, quæ per se, absque ulla uehementi febre apparet: & hæc proculdubio materiæ crassitudinem, sed meatuũ libertatẽ prædicat, ac tanto urina aquosa melior uel per se: tamen mali alicuius, ac difficilis morbi argumentum, quia crassus humor non nisi longiori tempore concoqui poterit.

Crassa Neotericorũ ignorantia. Colliquãs febris citra hecticam. Vrinam farinaceã ex colliquatiõe oleagina pcedit, furfuracea se quitur. Vrina farinacea citra colliquationem. Vrina crassa melior aquosa.

APHORISMVS XXXII.

QVibus autem urinis biliosa sedimina, ac superne tenuia sunt, acutum morbũ significant.

GALENVS tempora ac dies distinguit, atque diuersas diuersis temporibus sibi inuicem succedentes urinas cogitat: priores aquosas, posteriores biliosas habet. Et possunt ita seinuicem sequi. Verùm ego nõ uideo, quid ijs rebus Galenus faciet: nam hæc uicißitudo potius longum, quàm acutum morbum minatur, utpote ex uarijs compositum. Certe multo acutior est morbus syncerè biliosus, quàm pituita permistus. mallem ergo ego hic urinam biliosam audire, quæ primis quidem diebus sedimẽ ostendit, sed biliosum, hoc est, admodum tenue, & suprà, hoc est in supremam urinæ partem, per modum nubeculæ sublatum: id enim admodum biliosum morbum ostendit. nam in pituitoso contrà sedimen in fundo quasi sedentarium sedet: reliquis per modum sublimamenti circa medium attollitur. Proinde hoc sedimen, quod nunc describitur, omnino contrarium illi, quod in priore Aphorismo est definitum, & contrariũ quoque morbum significat, id acutum, illud uerò longum.

Galeni commentatio. Nostra expositio. Biliosum sedimen suprà fertur. Sedimen pituitosum in fundo deses. Sedimen suprà tenue biliosum, acutũ, crassum uerò ac farinaceũ longum significat morbũ.

APHORISMVS XXXIII.

QVibuscunq; urinæ sunt diuulsæ, ijs turbatio fortis in corpore fit.

Error errorẽ adducit.

Galeni commentatio.

Nostra expositio.

Allusio ad Aphorismorum ordinẽ.

Natura minus fert diuersos quàm uniformes humores.

EIVSDEM ferè argumenti aut generis sunt tres hi Aphorismi: tanto minus est admirandum, quòd in hoc commẽto Galenus lapsus sit, qui in priori aberrauit: uulgo enim dicitur, quòd error errorem inducit, & inuitat. Per distantes urinas cogitur intelligere eas, quæ omni ex parte concoctæ non sunt. Ita substantia urinæ subinde bona est, sed color uariat: & econtrario subinde color urinæ legitimus, sed substantia tenuis. Sæpe etiam hypostasis partes diuulsas habet, & quodammodo inuicem differentes: uerùm nihil istorum malum, sed ferè manifestam concoctionem significat. Melius ergo est intelligere distantes urinas, non quidem uarias in una urina partes, sed uarias atq; differentes diuersis temporibus urinas, forte, altero die biliosas, altero pituitosas, cruentas, aut melancholicas: hæc enim fortem in corpore tempestatem ac seditionem, ac contrarios morbos significant. Hunc sensum etiam ordo horum Aphorismorum expostulat: nam quum in altero ex prioribus ostendisset, qualis esset urina, in morbo longo, in altero uerò qualis in morbo acuto: conueniens erat ostendere, quòd aliquando tales urinæ inuicem succederent, non sine magna corporis perturbatione: nam longè grauius turbatur natura à diuersis, ijsque contrarijs, & impermistis, quàm simplicibus humoribus. Videte ergo, quàm eleganter & solerter hunc Aphorismũ reliquis duobus subtexuit.

APHORISMVS XXXIIII.

Vrina ex motu spumosa.

QVibus in urinarum summo bullæ insident, morbum renalem & longum significant.

Flatus frigiditatem sequitur.

Spumosa per se urina renũ frigiditatem significat.

MELIVS habent reliquæ translationes, Quibus in urinis bullæ supernatant. *Et potest urina ex solo motu fieri spumosa, aut bullis differta: sed per se neque flatus, neque bulla, neque spuma citra frigiditatem corporis nostri gigni potest. Sic per frigiditatem hepatis sæpe generantur flatus, sed ij ferè retruduntur in uentris spatium, ac tympanitem faciunt: in uenis non uideo, quomodo fieri & consistere possunt. Ergo spuma, quæ cum urina abit, nusquam aliunde, quàm ex renibus refrigeratis, originem trahere potuit: etenim uesica frigidior, quàm ut flatus mouere,*

aut

aut spumam generare possit: non enim per quamuis frigiditatem ipsa generantur, sed cum calido coniunctam. Eleganter ergo, & breuiter dixit Hippocrates, quòd urinæ spumantes aut bullantes morbum renalem, eumq; longum significat: nam omnes frigidi morbi (exceptis paucissimis) longi existunt. Videte ergo, quàm inepti ac friuoli sunt, qui ex urina spumante catarrhum colligunt: certum est, quòd nihil penitus intelligunt. Magis sunt ridiculi, ubi ea, quæ in supremis partibus matulæ apparent, capiti: quæ uerò in medijs, pectori: & rursum quæ in fundo subsistunt, infimis corporis partibus attribuunt. Vera ludibria: faciunt, ut multa intelligendo, nihil intelligant.

Omnes morbi frigidi longi.

Neotericorũ uera ludibria.

APHORISMVS XXXV.

QVibus autem summum est pingue & confertum, ijs renum dolor, & morbus acutus significatur.

MALE quidam legunt, Subsidens: sed & uerbum, Insidens, amicè oportet audire, pro eo quod supernatat: nam spuma & pingue, utpote magis aërea, semper alijs superferuntur. Et potest quidem urina propter multas alias, etiam externas causas, pinguis esse: sed ijs circuncisis, aut totius corporis, aut renum colliquationem significat. Discrimen est, quia colliquatio uniuersi corporis paulatim fit, & diu durat: renum uerò subito cõpletur. Et quia per particularem affectum ac proprium colliquantur, admodum & confertum idipsum patiuntur. Rectè ergo scripsit Hippocrates, & ingeniosè, quòd urina, quæ multum est pinguis, aliquot diebus, sed paucis, desinit: acutum uitium in renibus, hoc est inflammationem significet, quæ ferè cum acuta febre, ut & in alijs internis uisceribus euenit, coniungitur. Proditur autem hæc inflammatio & alijs quibusdam signis, præsertim continuo circa renum dolore.

Vrina pinguis per se colliquationẽ significat.

Colliquatio uniuersi corporis paulatim, renũ uerò affatim.

Vrina subito pinguis inflãmationem in renibus significat.

APHORISMVS XXXVI.

QVibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiunt; si quidem circa loca exteriora fiant,

abscess

abſceſſus quoque exterius futuros expecta. Si uerò dolores magis circa loca interiora fiant, etiã abſceſſus expecta futuros interius.

Galeni reſpectus obliqu⁹.

GALENVS in cõmẽto uidetur hunc Aphoriſmũ uoluiſſe cõtrahere ad longos affectus renum. Melius eſt, ut ad utrunque genus morborum referamus, aut certè ad acutum potius, quàm longum: nam de acutis nouiſſimè dixit: atque ij proculdubio ſunt, qui magis abſcedunt, hoc eſt de loco in locum migrant, & nunc in poſteriores, nunc in priores muſculos abſcedunt. Dolor diſcriminat, prout à loco renum in uentrem, aut dorſum magis inclinat. Neſcio igitur, quorſum Galeni dubitatio in commento ſpectat: nam quòd inflammatio à principio ſiue ſuppuretur, ſiue reſoluatur, ſimul cum renibus aliquam partem muſculorum appræhendat, fieri poteſt. Verùm quòd materia inflammationis renũ partim hîc maneat, partim longius in muſculos abſcedat, rarum eſt. Credo illum magis hoc uelle definire: quòd non ſolùm inflammationes in renibus, ſed & muſculis proximis, eò aliquando abſcedant. Sed rurſum mirum eſt, cur ſuppurationis in commento meminerit: non enim cùm pus à renibus in muſculos excernitur, muſculi abſceſſum pati æſtimantur: ſed quando materia inflammationis integra in muſculos decumbit, atq; ibi quaſi ſecundam inflammationem conſtituit. Ferri tamen poteſt appellatio.

Sermo eſt de acutis inflammationib⁹ in alium locum abſcedẽtibus.

Galeni dubitatio.

Noſtra ſuper Galeno coniectura.

Abſceſſus ſecũdo modo.

APHORISMVS XXXVII.

QVicunq; euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi uerò cum febre, malum. Curare uerò acerbis, & refrigerantibus.

POTEST fieri, ut collectam multitudinem natura aliquando ſurſum efferat: uerùm in febricitantibus longo tempore, & quibus idonea adhibita ſunt conſilia, fieri non poteſt, ut multitudo ſuperet. Sed hic uomitus ſanguinis aut ex uniuerſo corpore regurgitat, aut ex ulcere aliquo erumpit, non quidem ut indoctus putabit, in uenis ſupra hepar, ſed in uentriculo, aut gracilibus inteſtinis. Poteſt eadem fortuna ſanis accidere, ſed prõptius remedium admittit: nam ulcus ſtatim adſtringentibus curare licet: in

Poſt multam febrẽ ſanguis erumpẽs aut totius imbecillitatẽ aut ulcus ſignificat.

in febricitantibus uerò febris prohibet: nam hæc ratione materiæ aperientia & extenuantia postulat, ulcus uerò adstringentia & frigida. Itaque intentiones curationum pugnant, & alterum alterum exasperat. Atque hæc de uomitu sanguinis ex ulcere. Abi nunc ad quamuis aliam eius causam, ac si placet, in omnem figuram hunc Aphorismum uerte, & semper inuenies, quòd uomitus sanguinis difficilius remedium obtinebit in febricitãtibus, quàm sanis, etiam is, qui ex uniuerso corpore regurgitat: etenim is refectionem postulat, quam febris detractat.

Curatio febris & ulceris pugnant.

Omnis flux* sanguinis in febribus difficilem curatione patitur.

APHORISMVS XXXVIII.

DIstillationes in uentrem superiorem suppurantur intra uiginti dies.

MIROR supra modum Galenum, qui in hoc loco distillationes uulgariter audit pro ijs, quæ per asperam arteriam in pectus fluxiones irruunt. Nam ipse in alijs locis ostendit, quòd ex omnibus humoribus solus sanguis suppurationem patiatur. Credo illi accidit, quod quibusdam itinere fatigatis: non enim his lubet amplius aut huc, aut illuc oculos conuertere, ac circunspicere, sed præ laßitudine terram despiciunt, uix oculos attollunt, ac solum ad scopum respiciunt: quo fit, ut sæpe cespitent. Ita fortaßis & Galenus quasi sub finem fatigatus, nimio properandi studio lapsus est: nam certũ est, quòd Hippocrates distillationes, inflammationes intelligit, quas destillatio aut defluxio ex magnis uenis parit: paucæ enim sunt, forte etiam nullæ, quæ paulatim in loco affecto, sua initia colligunt: et quidem hæ subinde resoluuntur, aliquando etiam suppurantur, aliæ quidem quadragesimo, aliæ decimoquarto. Verùm communior terminus eorum, quæ in pectore suppurantur, est uigesimus: nam hîc tanto magis festinare debet resolutio & suppuratio, præ ijs, quæ in inferiore uentre, quanto superior uenter, hoc est pectus, inferiore sit calidior.

Mirabilis Galeni expositio.

Galenus fatigatus.

Per destillationes inflãmationes intelligimus.

Rare inflammationes ex collectiõe superflui alimẽti.

Inflãmatiões in pectore magis festinãt, quàm in uentre

APHORISMVS XXXIX.

SI quis sanguinem minxerit, & grumos, & stillicidio urinæ laboret, & dolor inciderit in imũ uen-

trem, pectinē & ad anum: circa uesicam morbus esse significatur.

Galeni obliqua expositio.

Hippocratis intellectus.

FORTE hic Aphorismus ab alio asscriptus, forte etiam ab ipso Hippocrate à principio repetitus: non enim illi, qui uarijs temporibus uaria Apohthegmata scribit, singulis uicibus uacat respicere, quid præscripserit. Quòd autē obliquè admodum hunc Aphorismum Galenus acceperit, in quarto dictum, neque ulla illi superest excusatio, nisi forte unūquodque seorsum signum acceperit: non enim statim ex uesica laborat, qui grumos, qui sanguinem minxerit, sed qui simul in uesica dolorem senserit: atque id proculdubio Hippocrates intelligit.

APHORISMVS XL.

SI lingua repente incontinens fuit, aut aliqua pars corporis stupida, tale est melancholicum.

Duplices morbi melācholici.

Ex cholera adusta.

Morbi ex quolibet humore secretiorem habent inuestigationem.

Differentia ex temperatura, uictu &c.

Sentētia hæc neque epilepsiam, neque apoplexiam respicit.

Galeni supplementum.

Particularem linguæ noxā Hippocrates intelligit.

PROPRIE dicuntur morbi melancholici, similares, atq; adeò ex humore melancholico. Proximi ijs sunt communes, aut instrumentales, sed cum manifestis signis humoris melancholici, & ulcere quodam, cancri, & id genus alij. Quòd si sub humore melancholico etiam continueris choleram adustam, talis est Græcorum lepra, & uitiligo nigra: & hi quidem morbi ab alio humore fieri non possunt. Sunt alij, qui ex diuersis humoribus fiunt, nunc pituitoso, nunc melancholico: quorū natura ut est secretior, ita occultioribus signis oportet illorum differentiam quærere. Plurimum ad ea confert temperaturam & uictum agnoscere. Sic quidem apoplexiam, epilepsiam discernimus, an ex humore fuerit melancholico, an pituitoso. Idē de mutis est iudicium: nam apopleticos aut perculsos sensu, atque motu priuatos, Hippocrates uno uerbo mutos appellare consueuit. Non potest tamen legitimè referri de his hæc Hippocratis sententia, quòd apoplexia, atq; etiam epilepsia, nihilo infrequētius, imo frequentius ex pituita oriantur, quàm melancholia. Et quidē Galeno satis est, alterum supplere: uerùm id est magis Hippocratis sententiam scindere, quàm asserere. Credo quòd ne ipse quidem Hippocrates talem cōpositionem cuperet. Potius credam, quòd particularem linguæ noxam intellexerit: nam & nos

duos,

duos, tres uidimus, qui subito facti muti, tales usque ad finem uitæ multis annis permanserunt, nusquam nisi à solo linguæ officio excidentes. Nunc uidendum est, si hoc ipsum potius melancholicum, quàm pituitosum humorem arguat. Mihi certe ita uidetur, idq; ob duas causas. Primum, quòd citius & magis repente labitur melancholia plerunque, quàm pituita: nã ut ipsa magis crassa, ita pituita magis lenta. Nec dubium, quin illius motum aliquando lentor remoretur. Itaque non dixit Hippocrates, Si lingua incontinens fiat: sed adiecit, repente. Quòd autem de partis potius, quàm totius uitio loquutus sit, postrema particula ostendit, ubi subscripsit, Aut aliqua pars corporis elanguit. tale est melancholicum. Quomodo, precor, potuisset magis priorem partem Aphorismi ad particulare linguæ uitium contrahere? Ac certum est, quòd ipse per experientiam ita inuenit. Ratio uerò hæc mihi apparet. Melancholia modica est in corpore, ac non nisi rarò uniuersum corpus sufficit afficere: econtrario pituita multa est, ac subinde uniuersum corpus obruit. Iam melancholia prõptè initium particularis nerui init: pituita uerò circa principium uniuersale suo lentore subsistit. Itaq; particulares partium affectiones ac stupores ferè melancholiam, uniuersales uerò pituitam magna ex parte sequuntur. Ita & conuulsiones sæpius ex melancholia, quàm pituita fieri diximus. Videte ergo, an non ingeniosè admodum dixerit Hippocrates, quòd stupor linguæ, aut exanimatio alicuius partis priuatæ, magna ex parte melancholiam arguat.

Melancholia potius repente labitur q̃ pituita.

Repente.

Rarius melã cholia uniuersum corpus afficit, quàm pituita.

Melancholia neruũ init, pituita circa principium subsistit.

Conuulsio sæpius ex melã cholia quàm pituita.

APHORISMVS XLI.

SI senioribus supra modũ purgatis, singultus superuenerit, non bonum.

QVOD alibi dixit communiter, hoc nunc dicit de senibus specialiter. Est autem certum, quòd in senibus, quàm alijs omnia mala sunt suspectiora, etenim senes paucis bonis humoribus præditi, & multa uenarum angustia, multa obstructione impediti. Iam in adolescentibus peccatum aliquando castigari potest, ac iactura reponi: in senibus uero malum immedicabile, non solùm quia illorum corpus est debile, uerùm quia præter-

In senibus omnia mala suspecta.

ea admodum ſiccum.

APHORISMVS XLII.

SI febris non ex bile ſit, multa aqua calida capiti ſuperinfuſa, ſolutio fit febris.

Diuerſa diuerſarum febrium nomina. Ardentes. Succẽdentes. Peſtilentes. Synochi. Aphoriſmi ſententia. Balneum. Capitis dilutio. Putridæ febres grauia deſiderãt auxilia.

FEBRES cum inflammatione interiorum partium ferè nomine inflammationis ſolent compræhendi: acutæ ſpecialiter nomen habent, in ſpeciebus ſuis ferè ſingulis, atque aliæ, quippe bilioſæ ardentes, atque incẽdentes: reliquæ ſuccẽdentes appellãtur: peſtilentes, ſynochi, aut id genus aliæ. Intermittẽtes excluſit Hippocrates hoc uerbo, Si non ex bile habeat. *quippe ſub bile compendio aphoriſtico & alias cõtinet intermittentes, & quotidianas, & quartanas. Sententia ergo eſt, Febris diaria curatur aqua affuſa capiti, hoc eſt, irrigatione balnei. Eſt tamen uerum, quòd eas, quæ uel ex ardore ſolis, uel longa uigilia natæ ſunt, ſufficiẽter curat ſolius capitis dilutio: uerùm propter alias melius eſt ſub hoc particulari & topico remedio accipere uniuerſi corporis balneum, magnum ubiq; febris diariæ remedium. Atqui putridæ febres grauiora auxilia poſtulant.*

APHORISMVS XLIII.

MVlier ambidextera non fit.

Aſtris forma refertur accepta. Viri effœminati. Mulieres uiragines. Calidiſsima mulier nõ eſt mediocris uir. Omnia depẽdent ex calore naturali. Amazones.

NON eſt temperatura principalis aut formæ, aut ſexus cauſa, ſed duntaxat ſecunda. Eſt enim aliquando facultas aſtrorum adeò potẽs, ut licet materia ſit parum idonea, forma tamen ſit integra, ac potius maſculus fiat, quàm fœmina. E contrario facultas aſtrorum aliquando adeò impotens eſt, ut non ſequatur materiæ opportunitatem, ſed ex principijs ſatis calidis formet fœminam. Ita uiri aliquando fiunt effœminati, & econtrario mulieres uiragines. Nunquam tamen calidiſsima mulier peruenit ad mediocritatẽ uiri: & quomodo ergo mulier ambidextera fieri poßit? non enim mediocris uir, ſed qui ſupra communem hominum ſtatum ſanguine & ſpiritu polluerit, ambidexter naſcitur: nec enim tantum robur uirtutis uitalis, aut naturalis, ſed & animalis ex copia caloris dependet. Argumento Amazones, quæ dexterum uber ſolerter præciderunt, ut ſpiritus & ſanguis, qui dextero uberi deputatus erat, brachium dexterum

firma

firmaret: nec suo fine exciderunt, nunquam tamen utranq; manum prōptam sibi fecerunt, ad modum uirorum: tanta est in illis caloris naturalis inopia.

APHORISMVS XLIIII.

QVicunque suppurati uruntur, uel secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt: si uerò subcruentum, & feculentum, ac fœtidum, pereunt.

VSTIO ac suppuratio extremum morborum remedium, nec ubique conuenit, sed ubi concoctam materiam præ imbecillitate excernere nequit. Est enim is unus in statu morientium modus. Fateor, uiolentum & periculosum esse remedium, sed melius est experiri idoneū auxiliū, quàm incidere in certum periculum. Neq; id rursus temere est audendum, sed ubi morbus nobis concoctus apparet: nam crudus morbus nūquam rectè expurgari poterit. Et sunt ad hoc nobis in singulis locis, probabiles quædā coniecturæ, atq; hæ tantùm: certo enim præscire non licet. Atque qui hîc admittitur error, ars excusat, & ipsa fortuna: talis enim est, qui in suppuratis ac hactenus deploratis, mortem præcipitare potest, inferre nō potest. Satis ergo est, paulo ex ipso colore antea periculum prouidere: Si pus, *inquit,* purum fluxerit, & albū, *hoc est, bene concoctum, quippe æquale, leue, crassum, & parum fœtidum:* euadunt, *hoc est, spes est ut euadere poßint.* Sin autem subcruentum, aut in modum fecis subflauū, lentum, aut aliter coloratum, ac uehementer fœtidum, pereūt: *nam morbus crudus bene euacuari nequit. omitto, quòd excrementum fœtidum malignum sit, nedum crudum. Et quomodo ergo æger seruari potuisset? Scio quòd concoctio tempus requirit: uerùm neq; statim partē urimus, aut secamus, sed ubi opportuna iusto temporis spatio remedia nihil profuerint.*

Crudus morbus relinquēdus.

Error condonandus.

Puris concocti conditiones.

Pus crudum aut malignū.

APHORISMVS XLV.

QVorum hepar suppuratū aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadūt: in tunica enim

his pus continetur. Si uerò qualis amurca fluat, pereunt.

PRIOR sententia de suppuratione in pectore: hæc uerò de suppuratione in hepate. Videbitur ergo utraq; sententia quibusdam eadem, tantũ exemplo diuersa. Iidem forte & hoc dicent, quòd pus alibi crudum, aut malignum phantasia differet ab eo, quod est in hepate: quasi alibi sit cruentum & cœnosum, hic uerò ad modum fecis olei feculentum. Verùm ij uicißim à nobis audire debent, quòd pus quatenus ex sanguine inflammationis proficiscitur, easdẽ ferè ubiq; mutationes patitur: neq; iam pus feculentum ad modum amurcæ super corruptione materiæ inflammationis, sed ipsius hepatis significat: etenim hepar quasi sanguis concretus cernitur. Quare si quando in ipso inflammatio suppuratur, partem carnis ipsius reprehendit, uiolat, ac corrumpit, ratione cuius pus amurcæ simile apparet, & proculdubio mortem portendit: nam substantiam hepatis uix obiter citra mortis discrimen uulnerare contingit: & quomodo ergo referentur, quibus integræ particulæ suppuratæ fuerint? Non tamen affectio tunicæ ipsius mortalis existit: nam & cordis tunicæ periculum pati poßũt. Recte ergo dixit Hippocrates, quòd album pus salutem promittit, feculentum uerò mortem præsagit: nam hoc suppurationem in hepate, illud uerò in ipsius tunica factam declarat, & citra magnum hepatis detrimentum.

Pus per se ubiq; eandem præbet phantasiam.

Pus amurcæ simile hepatis substantiã corruptam significat.

Detrimentũ hepatis mortale.

Suppuratio sub tunica hepatis pus albũ exhibet.

APHORISMVS XLVI.

DOlores oculorum, post meri potionẽ, & aquæ calidæ balneum, uenæ sectione curato.

BIS Aphorismus hic peccat: primùm, quòd potiora quædam remedia, utpote purgationem, omittit. quod grauius est, ordinem inuertit: nam uenæ sectio ante balneum conuenit. sed & ibi peccat, quòd sine discrimine uni morbo multa remedia simul describit: nam si aliquando, non tamẽ semper, hæc omnia uni affectui conueniunt.

Ordo inuertitur, & præcipuum remedium omittitur.

APHORISMVS XLVII.

AQua inter cutem laborãs, si tussi corripiatur, desperatus est.

Vbique

VBIQVE oportet distinguere, quod per accidens est, ab eo, quod per se est. Ita & in proposito, siquidem tussis ex aliqua externa occasione euenerit, secura est, sed periculosa admodum, quæ hydropisis sequitur magnitudinem. Atq; id ut prius diximus, multis modis fieri potest: aliquando enim hepatis frigiditas in immensum crescit, & totum corpus: nedum pectus occupat. atq; hic tussis admodum mala existit. Galenus cogitat, quòd aliquando præ nimia multitudine humor in pectus per longas ambages exorbitat. Nec id fieri potest sine maximo discrimine. Nam priusquam hac ratione tussis eueniat, ferè necessum erit, ut uniuersum uenarum corpus eodem humore exuperet. Frequentius (ut mihi apparet) in hydropisi molem ac magnitudinem tumoris, tussis sequitur, quæ septum transuersum suo onere detrahit. Atq; hæc ab alijs duabus siccitate distinguitur: reliquæ enim duæ tusses omnino siccæ non sunt, nec uerebimur hic hoc nostrum commentũ adijcere. Fecit nos audaciores ipse Hippocrates: hic enim in secundo Præsagiorum (consentiente Galeno) hydropisim, quam ab ilijs inchoat ex hepatis mole, cum sicca tussi definit: multo magis in fine hydropisis superuenire poterit, quoniã illius magnitudo semper crescit.

Tussis uarijs ex causis hydropisim sequi potest.

Tusses siccæ periculosiores.

Allusio ad Hippocratẽ.

APHORISMVS XLVIII.

VRinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, uini potio, & uenæ sectio soluit: incidere autem interiores.

VRINÆ difficultatem propriè appellamus, ubi collecta ægrè redditur. Fit autem id propter inflammationem, aut aliam ignauiam, aut ex pituita, aut ex grumo, aut id genus alio, obstructionem. Imperfectè ergo in sexto scripsit, quòd difficultatem urinæ uenæ sectio soluit: nam alteram uini potio expedit, & ijs similia. Est autem & hic sermo perplexus, qui duo diuersa remedia, duobus morbis habet communia: quum tamen uinũ uni duntaxat sit idoneum: neq; enim uini potio in quauis difficultate urinæ cõuenit, magis in ipso stillicidio, quod ex frigiditate oritur, aut ex acrimonia humorum in urina mistorum committitur: nam nisi hi multi fuerint, promptè eos uini potio præcipitat. Est tertium incommodum huic sen

Vrinæ difficultas duplex.

Inflãmationẽ soluit uenæ sectio.

Difficultatẽ urinæ ex obstructione uini potio.

Stillicidium urinæ ex frigore & humorum corruptione.

Vulgaris obseruatio.

tentiæ cum ea, quæ in sexto scripta est, commune, quod interiora ab exterioribus discriminat: nam contendẽte Galeno idem est usus utriusq; uasis. Vulgus tamẽ hodie obseruat. Sed & caput illud, quod Hippocrati asscribitur, de uenarum natura, idem asseuerat. Sed ijs omnibus mihi Galeni ratio maior est: non tamen eum recipiam, qui & de uenis in brachio idẽ disputat: harum enim alia est ratio, quam alibi explicabimus.

APHORISMVS XLIX.

AB āgina correpto, tumor & rubor in pectore superuenientes, bonum: extra enim uertitur morbus.

Eruptio ad exteriora in statu bona, alibi periculosa.

NON ubiq; id bono est, sed duntaxat in statu: nam in principio ferè materiæ arguit multitudinem, in augmento autem materiæ procacitatem: materiā enim natura mouere non solet, nisi concoctā. Itaq; duntaxat in statu hunc tumorem in exterius uerti contingit. De rubore certe dubitare licet, quoniam sanguis, postquam in inflammatione concoctus est, ruborẽ exuit, & alborem quendam recipit. Forte ergo hoc ab alio adiectum: aliquando etiā ita per accidens cōtingit: rarò enim materia inflāmationis extruditur, quam non ex proximis partibus aliquis sanguis sequatur. Alleuiatio etiam discriminat: siquidem à rubore hoc spiratio promptior, deglutio facilior bono. Si uerò eadem, aut maior difficultas imcūbit, potius materiæ copiam, quàm naturæ potentiam indicat.

Sanguis concoctus ruborem exuit.

APHORISMVS L.

QVibus cerebrū sphacelatum est, in tribus diebus pereunt: si uerò hos euaserint, sani fiunt.

Sphacel⁹ aut gangrena.

SPHACELVM aut gangrænam appellat inflammationẽ pro parte demortuam: sæpe penitus particula denigratur, atque emoritur, & partem oportet abscindere. Frequens malum in cruribus, non tamen id licet conspicere in occultis cerebri inflāmationibus, sed manifestis, quales aliquando sequuntur magna capitis uulnera. Plerunque tamen hæc uulnera interficiunt, priusquam magnitudo inflammationis eò peruenit, idque ob partis primatum: neque enim eius munere uita diu priuari potest.

Casus in externis uulneribus capitis.

Rectè ergo per sphacelum, Galenus intelligit sphaceli quoddam initium: ac rursum alibi forte hîc malum diutius posset trahi: in cerebro uerò præcipitem in perniciem ægrum agit, aut breui relinquit: nam tametsi ipsum cerebrum sit natura frigidum, cum calidis particulis, uenis, & arterijs maximum habet consensum. Ita & pleura frigida est, & per se ignaua, promptè tamen ipsum uincit affectum. Et quid ergo mirum, quòd in ipso cerebro inflammationes cito aut aboleant, aut aboleantur? nam ut cerebri munus diu desiderari nequit, ita propter consensum, quem cum reliquis primarijs partibus habet, multa ui pollet, ac minimo tempore affectus istarum ac similium partium expugnantur.

Sphacelus in cerebro prōpte relinquit aut interimit.

Eadem est ratio in omnibus propemodum interioribus inflammationibus.

APHORISMVS LI.

STernutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo, quod in capite inani. Aër enim intus contentus, extrà erumpit. Sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

DVPLEX est locus, aut triplex: unde sternutamentum oritur ex ipsis naribus, magis ex ipsis primis uentriculis, aliquando ex inani spatio quod ipsum cerebrum ambit, quando ab eo spiritus per nares descendit. Propterea superuacaneum mihi apparet, inane hoc ab alijs partibus distinguere: nam nihil refert, undecunque ueniat, modò per nares transeat. Forte ergo Hippocrates ob eam causam, cerebrum ab inani distinxit, quòd caliditas, ex quocunque cerebri loco uentriculos priores facile mordeat: humiditas uerò tantùm ea, quæ ipsis uentriculis insideat, aut ex spatio inani affatim ueniat: etenim ignaua est ipsius energia, nisi in flatum conuertatur: nam & hæc uehementer sensum mouet. argumento est dolor colicus. Ita & priores uentriculos cerebri facile flatulēta materia uellicat, quæ in ipsis gignitur, aut etiam ea, quæ ab superiori inani spatio ad ipsos descendit. Hæc, credo, causa fuit, quare Hippocrates tantùm duas qualitates sternutamenti causas habuerit: certum enim est, quòd & frigiditas & siccitas quoq; aliquando sternutamentum mouent. Tanto magis Galenum admiror, qui diligenter quidem sternutamentum, quod

Sternutamētum initium sumit ex tribus locis.

Difficilius humiditas q̄ caliditas sternutamentum mouet.

Humiditas ignaua, nisi cum flatu fuerit coniūcta. Nostra coniectura.

Omnis qualitas sternutamentum mouere potest.

è naribus fit, ab eo quod è capite oritur, distinxit, & duas eius causas omisit: nam uel nutricibus notum est, quòd pueri, utpote rara cute, à frigore subito percussi sternuant, ac singultiant: sed & sicca sæpius excitant nares, quàm humida. Potuit etiam Hippocrates alterum in altero intelligere, & sub caliditate frigiditatem, & sub humiditate siccitatem per modum compendij aphoristici compræhendere. Certè nihilominus ferè frigiditas, quàm caliditas, uentriculos cerebri mordet, sed & frigiditas magis quàm caliditas. Aliquando ad generationem flatus conducit: nam multa caliditas ferè flatum dissipat, parua uerò excitat. Rectè tamẽ soni, qui per sternutamentum eliditur, generationem prodidit: non potest enim multus spiritus per angustias sine strepitu, qui oritur ex contactu partium transire. Illud difficultatem habet, quare sternutamentum ex ipsis naribus natum, statim caput deprimit: ex uentriculis uerò cerebri, sursum mouet. Nunquid ob eam causam, quia hoc maioribus uiribus indiget?

Pueri à frigore percussi subito sternuunt. Sicca nares perstringunt. Compendiũ aphoristicũ. Frigiditas flatum excitat, caliditas dissipat. Generatio soni qui in sternutaméto eliditur. In sternutamento ex naribus caput eleuamus, ex uẽtriculis uerò cerebri statim deprimimus.

APHORISMVS LII.

QVibus hepar uehementer dolet, ijs febris superueniens soluit dolorem.

APHORISMVS iste potestate bis dictus est. Vna est differentia, quòd in prioribus locis indifferenter ilium audiebatur: hic uerò particulatim dextrum definitur. Ac circa hepar forte in causa fuit, quòd flatus nihilominus dextrum quàm sinistrum ilium suspendit: dictũ enim alibi, quòd pituita sæpius in loco calido, quàm frigido inflatur, quòd calidum coniunctum cum frigido maxime flatus suscitet. Circundolet, dixit Galenus, ad significandum grauiorem dolorem: paruus enim & obstructiones, & alias intemperaturas sequitur: magnus uerò dolor, non nisi ob flatum & inflammationem committitur, maximè ob eam, quæ suppuratur: nam in ijs quæ resoluuntur, dolor paulatim minuitur: in ijs uerò quæ suppurantur, usque ad finem augetur. Non possem tamen mihi nunc persuadere, quòd Hippocrates grauem aliquem nunc (ut colicum dolorẽ) meditetur, sed leuiorẽ, ut sic audiatur, Quibus hepar circũdolet, hoc

Flatus nihilo rarius dextrũ quàm sinistrũ ilium suspendit. Parui doloris & magni causæ diuersæ. Suppuratio magis affligit quàm resolutio. Nostra opinio.

hoc eſt, quibus loca in circuitu hepatis obiter dolent, citra inflammationem ſcilicet aut grauiorem occaſionem.

APHORISMVS LIII.

QVibus à uenis ſanguinem mittere confert, iis uere uenam oportet ſecare.

EST & hic Aphoriſmus antea dictus. Diſsidet rurſus, quòd illic eodem tēpore commendabatur phlebotomia, & purgatio: hîc uerò duntaxat alterum, uidelicet ſanguinis miſsio. Potuit in cauſa eſſe, quia ſanguinis miſsio duabus de cauſis in uere conuenit, purgatio uerò duntaxat ex altera: quippe præterquam quòd humores eo tempore maxime mouentur, ita etiam ſanguis maximè fundi incipit. Econtrario in autumno magis humorum uitium delinquit.

Purgatio in uere una ex cauſa, phlebotomia uerò ob duas.

APHORISMVS LIIII.

QVibus inter uentriculum & ſeptum tranſuerſum pituita repoſita eſt, & dolorem affert, nō habens uiam ad alterum uentrem: iis per uenas in ueſicam pituita uerſa, ſoluitur morbus.

MIROR in re manifeſta tam diuerſas translationes. Refert alius inter renes, & uentrem. Theodorus inter uenas & uentrem. Fideliter Leonicenus inter uentriculum & ſeptum. Nec dubium, quin Hippocrates intelligat locum illum, quem uulgus appellat pectoris foueam, inter uentriculum & ſeptum medium: hoc eſt, eum, qui eſt è regione oris ſtomachi, atq; adeo in parte carnoſa exteriori, aut abdominis interiore ſubſtantia: nam, ut dixit Marinus, in medio illo ſpatio, quod eſt inter abdomen & uentris muſculos, nunquam conſiſtere poſſet. Locus tamen, quem ille cogitat, nihilo promptiorem commeatum ad uenam, quàm præ dictus monſtrat. Eſt & alia redargutio Marini ex nomine, ſed iſtam lubenter præterimus. Magis oportet annotare, uitium commenti paulo antè, ubi meo quidē iudicio Impoſsibile pro Poſsibile, tam in Græcis, quàm Latinis ſcribitur: nam ſi ea ſcriptura retineatur, poſterior pars priori aduerſabitur. Melius ergo eſt, pro impoſsibile, poſsibile mutare: & rurſum

Tranſlationum diuerſitas.

Noſtrum iudicium.

Iuſtè Marinus ueterum expoſitionem tollit.

Vitium in cōmento.

In omnem locum materia potest ex uenis excuti, & rursum redire.

Tria loca diuersa in hoc Aphorismo audita.

Materia ex hoc loco tribus modis ex purgari potest.

ibidem possibile pro difficile oportet accipere: nam ut in omnem locũ materia ex uenis excutitur, ita rursum resumi potest, præsertim ubi attenuata fuerit, siue fuerit in laxo illo spatio, quod Marinus redarguit, siue in eo quod ipse cogitat, siue in eo loco, quem Galenus monstrat. Certè extenuatam materiam natura non difficile in uenas resorbet, & hinc per renes ad uesicam deducit, sed & aliquando eandem nunc in pectus, nunc in uentriculum assumere præuertit.

APHORISMVS LV.

QVibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, ijs uenter aqua repletur, & moriuntur.

Duplex Hippocratis constitutio.

Diuersa fortuna.

Morbus ex morbo mortalis.

IN hydropicis hepar propria ratione nullo tumore obtinetur, sed paulatim ac singulis diebus, quod est aquosum, aut imperfectũ, in spatiũ proximũ sub omentum & peritoneum euomit: aliquando tamen magnus tumor in hepate concipitur, atque adeo simul uesicis quibusdam impletur. Duplex hunc postea fortuna excipit, aliquando natura talẽ tumorem ad uentrem atque uenas deponit, & æger conualescit: aliquando natura præter modum infirma est, & materia in proximum spatium sub omentum excidit, & tumor qui solum latus occupabat, nunc in totum uentrẽ promittitur. Nec mirum est, si homines hîc moriantur, quoniam morbus ex morbo nascitur, qui ubique solet esse mortalis. Aliud est, ubi à principio hydropisis committitur. Nulla ergo difficultas in hoc commento incidit, modo in omentum, *pro eo quod est,* sub omentum, *audiamus.*

APHORISMVS LVI.

ANxietudo, oscitatio, horror, uinũ æquale æquali potum, soluit ægritudinem.

Obscuritas ex rerum copia & ingenij luxuria.

Symptomatũ diuersitas.

SVBINDE authores aliquod propositum inchoant, deinceps pro luxuria ingenij ad aliud festinãt. Hoc forte hîc Hippocrati euenit. quippe & in multis alijs locis id obscuritatem parit. Forsitan etiam Hippocrates à principio dicere uoluit, quòd hæc tria eiusdem generis existunt, magis tamen pandiculatio cũ oscitatione, quàm anxietas conuenit. Forte ergo à principio ita Hippocrates intellexit, forte etiam ad hæc anxietatem

tem ascripsit: nam licet illius ab alijs diuersa ratio, tamen ferè eadem cura tio. Et quidem anxietudo duplicem habet originem: aliquando ab extrema corporis nascitur imbecillitate, quæ nihil supra se, nullum motum, nullum locum tolerat, sed fatigatur statim sub omni figura, & lethalis est admodum: aliquando leuior est, & oritur ex humore graui, præsertim mordaci in ore uentriculi, & uomitu tollitur. Diuersam generationem habent pandiculatio, oscitatio, horror, rigor: fiunt enim hæc omnia humoribus ac uaporibus diuersis insidentibus musculis, & sunt duplicis generis: aliquando cum consensu, & uitio uniuersi corporis fiunt, ac febres inchoant: aliquando citra magnum malum ex solis leuioribus uaporibus, aut humoribus lacescunt. Atq; hæc omnia nunc aqua lymphata medicatur: nam meracum uinū per se febrem accenderet, tenue uerò ex natura facultate extenuandi caret. Melius est ergo meracū uinum, sed lymphatum exhiberi: non enim aqua uim extenuandi uino aufert, quod est mirabile, magis auget: nam uinum per se præceps, per uniuersum corpus agitur, aqua uerò in singulis partibus cunctatur, atque etiam ipsum uinum moratur. Nunc certum est, quòd eo uinum operatur exquisitius, quo diutius in ipso loco retinetur: sic enim & amara medicamenta magis attenuant, quàm acria. Aliud huius emolumentum dixit Galenus alibi, quòd aqua & uinum mutuam sibi inuicem operam præbent, uinum præcedit, ac quasi dux est, aqua sequitur, atque à tergo uinum impellit. Id autem intelligere nequeo, nisi ita acceperimus, quòd uinum, utpote naturæ amicum, à natura in corpore retinetur, aqua uero tota exploditur. Itaque mixta aqua in causa est, ut & uinum ad uesicam protrudatur. Hæc mistionis commoda. nam quòd aqua uim uini tēperet, omnibus est manifestum: & ne uapores, qui hæc symptomata pariant, in febres accendantur, prouidet. Quòd autem in anxietatibus ex ore uentriculi subortis lymphetur, alia mihi de causa factum apparet, ut in ipso altius suspendatur, ac diutius moretur: nam uinum subito digeritur, aqua uerò sursum moratur. Et hinc est, quod uulgo dicimus, quòd uinum lymphatum citius inebriat, quàm meracum. Certe in medicationibus oris uentriculi optimum est ipsum uinum sursum ferri.

Anxietas nascitur ex toti' corporis imbecillitate, & uentriculi afflictione.

Inquietudo.

Quatuor symptomatū duæ differentiæ.

Vinum lymphatum sufficienter uapores disijcit.

Potius uinū lymphatum, quàm ex natura tenue.

Aqua uino quodam modo uires addit.

Aqua & uinū mutuam sibi inuicem operam præbēt.

Altera mistionis in proposito causa.

Cur in affectibus uentriculi uinum lymphetur.

Vinum lymphatum quosdam citius inebriat, quàm meracum.

APHORISMVS LVIII.

QVibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

QVI intercessit Aphorismus, à nobis expũctus est, quia ijsdem uerbis in quarto scriptus erat, hic uerò nusquam alibi dictus. & uidetur in eo nonnihil laborare Galenus, quoniam multis ex casu concussum cerebrum uisum est, qui nequaquam insensibiles & immobiles sunt facti (id enim nunc per Mutos intellige) sed tantùm somnolenti, aut aliqua peculiariter parte stupidi. Longius ergo huius rei incõmoda Galenus quærit. In primis ait, quòd talis casus ipsas uertebras nõnihil concutere solet. adijcit, Quando uerò harmonia ipsarum uertebrarum fuerit commota, & spinalis medulla, quæ in earum continetur cauitate laborarit, & uehementer concussa fuerit, periculum est, ne & neruus aliquis eorum, qui ab ipsa nascuntur, abrumpatur. Hoc enim modo commentum Galeni restituere oportet, quod apud Leonicenum, nescio an sua, an impressorũ incuria, est ualde uitiatum. atque hactenus particulares aliquot particulas stupidas satis ostendit. Nondum tamen totum corpus quasi attonitum hinc deducit: proinde & ad ipsum cerebrum pergit, atq; hîc eadem mala & fortunas numerat: & rectè, nam & ut ipse hîc meminit, ipsum caput admodum uacuum existit: quo autem unaquæque res est magis uacua, eo promptius uiolatur, & frangitur. Plurimum autem uacui (ut hîc quoque inquit) senes habent, quo fit, ut uel ij magis offendantur: minimum autem (ut uulgo quoque dicitur) pueri, aut ebrij, quòd molles sunt, & corpore pleni. Sed quid ijs rebus faciet, nescio: ipse sibi conscius est, quòd nequaquam ista fortuna sufficiens est, ut uniuersum statim corpus immobile atque insensibile euadat. Sed ad accidens quoddam confugit, ex quo istud plurimum præcedere putat. Inquit enim, quòd in his incommodis, ut alibi, affatim incidentibus, natura ad interiora retrahitur, atque hîc interim quædam contrahuntur, quædam distenduntur, saltem donec uirtus hic (inquit) sese collegerit, animal mutum, insensibile, atque immobile iacet. Atque mihi quidem nihil aliud hîc, quàm animi deliquium describere apparet. Verùm

Sententia dubia.

Galeni collectio longa.

Commenti uitium.

Particulares partium stupores.

Pars inanis citius uiolatur quàm plena.

Pueri & ebrij minus se offendunt.

Galeni anxietas.

In animi deliquio multa inæqualiter geruntur.

Hippocrates in proposito mutos appellat, quibus animalis facultas, ut in apoplexia, ob aliquem primarium cerebri affectũ intercipitur. Iam periculum est, ne uel ipse Galenus ea, quæ in animi defectu cõtingunt, malè describat: non enim in defectu animi omnia hæc stupent, quia uirtus animalis in se ipsam, scilicet in cerebrum colligitur, sed quia totus spiritus uitalis, & sanguis ad cor rapitur, sine quo uirtus animalis exoluitur. Sed de hoc alibi. Nunc enim certo certius est, quòd Hippocrates nequaquam per mutos quosuis intelligit, qui animo delinquunt, sed qui ex affectione cerebri quasi apopletici iacent. Differunt autem multum: nam qui animo delinquunt, non nisi (ut diximus) per accidens motu & sensu destituuntur: apopletici uerò, aut similiter affecti, per se. Hinc etiam est, quòd delinquentes animo facile resurgant, motum & sensum recipiant: apopletici uerò, & ij de quibus hîc uerisimiliter loquitur Hippocrates, admodum ægrè. Hoc & Galenus libenter donasset, & propterea in fine huius commenti aliam huius casus fortunam uidetur timere: quod rursum Leonicenus male reddidit: sic enim ait: Si uerò cerebrum conuelli contigerit, aut secundùm aliquam eius partem conuellitur, qui ita patiuntur, non referũtur. Non est intelligibilis hæc diuisio, neq; ea Galeni dictio talis est. Sed sic uerbatim habet, Vbi uerò abrũpi anticipent, hoc est, si contingat ipsos neruos (de quibus prius dixit) simpliciter abrumpi, aut (quod grauius est) aliquam partem cerebri diuelli, tum tales non referuntur, aut curantur. Timet ergo hîc, ne uel ipsi nerui penitus abrũpantur, aut pars cerebri à toto auellatur. certũ est, quòd isti ad se redire nõ possunt, ut illi, qui animo tãtùm deficiũt. Adiecit ergo hæc proculdubio, quia sciuit Hippocratem de mutis, hoc est sensu & motu priuatis, loqui, non tanquam animo deficientibus, sed tanquam apopleticis, & grauiter in cerebro paßis. quod nunquam ex tali simpliciter fortuna poterit colligere: non enim si tota spiritualis medulla abrumpatur, totum animal mutum iacebit, duntaxat tantùm inferior pars immobilis & insensibilis erit. Secus est, si pars cerebri auellatur. Atque huc quidem Galenus progressus est, ut ostenderet, quomodo concusso cerebro muti fierent. Mihi autem compendiosior commẽtatio apparet, si per concußionem non quemuis casum, sed magnam col-

Galenus non nihil à mẽte Hippocratis exorbitare apparet.

In defectu animi omnia intro ad cor rapiuntur.

Differentia inter apopleticos & exolutos.

Tertium Galeni refugiũ.

Affectus spinalis medullę non obstupefaciunt totum hominẽ, duntaxat inferiorem partem.

lisio

lisionem & contusionem audiamus, quæ usque ad uentriculos peruenit: hæc enim mutos sine dubio facit. Inuitauit nos, & audaciores fecit ad hãc commentationem ipse Galenus, in libro De locis affectis, ubi & ipse uulnus, quod eò peruenit, homines mutos facere perhibet. Quòd si leuior aliqua offensio reliquas duntaxat cerebri partes offendat, non fiunt homines statim toto corpore stupidi, duntaxat somnolenti, & sopore quodam strati, quos & excitare liceat, & ut ad interrogata respondeant, nõnihil prouocare. Ac tanta sunt, quæ in hoc cõmento desideres. Vnum adijcere possumus, quòd quosdam, quibus ex casu concussum cerebrum utrunq; erat, per interualla ferè uniuerso corpore conuelli uidimus, sensu & intellectu seruato, altera tamen parte magis. Sed uera aut pertinax conuulsio non fuit, sed qualis in epilepticis fieri solet. Nam uera conuulsio ante finẽ morbi non tollitur. Talis etiam erat distentio, quam duobus diebus uidimus in eo, qui post crapulam admodum refrigeratus, in choleram incidit, & quod quis minime putasset, pulchrè minimis conualuit remedijs. Mihi ergo huiusmodi distentio & conuulsio, extremorum morborum uaporem mordacem potius, quàm aliã causam sequi uidebatur. Nam magnus morbus, parua auxilia solet contemnere.

Simplex cõmentatio.

Leuior sopor.

APHORISMVS LXIX.

Corporibus carnes habentibus humidas, famẽ adhibere conuenit. fames enim corpora siccat.

LICET humiditas ipsa similaris, rarius, forte nunquam, operationes naturales offendat: tamen instrumentalis oblædere potest. Et quidem uel hæc per famem exiccatur: nam calor naturalis nunquam cessat, sed cõtinuè humidiores partes difflat: itaque nisi nutrimentum accedat, continuè corpus exiccatur. Exiccatur autẽ & per sitim, idq; multo amplius: sed hoc remedium, credo, reliquit, tanquam crudele, & intolerabile: fames enim aliquantisper tolerari potest, sitis uerò difficilius. Potuit etiam per famem omnem inediam & abstinentiam compræhendere, super sequentibus duobus Aphorismis, quorum hîc Galenus mentionem facit, neque nos quicquam eorum, quæ in quarto dicta sunt, oportet repetere.

Sitis crudele remedium.

APHO

APHORISMVS LXIII.

SVdor multus calidus, uel frigidus semper fluẽs, repletionem humoris esse significat: abducere igitur oportet, robusto quidem superne, debili uerò inferne.

QVOD sudor multus aut recentis cibi, aut ueterum humorum multitudinem indicet, dictum est in quarto: ubi & illud definitum est, quòd calidus ex se nullam significabat difficultatem: frigidus uerò in acutis mortem, alibi uerò morbi longitudinem. Vtra autem parte purgatio facienda erat, an per uentrem superiorem, an inferiorem, non quidem coniectabamur ex uiribus, sed ex tẽperatura, ætate, regione, tempore. Est tamẽ uerum, quòd superna expurgatio plus ferè molestet, quàm inferna, tum propter insolentiam, tum propter humoris grauitatem. Delectus purgationis superioris & inferioris.

APHORISMVS LXIIII.

FEbres quæcunque non intermittentes, si tertia die fortiores fiunt, periculosæ: quocunque autẽ modo se remiserint, significant quòd non sunt periculosæ.

IISDEM uerbis hos tres Aphorismos in quarto scriptos reliquimus: unum & alterum nunc possumus addere ex ijs, quæ tunc nobis minus occurrebant, quòd febres intermittentes, licet ex se periculo uacant, tamen propter ætatem senilem, aut aliam imbecillitatem, aliquando interficiant: nam febre pituitosa multi senes intereunt. Sed & reliquis duobus hoc asscribere libet, quòd tubercula in pedibus apparentia post morbos longos, qui concoctione aut resolutione finiuntur, uictus incontinentiam indicant, sed alios morbos ex acutis, longiores plerunq; indicant, & rursum acutiores in superioribus tumores, aut abscessus magis produnt, mitiores in inferioribus partibus. Nam calidior materia, licet grauis, promptius à natura suprà, frigidior uerò infrà facilius protruditur. Nullus morbus tam mitis, qui non aliquãdo interficiat. Post longos morbos tubercula accusant uictus incontinentiã. Tubercula acutos indicant.

APHORISMVS LXVII.

SI quis cibum febricitanti dederit: sano quidem, robur: laboranti uerò, morbus.

TANTVS cibus, quantus potest confici, in sanis auget uires, in ægris ipsum morbum. Et hoc quidem est, quod nunc dicitur: nec sententia repræhenditur, sed scribendi modus: nam in sanis oportet semper dare, inquit Celsus, quàm plurimum, ac quantum potest confici: in ægris econtrario quantum uirtus patitur, subtrahere.

Sanis conuenit quantũ possunt concoquere, ægris decet quantũ licet subtrahere.

APHORISMVS LXIX.

ET quibus deiectiones, si stare permiseris, & non moueris, ueluti strigmenta subsistunt: & si pauca sint, paucus est morbus: quòd si multa, multus: ijs confert alui purgatio. Quòd si aluo non purgata dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis.

NE hunc quidem Aphorismum fert Galenus. Nam si de urinis, inquit, intelligas, male hîc positum est nomen Strigmenti, & Deiectionis. sin autem de excrementis per aluum, malè conuenit cum illis nomen, Subsedunt: hoc enim illis, inquit, tantùm accommodatur, quæ in urina subsistunt: quæ uerò cum deiectionibus confunduntur, ijs magis (ait) nomen Insistunt, conuenit. Nec ego quoq; hunc Aphorismum Hippocratis esse puto. Videtur tamen Galenus hîc paulo morosior. Nam & in deiectionibus liquidis craßiora excrementa (ita enim strigmenta interpretor) solent subsidere. Nec moror, si quis dicat Insidere: ferri & hoc potest, quòd pauca paucum, & multa multum morbum significant. Nam & ubiuis alibi multitudo excrementorum rationem morbi arguit, & expurgationem requirit. Tanto magis iterum Galenum demiror, qui sequentẽ particulam, Ijs confert alui purgatio, *tanquam inidoneam detractat. Nec multum urget illius obiectio, qua inquit, si quicquid bilis infuerit, tã sit expurgatum: nam nemo id non libenter subaudiet, & in omni tali sermone*

Galen⁹ Aphorismum excindit.

Galenus paulo morosior.

Tenuis Galeni repræhensio.

mone subintelligitur. Magis morosè sequentem reijcit particulam, ubi dicitur, Quòd si aluo non purgata sorbitiones dederis, tantò plus nocebis, quanto plus dederis. Nam huic consentit alia prius in secundo Aphorismorum scripta sententia, Impura corpora quò magis nutries, eò magis lædes. Non tamen ualet uel ibi Hugonis, uel hic ueterum excusatio: nam redarguēte Galeno, non solùm in impuris, sed & puris corporibus alimentum superfluum, supra id quod concoqui potest, uires frangit. Quocirca utranq; sententiam de eo audire oportet, quod plus est, quàm uiribus conseruandis est satis. Fortè autem & id uires aliqua ex parte lædit, sed incommodum maiori commoditate redimitur: melius enim est naturam nonnihil onerari, quàm simpliciter ruere, aut collabi. Hactenus ergo sententia excusari potuit. Eadem ratione & altera sententia excusari posset, Quibus cruda deijciuntur, quantò plura dederis, tantò plus nocebis. nā cruda corpus impurū ostendūt, certè cruda potius cōcoctionē quàm deiectionē requirūt. Sed neq; sequēs sermo redargui poterit, Quibus atra bilis inest, si plus, maior est morbus: si minus, minor. Nā generalis sermo est, quòd materiæ copia, morbi arguit magnitudinē. Sic inter melāncholicos grauius laborant, qui multum spuūt, quàm qui parū. Minus gratus est sermo, qui dicit, Quibuscūq; cruda deijciuntur, ijs atra bilis inest. Nam, ut Galenus admonet, ex uniuersali particulare faciunt: cruditas enim uniuersaliter quamuis humorum malitiam sequitur, ipse uerò duntaxat melancholiæ attribuit. Quòd si de cruditate, hoc est, imperfectis fecibus loquatur; iam non sola melancholia, sed & pituita concoctionem labefactare potest, & omnino in genere frigiditatis opus ac detrimentum, non autem melancholiæ tantùm. Hoc est, quod Galenus in commento innuit, uerba quidem manifestā habere significationē, sed ipsam sententiam claudicare. Accesserunt & alij quidam Aphorismi, uerùm eos præterire decreuimus: nam aut antè scripti sunt, aut tanquam spurij ab illis excidunt. Vnus habet difficultatem qui sequitur.

Sententiæ pars excusari potest.

Aphorismorū compositio.

Cruda concoctionem requirunt, minime autem deiectionem.

Abruptus sermo.

Non potest sermo constare.

APHORISMVS LXXIX.

A Corruptione, abscessus ossis.

VIDETVR Galenus abscessum intelligere tertio modo, in quem

scilicet alius morbus euadit. At ego mallem ipsius ossis exemptionem intelligere. Quòd autem citra iacturam carnis os eximere non liceat, nemo dubitat. Quæ ergo hæc est Galeni dubitatio?

APHORISMVS LXXX.

A Sanguinis uomitu, tabes & puris purgatio supra.

Non est flux⁹ uentris causa ipse catarrh⁹ sed ipsa imbecillitas.

NE hîc quidem rectè eos imitatur, qui in quinto dicti sunt: nam fluxus in tabidis debilitatem sequitur, cuius ipse nunc destillationem è capite continentem causam uidetur statuere.

APHORISMVS LXXXI.

QValia fuerint uesicæ, aut alui excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi à natura corpus exierit: si parum, paucus est morbus: si multum, multus: si ualde multum, lethale est.

Triplex excrementum.

MODVS loquendi ab Hippocratis dissidet consuetudine, alioquin sententia uerissima est. Triplex enim excrementum, alui, uesicæ, & habitus corporis, quorum unumquodq; ut naturali similimum, ita optimum, dissimilimum pessimũ. VIDETIS diuitem horũ librorum supellectilem: semina enim ac mysteria totius rei medicæ continent, sed (ut Galenus dixit) diligentem requirunt agricolam. Quàm uerò locuples sit in his rerum supellex, ex eo intelligetis, quòd quotiescunq; ad eos redieritis, semper in ipsis inuenietis, quod antea nesciuistis: tanta est hîc rerum congesta copia, in quibus quid nos præstiterimus, alij iudicent.

Aphorismorũ semper noua materia.

FINIS.

LECTORI.

VIDISTI aliquando, Lector optime, Commentarium nostrum in primum librum Aphorismorum, obscurum & mutilum. Accipe nunc integrum, & clarum: nam omnino alius factus est. Videor mihi Iouem imitatus, qui Bacchum ex Semele abortiuum, iterum in femur recepit, & usque ad perfectionem fouit. Verùm ut qui uetera ædificia restaurant, non omnia nouant: ita forsitan & hîc in quibusdam locis aliquid ex ueteri spinositate, & duricie inuenies, sed quam unusquisque facile per se mitiorem reddet. Profectò hic mihi maiori labore constitit, quàm omnes reliqui. Nam dum labori parcere uellem, & multa ex ueteribus seruare, labor creuit, quòd difficilius mihi fuit noua cum ueteribus digerere, quàm alibi omnino nouam orationem scribere. Ita & in externis operibus sæpe operosius est ueteribus ædificijs aliquid superstruere, quàm noua condere. Quod igitur offendet in hoc libro, spero in reliquis sex, quos illi nouos adiecimus, cautum uidebis. Vereor autem, ne in his, sicuti nuper in Techna, & libris de Temperamentis, errores aliquot incastigatos reliquerimus. Sed eorum omnium in proximis operibus elenchum simul dabo: appello proximè Commentarios nostros in libros De febribus, De crisibus, De morbis & symptomatibus, De locis affectis. Spero enim, quòd propediem in istorum singula labores nostros uidebis. Interim appendices nostræ te utcunque iuuabunt: facile enim ex ijs argumenta singula distingues. Vale igitur, ac fruere.

MED. DOCTIS.
D. IACOBO SAVAGIO
HIEREMIAS THRIVERVS
SALVTEM D.

*



CRIBIS doctiſsime Iacobe, te nuper incidiſſe in Commentarium quendam Leonhardi Fuchſij, de inæquali temperie, plenum (non ſine animi tui dolore) multis aduerſum me contumelijs. Idem Commẽtarius paulopoſt à diſcipulis meis aliquot uiſus eſt Louanij, orãtibus obnixe, ut eundem (ſaltẽ obiter) perlegerem, & eiuſdem inſaniam retunderem. Verùm neutrum mihi placuit, idq; ob duas cauſas. Primùm, parũ Chriſtianum eſt, contumelijs cum altero contendere. Deinceps nunquam fuit mihi uolupe, aut ociũ, cũ hominibus rei medicæ, Philoſophię, Dialecticę ignaris, ac merè Grãmaticis diſputare. Itaq; ne oblatũ quidem legere dignatus ſum. Satisfecerãt mihi literæ tuę, ex quibus quantum accipere potui, quatuor ſunt quæ in me carpit. Primò Galeni ordinem ſeruare, nititur à me reprǽhenſum. Sed & eandem, quam ego dedi in Galeno inæqualis intemperaturæ definitionem, aſſerere laborat, atq; id verbo tantùm. Tertiò literarum Gręcarum inſcitiam mihi obijcit, nõ laboro, etiã ſi adiecerit Latinarum. Nã interim ex meis Cõmentarijs unuſquiſque facile accipiet, utri literæ Gręcæ & Latinæ fuere maiori præſidio, mihi, an illi. In reliquis quoque an ego iuſtius Galenum perſtringam, quàm ipſe excuſat, alijs relinquo. Tantùm hoc doleo, quòd Galeno tam tenuis patronus obtigerit: & ne ſimiliter cum eo ſola uerba obtrudere uidear, idipſum ex nouiſſimo illius elẽcho paucis oſtendam. Nõ placuit mihi, quòd Galenus ſiniſtrum cordis uẽtriculum, dextro calidiorem colligat,

ex

ex eò quòd continuè moueatur, quãdo is motus mihi magis refrigerare, quàm incalefacere apparet. Hîc Leonhardus exurgit, & contrà pertinaciter omnem motum incalefacere contendit. Nescio profectò an maiori inuidia, an crassiore ignorantia. Nam si aliquid mentis haberet, iudicij, ingenij, prudentiæ, & motum pectoris, & motum arteriarum (cui motus cordis assimilis est) refrigerare meminisset, quum & alia multa foris per motum refrigerantur. Sed quid faceret? Ingenio caret, & tamen ad scribendum usq; ad insaniam est propensus. Proinde quum per se nihil potest, ueteres & recentiores recoquit, ac sine delectu commiscet, methodos ex omnibus scribit, & in ipso nomine impingit, nihilq; minus quàm methodum obseruat: de plantis recentiorum sententias colligit: sed pictores in eo opere maiorem sibi laudem uendicant. In alijs locis frequẽter lexica Græca in Calepinos & Cornucopiæ transfundit, & circa nominum rationem cõsistit: quod alibi dictum est, ut paginas impleat, sæpe rescribit. Melius ergo deinceps fecerit, si Grammaticum aliquem è medio eruat, qui cum litiget. Nam ego huiusmodi homines lubens prætereo. Vnde ne in ijs quidem Aphorismis eius usquam memini, utpote qui neque hîc, neque alibi quicquam, uiro medico dignum habet: nisi forsitan id mireris, quòd in plerisque locis bonos uiros lacerare & proscindere nitatur. Ita (ut audio) in hoc Commentario De inæquali temperie, nunc me uocat impudentissimum, nunc maleuolum, sepius liuidum: adijciat, si uelit, omnium hominum pessimum, & indoctissimum. Non laboro, neque ab hoc, neque ab alio pendeo, aut gloriam capto. Iam dudum ad hæc omnia obsurdui: omnia contemnere didici, & quo magis id facio, eo magis ualeo. Veritas laborare potest, extingui non potest. Iudicabit utrunque Deus. Sed & nunc maiorem illi locum apud pueros quàm uiros uideo. Precor ergo, charissime Iacobe, ut hæc mecum discas patienter ferre, atque ijs contumelijs omissis, melioribus rebus incumbere. Dicerem plura, nisi super-

uaca

uacaneum putarem tam multa uerba in re nihili fundere, qui uel hoc potius uestro & aliorum, quàm meo iudicio, nostris Aphorismis ascripserim. Ergo bene uale, & uirum doctissimum, Dominum Petrum Capitaneum, illustrissimi Regis Daniæ medicum, ubi prima opportunitas scribendi sese dederit, ex me diligenter saluta.

*

